



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

Capita Libri Sexti sunt LXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

rum Prima constat tribus Digestis, Vetere, Infortiatio, & Nouo. Hæc Pars continet quinquaginta libros Digestorum in tria volumina partitos. ita ut Digestum vetus contineat vigintitres libros, Infortiatio, quatuordecim Nouum quoddecim. Secunda Pars Iuris Ciuilis, dicitur Codex, continet nouem libros in quibus habentur Constitutiones, & Rescripta Imperatorum. nam Prima pars tribus Digestorum voluminibus contenta habet Responſa veterum Iurifconſultorum, quæ Imperatorum nutu, & voluntate, legis auctoritatem obtinuerunt. Tertia Pars dicitur volumen, quod quatuor partibus constat, Institutionibus nempe Iustiniani Imperatoris, tribus libris Codicis, videlicet decimo, vndecimo, & duodecimo, nam reliquos nouem continet Codex, & Authenticis constitutionibus eiusdem Iustiniani Imperatoris, & libro Feudorum.

Allegatur autem Ius Ciuile septem modis. Primo, si quis ex argentijs, §. i. ff. De edendo. & significatur, eam legem esse in aliquo, ex quinquaginta libris Digestorum, hoc est, in lege, quæ incipit: si quis ex argentijs. §. i. in titulo de edendo. Secundo modo: Minime. C. de Episc. audien. hoc est, in I. Cuius initium est, Minime, in Codice, titulo De Episcopali audientia. Tertio modo: C. de Agriculis, & Censibus. Cum scimus, lib. 11. & significatur, eam legem non esse in noue libris Codicis, sed in vno ex tribus libris, qui habentur in volumine, in quo Institutiones Iustiniani, & Authenticæ continentur. Quarto modo: Authent. statuimus. C. de Episc. & Cleric. hoc est, in lege, cuius initium est, statuimus, in Codice, titulo de Episcopis, & Clericis. Quinto: Authent. de Lenis. §. Sancimus, hoc est, in Authent. de Lenonibus. §. Sancimus. Sexto modo: In lib. Feud. de prohibita Feud. alie. c. vel l. Quoniam, hoc est: In capite, vel lege, quæ incipit, Quoniam in libro Feudorum, Titulo De prohibita feudi alienatione. Septimo, Instit. de re. diu. §. Itæ ea, hoc est, in Institutionibus Iustiniani, Titulo De rerum diuisione, §. Item ea.

IOANNIS AZO-
RII LORCITANI, E SO-
CIBETATE IESV,
INSTITVTIO
NVM MORALIVM,
LIBER VI.
De lege Naturali, Diuina veteri,
& Noua.

CAPVT PRIMVM.

De Lege Naturali.

PRIMO queritur, Quidnam sit lex naturalis? quod est querere, An lex naturalis sit habitus mentis, an rationis actus? Respondeo cum S. Tho. 1. 2. q. 94. Gabr. 3. d. 37.

q. 1. 1. Richard. 3. dist. 37. art. 1. q. 1. Sor. lib. 1. de insti.

q. 4. art. 1. non esse habitum mentis, sed actum: quia est quedam rectæ rationis præscriptio, qua quid agendum, quid fugiendum, præscribitur, nõ qualitas ex actibus sæpius repetitis comparata. Sed sciendum est, apud Theologos legem naturalem aliquando dici naturale rectæ rationis lumen, quod semper quasi habitu ostendit, quæ sunt agenda, quæ fugienda, & est ipsa hominis ratio, qua bona, & mala perspicimus, & iudicamus: aliquando lex naturalis vocatur tota communitio eorum signorum, siue imaginum in mente impressarum, quibus etiam quasi habitu agenda, & cauenda discernimus, & sunt species, & imagines referentes res bonas, & malas, agendas, vel fugiendas: aliquando lex naturalis est ipsum rectæ rationis præscriptum, siue iustum. obijcies legem naturalem nec obliuione deleri, nec vetustate temporis extingui, nec per peccatum auferri, nec vnquam animo euelli; ergo huiusmodi lex nõ est actus. Respondeo, ideo legem naturæ nunquam aboleri, quia manent eius in mente semina, & principia: eiusmodi autem principia non tantum sunt simulachra, & imagines rerum agendarum, fugiendarumque, hæc enim licet post actus maneat in nostris mentibus impressa, at tamen vt primum natifumus, vna cum ipsa natura legem naturalem hausimus, & accepimus, quia sunt in nobis insita huiusmodi legis semina, nimirum ipsa mentis ratio, quæ sine vilo externi doctoris magisterio perspicit, quid sit faciendum, quid sit eligendum, quid cauendum, quid amplectendum & sequendum: & hoc est, naturale rectæ rationis lumen, quod semper manet, quamuis aliqua ex parte obſcuratur, vt dicam inferius.

Secundo queritur, An lex naturalis lege humana tolli, restringi, aut minui possit? Iuris ciuilis, & canonici interpretum videtur esse sententia, legem naturæ, iure humano scripto posse aliquando tolli, aut ex parte restringi, contrahi, atque diminui. Inde probant, quia legis naturalis est, nemini auferre quod suum est; at leges ciuiles Vſurpationis, quam præscriptionem appellant, adimunt vero Domino, quod suum est: & tamen ex leges iure canonico sunt approbate. Secundo, Iuris naturalis est, ne innocente perimamus; at legibus ciuilibus constitutum est, vt secundum allegata, & probata reus in iudicio condēnetur. Vnde fit, vt is, quæ iudex priuatum nouit esse innocentem, in iudicio tamen, quæ sunt allegata, & probata reum esse condēnetur, iustè non solū pecuniaria pœna muldetur, sed etiã capite dānetur. Tertio, iure naturali parentes filijs alimēta debent, & legitimam bonorū portionem: Eodem iure naturali filij debent parentes alere, & tamē ius ciuile videm⁹ sepe priuare filios, aut parētes legitima hereditatis portione, & debitis alimētis. Quarto, iure naturali quisq; nat⁹ est liber, & tamē legib. humanis aliqui serui redduntur, c. de Raptorib. 26. q. 1. Raptor foemina fit serua ipsius, vel parentū, nisi velit se redimere: c. Ad liberandū, c. 1. ita quorundā, de Indes, deferētes Saracenis arma, vel alia necessaria ad oppugnandos Christianos, sūt serui capientū. Quinto, t. lte S. Th. 2. 2. q. 10. 4. 10. Ecclesia habet ius & potestatem priuati Paganos nondū ad fidem, & religionē Christi cōuertos omni imperio, iure & domino q̄ habent in eos, qui sacro baptisate

abluti Christo sese tradiderunt. Communis est Theologorum opinio, quam habet. S. Th. 1. 2. q. 94. a. 5. & quæ colligitur ex Gratiano, d. 5. §. Hæc que de privilegijs, vers. naturale ius: legem naturalem nec ex toto, nec ex parte posse lege humana abrogari, atq; hæc est vera opinio: nam quod lex naturalis imperat, est per se bonum: & id, quod prohibet, est per se malum: rerum autem naturæ, & substantiæ nequeunt humana potestate mutari. At quoniam in bonis, & malis sæpè circumstantiæ rerum variatur, ideo lex naturalis mutata materia videtur ex toto, vel ex parte mutari.

Nec obiecta, huic sententiæ quicquam offi-
ciunt; quoniam in ijs omnibus, & alijs similibus, non lex naturalis, sed legis naturalis materia mutatur variatis rerum circumstantijs: primum enim soluitur, si dixerimus, leges vscapionis, aut præscriptionis, vt vocant, nequaquam tollere legem, aut ius naturale: Sed ideo esse iustas, quia ad commune bonum tuendum, & conferuandũ sunt instituta: nimis, ne rerum dominia diu incerta maneant, tum vt lites, quæ solent esse alioqui innumera, inextricabiles, & interminabiles, dirimantur; & pax in Republica conferuetur. Et propterea commune bonum priuato, antefertur; hoc est, propter salutem, & incolumitatem communem priuati homines iure possunt suorum bonorum dominio spoliari. Secundum diluitur argumentum: Licet inter Auctores tum Theologos, tum iuris Canonici, & ciuilibus interpretes variæ sententiæ sint de innocente, qui secundũ allegata, & probata reus, & nocens esse conuincitur: de ea tamen re alibi cõmodius differemus: In præsentia id tantum dixisse contenti, eiusmodi innocentem iure posse capite damnari, non quia ius naturale iure ciuili tollatur, sed quia ob commune bonum in iudicio procedere oportet ex publicis hominum testimonijs & dictis, non ex priuata Iudicis sententiã: alioqui enim ius singulorum hominum, affectibus obiectum posset passim, & facillè perueri. **D. C. E. 3.** ex hoc solũ concludi, nõ posse innocentem, qui probatur fuisse criminis reus, absolui à Iudice secundum suam priuatam notitiam: non tamen iure posse morte damnari. **R. spondeo,** posse etiam contingere, vt cõmune Republicæ cõmodum, salus, inquam, & pax conseruari non possit, nisi innocens statim capitis condemnatur, si ex allegatis, & probatis in iudicio eum deliquisse constiterit. Fieri enim potest, vt totus populus, siue ciuitas petat eius condemnationem, & magnopere offendatur, nisi, pro criminis denunciatione, & probatione sententia pronuntiatã, damnatur. Quod tertio loco obijciebatur circa alimenta filijs, vel parentibus debita; id nequaquam nobis aduersatur. Est enim obseruandum, aliquando ijs hominibus ita alimenta deberi, vt nunquam ea detrahi, denegari queant: V. G. si sit filius, qui nihil habeat, quo vitam suã cõmodè sustentet, ita vt viribus arte, industria, & spe omni humani subsidij destituatur, nulla lege humana potest alimentis sibi debitis priuari, hoc enim ipsa muta animalia nos docent. Aliquando verò absque bonis paternis enutriti, & viuere; vel quia charitate & munificentiã aliorum habet necessaria vitæ subsidia, vel quia ipse per seipsum i-

doneus est ad alimenta sibi necessaria, & cõmoda comparanda; & his in causis leges humanæ ciuiles boni communis rationem habentes possunt iustis de causis alimenta filijs denegare; nimirum, propter iniuriam aliquam atrocem parentibus illatam. Immodò vt filij in officio erga parentes contineantur, possunt alimentis, vel ex toto, vel ex parte spoliari. Pari quoq; ratione possunt leges humanæ concedere filijs, ne suis parentibus alimenta ministrant, & præbeant, quando aliunde queunt cõmodè sustentari: secus verò, si nequeant. Eodem modo, leges ciuiles portionem filijs, & parentibus debitam, vel tollunt omnino, vel minuunt. Quartum erat, quod obijciebatur; Homines, iure humano semoto, nasci liberos, sed nihilominus tamen gratia cõmunis boni, nempe vt delicta meritis poenis puniantur, ac singuli deterrantur à malis, & in officio contineantur, ea ptiuitates, & feruitutes introducuntur, hoc enim iure exorta sunt bella, & iure belli capti milites fiunt capientium serui. Sic etiam potest lege humana constitui, vt quis efficiatur seruus alterius. Ad hæc, dupliciter aliquid dicitur esse iuris naturalis: vno modo, id quod fieri lex natura iubet, vel prohibet: Et hoc lege ciuili nec tolli, nec minui potest: altero modo, id, quod lege nature permittitur, aut conceditur, non tamen imperatur, aut vetatur, siue damnatur. hoc modo, iure naturali homines nascuntur liberi, non serui; & omnia sunt communia: non quidem quod ratio naturalis imperet, vt omnes homines sint liberi, vel vt omnia sint communia; sed, quòd nullus nascatur natura seruus, nec ius naturale res fecerit proprias alicuius: & ea, quæ ad ius naturale hoc modo pertinent, possunt iure humano mutari, quo sunt inducuntur seruitutes, & rerum dominia constituta. **Vltimo** argumento respondeo, penes Ecclesiam esse ius priuandi Paganos iure, & imperio, quod habent in Christianos: nam hoc est in rem, & bonum fidei, & religionis Christianæ: & proinde ratio ipsa naturalis præscribit, vt commune bonum priuato anteponatur. Ecclesia itaque diu, & sæpius experta, Christianos Paganorum seruos multa, & magna pericula non solum corporis, sed etiam animæ incurrere, cum facillè cogantur à fide, & religione deficere, aut alia crimina perpetrare, eos iure potest in libertatem asserere, ne tot, & tantis sint periculis, in cõmodis, & malis obiecti.

Tertio queritur, An lex naturalis possit auctoritate diuina tolli, id est, quærere: An Decalogi præcepta Dei nutu remitti, solui, & relaxari queant? De hac re, Theologi in 3. lib. sement. dist. 37. & in 1. dist. 48. Tres opiniones inuenio; primam Scoti afferentis, ea quæ sunt iuris naturalis per se nota, non posse relaxari: quæ verò sunt iuris naturalis deducta tantum necessariò ex per se notis principijs, posse relaxationem accipere. Ex hoc concludit Scotus duo: primum est, indulgentiam diuinam, non cadere in duo prima præcepta primæ tabulæ Decalogi, nempe, de nõ colendo alio præter Deum cultu, & veneratione latræ; & de non vanè iurando per Deum. In cætera omnia præcepta Decalogi, siue illa sint primæ tabulæ, siue secundæ, posse cadere relaxationem. hoc idem Gabriel, Marfilij, & Almainus tradiderunt.

Secunda opinio est Durandi, concedentis posse voluntate diuina mitigari, & temperari duorum præceptorum rigorem, nimirum de honorandis parentibus, & de alio homine non occidendo: cætera verò præcepta relaxari nõ posse. putat enim ille in cæteris esse bonitatem, vel prauitatem intrinsecam; in his verò duobus non item.

Tertia opinio est S. Thomæ in vniuersum docentis, præcepta Decalogi, auctoritate diuina remitti, & solui non posse. Sic quoque Alfridodrensis, Richardus, Bonauentura, Maior, & alij: atque hæc opinio est verior. Ad quod melius percipiendum, animaduertere oportet, relaxationem legis, quam passim Theologi, & iuris vtriusque periti dispensationem appellant, dupliciter accipi. Primo fufius, & lati⁹, & hoc modo quælibet interpretatio, declaratio, vel abrogatio legis ex parte, non ex toto, dicitur relaxatio. Secundo modo sumitur pressus, & restricti⁹, ita vt relaxatio legis fit, cū lege suam vim retinente ab ea aliquis voluntate Principis, eximitur, cum tamen ceteri ea lege teneantur: hoc enim modo Princeps aliquos suis legibus soluit, hoc est, excipit à legibus, quibus alioqui tenebantur. Scotus & alij relaxationem latius, & fufius accepere: S. Thomas pressus, & restrictus, & id eod magis propriè. Exemplum fit: Dei iussu Abrahamus filium suum Isaac immolauit, quod ad se attinet, neci tradens. Scotus ait, Abrahamum hoc factò, diuina indulgentia, & relaxatione legis solutum esse lege de non occidendo innocente: quia Deo id iubente, non eo ipso sublata est lex, at à lege ea in re exceptus est Abrahamus. Verùm S. Thomas hanc legis exceptionem, relaxationem non vocat, quoniam Deus est Dominus vitæ omnium hominum, & proinde vitæ, & necis habet imperium: quare cum iubet quempiam interimi, legem nec ex toto, nec ex parte relaxat, soluit, aut tollit; & idcirco nec ipsum interfectorem excipit à lege, quoniam quando iussu Dei innocens necatur, nihil profus contra legem naturalem admittitur: Vita enim admittitur iussu Dei, penes quem est vitæ, & mortis imperium, & proinde nulla ad id opus est relaxatione legis. Lex enim naturæ nunquam veniit eadem, & necem hominis, quam Deus ipse iubet.

Hoc igitur constituto, probabili⁹, & verior est S. Thomæ sententia, in legem naturalem, indulgentiam diuinam non cadere: nam sicut in rebus ipsis naturalibus id quod per se verum est, non potest non esse verum; cuiusmodi sunt, hominem esse animal, corpus, & substantiam; rerum enim naturæ mutari nequeunt: Sic etiam in moribus ea quæ per se mala sunt, non possunt fieri bona, quia hæc est eorum natura, vt sint rationi aduerfa, & contraria; veluti furtum, adulterium, mendacium. Ergo, sicut nulla auctoritate fieri potest, vt homo non sit animal, corpus, & substantia; ita & fieri nullo modo potest, quin adulterium furtum, homicidium, & mendacium suapte natura sint mala.

At enim his quæ diximus, quædam ab aduersarijs opponuntur. Primum opponit Dur. Deus, inquit, naturales rerum conditiones sæpe mutat; eius enim potestate fit accidens sine subiecto: & fit natura substantialis, qualis est Humana in

Christo Domino, sine propria scilicet hypostasi, persona, & subsistentia. Item, Deo auctore, naturalis rerum cursus aliquando mutatur; quod ostendit multa sæpius à Deo mirabiliter effecta: in moribus potest etiam Deus rei bonæ vel malæ conditiones mutare. Verum id quidem est, naturales rerum conditiones Deo auctore mutari: sed accidentales quas vocant duntaxat, & extrinsecas, quales sunt quæ in argumento ponuntur, minimè autem intrinsecas, & quas appellant substantiales, quia nequit rei natura mutari absque ipsius rei interitu. Idem planè euenit in moribus: accidentia enim, & quæ ex accidenti existunt conditiones bonitatis, vel prauitatis variari possunt: non autem, quæ per se cõueniunt, & intrinsecas, at quod naturali lege est bonum, vel malum, suapte natura est rationi consentaneum, vel dissentaneum. Deinde obijcitur: legislator potest suam legem relaxare, & quos voluerit ea soluere, ergo Deus, qui iuris vel legis omnis naturalis est auctor, & conditor, potest eam si velit, vel ex toto, vel ex parte abrogare. Verum argumento solum concluditur, leges sola diuina voluntate sancitas posse nutu Dei vel ex omni, vel aliqua ex parte mutari, sicut cæterorum Principum voluntate leges à se conditæ aboleri queunt. At verò quod est lege naturali damnatum, non ideo malum est, quia sit lege vetitum, sed potius contra, quia suapte natura cum recta ratione pugnat, lege damnatur. Vt enim in naturalibus hominem esse animal, est res, quæ fieri potest, quia est res per se vera; non autem ideo est vera, quia fieri possit à Deo: ita etiam in moribus, siue lex prohibeat, siue non prohibeat adulterium, vel mendacium, malum suapte natura est adulterium, quia cum ratione pugnant: ergo leges sola hominis voluntate scriptæ, & constitutæ, ideo abrogari, & deleri possunt, quia imperant, aut vetant non id, quod est per se bonum, aut malum, sed solum, quod bonum est, aut malum vi legis, quia lege imperatum, aut interdictum. Lex verò naturalis id iubet, aut prohibet, quod est per se bonum, aut malum. Tertio obijcitur: Si Deus Titio patefaciat ipsum in æternum damnandum, etiam si Titius suam salutem desperet, non peccat; & tamen æternam salutem desperare, est contra rectam rationem: ergo Deus æternam condemnationem Titio patefaciens, eum eximit ab omni peccato, quod contra spem committi potest.

De hoc argumento tractarunt Theo. in 1. sent. d. 48. inter quos aliqui negarunt, posse æternam damnationem Titio diuinitus patefieri, ob absurda, quæ sequuntur in obiecto argumento clara atq; perspicua. Plerique verò concedunt, posse quidem æternam damnationem Titio patefieri, at cõminatoriam tantum illam esse, non autem absolutam, & irreuocabilem: & proinde Titium nequaquam excusari à lege sperandi æternam salutem. Affirmant nonnulli posse reuelari Titio æternum ipsius interitum necessariò, absoluteq; futurum, sed Titium nihilominus teneri legis naturalis præcepto, licet nõ præcepto iuris diuini scripti, quod est, Titium non quidem debere salutem æternam sperare, sed non posse tamen tuta conscientia desperare suam salutem: aliud enim est desperare salutem æternam, quod est rationi cõtrarium,

aliud verò illam non sperare. Mihi tamen videtur facile argumētum posse aliter dissolui, vt dicitur lib. 3. c. vlt. fateor enim primò, posse Titio diuino nutu innotescere æternam damnationem; & nihilominus eum posse, & debere sperare, & inuocare opem Dei, & ipsum precari, vt saluus in æternum sit. Quod vt planius, & apertius intelligatur, sciendum est: tamen si Titio per diuinam reuelationem constaret se cras peccaturum non eo ipso eximeretur à præcepto vitandi peccatum: sicut nec liberatus est Petrus lege, & præcepto cõfiteudi Christi Domini fidẽ, & religionem, etiam postquam prædixit ei Dominus, *Ter me negabis*: quoniam sicut præuisio Dei, qua futurum aliquid prænouit, nihil necessitatis imponit rei, nec aliquid libertatis homini adimit, eo quod præuidet Deus ex seipso, & per seipsum futurum, quatenus est futurum: sic etiam prædictio Dei, qua aliquid futurum prænuñciat, nihil libertatis homini detrahit, nihil rei futuræ necessitatis imponit: quia ideo à Deo prædicatur futura, quia est futura, & non quia prædicatur, ideo est futura. Ex quo efficitur, vt si Titio, Deo reuelante, sit notum, se esse damnandũ, nihil aliud sit prædictum, nisi eum cum graui peccato ex hac vita decessurum, & peccatum eius nequit esse peccatum, nisi eo consentiente commissum. Ergo cum Titio prædicatur sua ipsius damnatio, simul etiã ei prænuñciatur lethale peccatum ab ipso in vltimo vitæ tempore perpetrandum, quapropter à nullo legis præcepto eximitur, cui erat ante subiectus. Eodem modo, si cuiquam Deus notum faceret ipsum esse afficiendum aliqua pœna ob delictum ipsum, liber, & immunis ille nõ esset à vitando quolibet peccato: quia reuelatio eiusmodi pœnæ non aliunde proficiscitur, quàm à præuisio, & prædicto eius peccato: nec peccatum est futurũ nisi eius consensu, & voluntate admittendum. Si verò Deus aliquid patefaciat quod nostrum consensum non requirat, contra illud nos facere nõ possemus, nam hoc ipso diuinæ voluntati resistere, & reluctari videremur. Quarto obijciunt: Mendacium ideo est malum, quoniam qui mentitur, habet voluntatem fallendi: sed Deo auctore possumus alterum fallere, nam Dei iussu possumus ipsum nõ solum bonis spoliare, sed honore etiã, fama, libertate, salute, & vita priuare: & fraus ideo est mala, quia est alteri noxia. Respondet, mendacium esse per se malum, quia in eo consistit, quod asserendo falsum scienter, & sponte dicamus. Et hoc dixit Aug. propositum, & voluntatem esse fallendi alterum, ac propterea mendacium ideo est per se malum, siue sequatur, siue non sequatur fraus alterius: quoniam mendacij deformitas est, quod asserendo falsum dicat, siue noceas vlli, siue prosis. Quintò argumētatur: Genes. 22. Abrahamus, Deo imperante, filium suum neci destinauit; Eodem etiam Deo auctore Hebræi retinuerunt sibi vasa argentea, & aurea, quæ mutuo acceperant ab Aegyptijs: Sampson item impellente Dei Spiritu seipsum occidit: Oseas quoque, Deo præcipiente, accepit mulierem meretricijs amoribus, & actibus deditam, & genuit ex ea filios fornicationum. Item, in Matrimonio sunt duo iuris naturalis præcepta, vñ quidem, vt sit vinculum vnus viri, & vnus vxor-

ris, & tamen in lege veteri, diuinæ Indulgentiæ beneficio multi viri plures simul vxores duxerunt: alterum est, vt matrimonium, sit vinculum suapte natura perpetuum: & tamen Moses, auctore Deo, libellum repudij concessit, quo dato, sequebatur, vt repudiata fœmina alteri nuberet, & vir alteram duceret.

Ad hæc omnia facilis responsio est, Dicimus enim, legem naturalem nec ex toto, nec ex parte esse sublatam, sed solum cessare in eiusmodi causis iam expositis, ob mutationem rei, siue materiæ legi subiectæ. vt hæc firmemus exemplo, Abrahamus ob iussum diuinum, cura conscientia poterat, ac debebat filium immolare, quia Deus liberam habet vitæ, & mortis potestatem, & sicut potest vnumquemque nostrum per seipsum, vel per causas naturales ad id destinatas occidere, sic etiam opera, & ministerio cuiusque perire. Ad id, quod ex libro Exodi obijciatur, respondeo, Hebræos diuino cõcessu, & auctoritate retinuisse sibi pretiosa vasa Aegyptiorum, mutuo accepta citra vllum iniustitiæ peccatum: Deus enim est Dominus omnium bonorum nostrorum, & proinde nutu, & arbitrato suo potest bona vnus in alterius dominium transferre. Et quamuis Deo imperante, Hebræi ab Aegyptijs vasa mutuo petebant, & accipiebant, in eo non peccabant, putabant enim forsitan, vt moris est, ea se suis dominis redduros, verum Deo aliter volente ac melius decernente, postea retinuerunt præter spem omnem: quia eorum bonorum dominium est in ipsos diuino iure ac potestate translatum. Ad illud de Sampson, qui sibi mortem conscieuit, dicimus, nequaquam esse dubitandum, eum absque vlla Dei offensa id fecisse. certè Augustinus eum peccato liberat, & Apostolus ad Hebræos, scribens, eundem recenset inter veteris legis patres quos sanctos vocat, aitque adeptos esse reprobationem: & ipse liber Iudicum aperit testatur, Sampsonem ad id operis, & officij præstatũ, quovñ cum Philistis sibi illudentibus se ipsum ruinis à se concussa domus obruiuit: quasi aliter id se facere posse disideret, diuinam opem implorasse, vt sibi adesset tanta molietas, & vt pristinam sibi fortitudinem restitueret: quod & Deus ipse præstitit pro sua bonitate. Diuino ira que inflicta, non temeritate vlla, audacia, & desperatione, Sampson seipsum necauit. Ad id de Osee, quidam Theologorum, quibus Sorus, & alij subscribunt, respondent, aientes, Prophetam eiusmodi fœmina vsum fuisse etiam sibi non nupta, nec tamen peccasse, quia potuerit Deus, Prophetæ potestatem concedere vtendi ea fœmina etiam in matrimonium non ducta: Deus enim cum sit Dominus corporis cuiusque, facultatem Prophetæ concessit extra matrimonium in fœminæ corpus. Soluunt alij in hunc modum, ita dicentes, eam fœminam esse in matrimonio sancto illi viro diuinitus collocatã, & inter eos verum coniugium intercessisse, eos copulante, & coniungente Deo, absque mutuo ipsorum consensu: nam consensus viri, & vxoris solum est causa efficiens matrimonij, & proinde, quod vir, & vxor per consensum efficiunt, potest Deus sine illorum consensu supplere. Mihi tamen facilior, simplicior, & planior videtur eorum esse sententia,

qui di-

Matth. 26

Aug. lib. de
mendac. c. 3.
c. 4.

Matth. 22

Exod. 11.
c. 12.
Iud. 16.
Osee. 1.

qui dicunt, eos mutuo contentu fuisse matrimo-
nio coniunctos ac copulatos, & Deum fecisse, vt
ij subito consentirent, cum antea nihil de coniu-
gio cogitarent. Illud autem: *Fac tibi filios fornicatio-
num*: Significat, Adopta, siue fac adoptione tuos
eos filios, quos ipsa ex fornicatione suscepit, &
procreauit: aut, quod probabilius est, ex ea filios
generabis, qui impudicam matrem imitati, libi-
dinibus sese multis obligabunt.

Ad alteram obiectionis partem de matrimo-
nio, respondeo inter Theologos, duas esse opi-
niones: prima est asserentium, multitudinem
vorum esse iure naturali, ex natura matrimonij
damnatum: secunda est aientium, non ex natura
rei, sed iure diuino Dei voluntate posito esse in-
terdictam. Verum, quicquid sit de his opinionibus:
multitudo vxorum solum est verita, non quia
directo pugnet cum generatione prolis, qui est
primarius coniugij finis: sed quia pugnat cum
pace, & tranquillitate familiaris, qui est finis mi-
nus principalis. Deus autem potest concedere, vt
vir plures vxores sibi in matrimonio iungat, &
habeat, quia potest etiam Deus ipse per se fami-
liam facile, & commode in pace, quiete, tran-
quillitate & officio continere.

Ad aliud de libello repudij, respondeo etiam
inter Theologos duplicem esse sententiam: qui-
busdam aientibus, libellum repudij iudeis fuisse
permisum impune, vt minus malum, ad id
quod est grauius, & longè deterius, eadem sci-
licet vxorum deuitandum. Sic Glossa ordinaria,
Magister sententiarum, Altiſhodorensis, Lyra-
nus, & his omnibus antiquior Theodoretus:
Alijs contra asserentibus, fuisse tanquam bonum
diuinitus concessum eiusmodi libellum repudij.
Iu Abulensis, Scotus, Durandus, Paludanus, Al-
mainus, Maior. Nam Deuteronomij 24. ait Deus:
*Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inue-
nerit gratiam in oculis eius propter aliquam seditatem,
scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimit-
tet eam de domo sua, Et Malach. 2. Cum odio habueris,
limite, dicit Dominus Deus Israel, quibus locis vide-
tur libellus repudij diuina auctoritate con-
cessus: quod certe est admodum probabile. Vt pro-
inde quibusdam visum fuerit, perpetuitatem
matrimonij non esse lege naturali, sed diuina
constitutam, ea nimirum ratione, quia matri-
monium est Symbolum ac signum coniunctionis,
qua est natura Humana in Christo Domino cū
verbo diuino mirabiliter coniuncta: & Ecclesia
cum ipso Christo tanquam sponso copulata.
Nam Christus Ecclesiam sibi perpetuo nexu so-
ciauit: & ipsa natura humana cū Filio Dei, per-
petuo est vinculo connexa, & consociata. Quam
sententiam si admittimus, facili negotio propo-
sitam obiectionem diluimus: ita nimirum vt di-
camus perpetuitatem matrimonij esse diuinitus
constitutam: nihil tamen hoc facto legi esse natura-
li derogatum, sed legi diuinae. Ceterum potius
probamus aliorum responsum, asserentium mat-
rimonij vinculum esse lege naturali perpetu-
um, & indissolubile: id enim postulat ipsa natu-
ra coniugij, quod est institutum ad procreatio-
nem sobolis: proles autem rectè nutriri, educari,
& institui non potest, nisi perpetuus esset mat-
rimonij nexu. Et nihilominus libello repudij di-*

uinitus concessio, nihil est legi naturali detra-
ctum, quoniam Deo tale coniugis repudium
concedenti cura erat optima prolis educatio:
ipse enim facile, & commode poterat proli con-
sulare, etiam si matrimonium dissolueretur.
Cum ergo tota matrimonij perpetuitas esset
propter bonam prolis educationem: cessante in
vniuersum sine legis, repudio diuina auctori-
tate concessio, vis quoque legis pariter desinebat.
Oppones, repudiata vxor iniuria afficiebatur,
quandoquidem illa in perpetuum sese viro tra-
diderat. Nego fieri illi iniuriam, si quidem lege
semel repudij posita, vxores ducebantur ea con-
ditione, vt certis ex causis repudiari possent: vn-
de vir dote vxori data, eam quasi emebat: vxor
item dote viro tradita, virum sibi quasi compa-
rabat.

Ex dictis etiam perspicitur nihil opus esse, vt
dicamus Deum indulgentia fuisse vsum in per-
mittendis vlturis apud Hebræos exigentes, & ac-
cipientes lucrum ex mutuo, cum pecuniam mu-
tuam Gentibus dabant. Nam etiam si fateamur,
vsum fuisse diuina auctoritate concessam tan-
quam iustam, id Deo tamen auctore factum est,
qui tanquam rerum omnium dominus, potuit
dominium eiusmodi lucri in ludæos legitime
transferre: cum tamen alioqui lege naturali re-
stitui Gentibus deberet.

Quarto Queritur, An lex naturalis possit au-
thoritate humana relaxari? hoc idem est ac si
queratur, An humana indulgentia beneficium
in ea possit cadere, quæ sunt legis naturalis?
Causa quæstionis hæc est, quod legis naturalis
est, votum & iurandum seruare: sed auctori-
tate Pontificia sæpè hæc duo relaxantur. Pre-
terea vltimæ voluntates testatorum, aut in totum,
aut ex parte principum auctoritate tolluntur.
Accedit, quod pater filij, vir vxoris, & Dominus
serui votum, & iurandum irrita faciunt, &
infirmant, & Apostolum Paulum constat
Corinthijs facultatem dedisse matrimonium diri-
mendi, quando alter coniugū conuertebatur ad
Christum, & alter in impietate persistens nole-
bat habitare cum coniuge ad fidem conuerso
citra iniuriam Christi Domini seruatoris.

In hac controuersia sanè graui, & difficili,
communis est omnium Theologorum, & Can-
onici iuris interpretum sententia, non posse quæ
sunt legis naturalis, vllò humane Indulgentiæ
Priuilegio, Beneficio, & auctoritate dissolui:
quod idem etiã ratio ipsa manifestè concludit.
Etenim quæ lege naturali imperantur, aut vetã-
tur, sunt per se, & intrinsecè bona, vel mala, in
quibus mutatio auctoritate humana fieri ne-
quit, cū rei natura variari, & mutari non possit.
Tota igitur cõtrouersia in eo versatur, quo pacto
auctoritate pontificia multi homines, voti & iu-
rurandi nexu vinculoq; soluantur. Aijunt qui-
dam, hoc ideo fieri, quia quotiescūq; se quis voto
vel iureiurando obstringit, excepta censetur Ro-
mani Pontificis auctoritas, & potestas: quæ mihi
sanè soluendi ratio minime satisfacit; hæc enim
ratione posset summus Pontifex solo nutu votū,
& iurandū sine causa dirimere: quod dici ne-
quit, cum causam id idoneam, & iustā requirat.
Alij arbitrantur, ideo votum, & iurandū posse

22. q. 88. a.
10. ad. 3.

Pontificia auctoritate dissolui, quia humana voluntate sint facta, quae Pontificiae potestati subijciuntur, quod quidem alijs etiam dictum minime probatur ob latam paulò antè rationem; eam scilicet, quòd Romanus Pontifex suo possit arbitrari votum, & iusurandum discindere. Aliorum responsio est: Pontificem id facere non auctoritate humana, sed diuina, secundum quam est minister, & Vicarius Christi Domini. At hoc quoque responsum eo argumento conuelli videtur: id enim quaeritur ab istis, unde constet hanc Pontificem habere auctoritatem diuinam? S. Thomas docet deo votum, & iusurandum posse à Pontifice relaxari, quia materia voti, & iusurandi variatur, eo quòd facta sit, vel simpliciter mala, vel uolenti, & iuranti noxia, aut inutilis; vel quia maius bonum impediatur. Ceterum quibusdam etiam hæc sententia minime probatur ob eam rationem, quoniam si voti, vel iusurandi materia talis effecta est, qualem S. Doctor ille describit, eo ipso votum, vel iusurandum tollitur, non quidem Pontificiae Indulgentiae beneficio, sed interpretatione, seu declaratione iuris. Nam quemadmodum cum iusurandum adhibetur, aut votum cum sit, vim & locum non habet, si materia sit mala, noxia vel inutilis, aut si maiori bono officiat, ita etiam, quando post votum Deo nuncupatum materia incipit esse talis, qualè depingit S. Th. m. votum vim suam habere definit. Dicendum tamen arbitror S. Thomæ, quam diximus, sententiã esse verissimam, cuius nimirum ea mès videtur esse, vt doceat voti, vel sacramenti, hoc est, iusurandi religionem siue vinculum, & nexum nunquam posse Pontificia auctoritate solui, nisi ob causam ex ipsa lege naturæ originem trahentem. Hoc vt planius intelligamus, sciendum nobis est, indulgentia Pontificia votum, vel iusurandum relaxari multis in rebus; quæ possunt euenire: *Primo*, quando non constat an votum, vel iusurandum in certa materia vim, & locum habeat; si quidem ambigitur num ea res possit esse voti, vel iusurandi materia; sit nec ne mala, noxia, inutilis; an meliori bono obstat, an non. *Secundo*, cum dubitatur de consensu eius, qui vouet vel iurat; Ambigitur enim, num consensum legitimum præstiterit: cum quis Deo se voto, vel iure iurando alteri obstrinxit. *Tertio*, quando iusurandum interpositum est, aut votum factum ex quadam animi leuitate, perturbatione, infirmitate uel: cuius generis sunt vota, quæ multi solent emittere, aut naufragium passi, aut in graue vitæ periculum, & discrimen adducti; aut Tyranni potentia, vel latronum aut hostium incurfu perterriti. *Quarto*, in poenam eius, qui iusurandum, vel promissionem extorsit. Sic relaxat Ecclesia iusurandum, vel promissionem factam latronibus, vel ijs, qui uisurariam artem exercent; ne delicta maneant impunita. *Quinto*, relaxat itidem Ecclesia eiusmodi obligationes in ijs causis, quas supra S. Th. enumerauit, in quibus locum habet Pontificiae indulgentiae beneficium. Nam si Pontifex non relaxat, ualet iusurandum, ualet votum, ualet promissiones factæ: relaxata uero vim ullã amplius non habent. In ijs uero casibus habet Pontifex auctoritatem, quia subest iusta, & debita

causa ortum ducens ab ipsa naturæ lege; nec scilicet votum & iusurandum, & promissiones, quæ leuiter, aut temerè factæ seruari non solent, in periculum animæ eum qui uouit, promissis, aut iurauit adducant. Tum ne improbi & perditii homines per sceleratam & metum iniectum iusurandum & promissum extorqueant. Obijciat aliquis, si ad voti & iusurandi pontificiam relaxationem causa iusta & debita requiritur, quæ ab ipsa naturæ lege originem trahat, ergo nulla ijs in causis est Pontificis indulgentia, sed solum interpretatio, seu declaratio iuris. Respondet quando votum, vel iusurandum aperte pugnat cum iure naturali, nulla est opus pontificia indulgentia, sed tantum declaratione, aut interpretatione iuris: at uero in ijs casibus, quos supra retulimus, votum, vel iusurandum cum iure naturali non pugnat, sed ratio ipsa naturalis præscribit ijs in causis posse aliquos, indulgentie Pontificie, voti & iusurandi religionem, & vinculum solui. Monet siquidem, & suadet ratio naturalis, in eiusmodi euentibus posse Pontificem habere potius rationem boni communis, quam iusurandi interpositi, aut voti nuncupati Deo, aut promissionis homini factæ: quia tunc facile solent iusurandum, votum, & promissa negligi, & violari: & proinde iudicat Pontifex, satis esse solui homines voti & iusurandi nexu, quam eos tãto expositos manere periculo, quo votum, iusurandum; & promissa perfringant. Quare cù ratio naturalis præscribit, votum iusurandum & promissa cum iure naturali, vel communi & meliori bono pugnare, relaxatione legis nulla opus est, sed iuris declaratione: At quando lex naturalis suadet, votum, iusurandum, & promissum ualere quidem, sed posse haberi rationem boni communis; sicq; posse votum, iusurandum, vel promissa dissolui, quia potest commune bonum præferri eiusmodi obligationibus dictis, tunc opus est relaxatione, non declaratione, aut interpretatione iuris. Pari modo, vltimæ testatorum voluntates iustis de causis Principum auctoritate mutantur: non quia ratio naturalis imperet, vt irritentur; sed quia suadet posse eas Principis beneficio mutari: ita Paulus docuit coniugium inter homines à Christi religione alienos contractum, vno eorum ad Christi fidem conuerso, posse dirimi, si alter in impietate persistens renuat in matrimonio circa Christi iniuriã permanere: tunc enim Apostolus & Ecclesia matrimonium dissoluit ob cõmunẽ omnium bonum: Non quod ratio naturalis præscribat eo ipso coniugium esse dissolutum, tunc enim relaxandi iuris nulla esset necessitas: sed quod suadeat posse Ecclesiam, boni communis habita ratione, matrimonium dirimere. Deniq; ratio naturalis quædam vt faciendã præscribit & imperat, & in his votu, iusurandũ, & promissa nõ ualent. Quædam uero nõ præcipit, vti sunt: sed suadet ac monet ea fieri posse; & in his votu, iusurandũ & promissa facta rata sunt & firma, sed pontificia auctoritate dirimi possunt; Sed quã auctoritate Pontifex uotũ & iusurandum relaxat, humanane an diuinã? Auctoritate nimirum ordinaria, quæ est à Christo domino tam quã vicarius in Ecclesia relicta, hæc obligationes vinculaq; dissoluit. Dices, vo-

de coallat

de conit Pontificem à Christo hanc habuisse potestatem, qua votum & iurandum dissoluat. Id constat traditione & usu communi totius Ecclesie. Si roges iterum, ubi nam à Christo Domino Romanus Pontifex huiusmodi potestatem accepit? Respondeo, eo ipso quo est Vicarius Christi constitutus, creditur accepisse potestatem, qua Christi Domini vice votum & iurandum iustis de causis dissoluat. Item, quia dictum est Petro, tibi dabo claves regni cælorum, & quidquid ligaueris super terram, erit ligatum in cælis, & quidquid solueris super terram, erit solutum in cælis. ergo quem ipse legitime voti, vel iurandi vinculo soluit, Deus quoque soluit in cælis.

Quæres deinde, an ciuiles Principes possint voti & iurandi vinculum relaxare? Si quidem possunt etiam illi vltimas testatorum voluntates mutare. Respondent quidam, Ecclesiam sibi reseruasse voti, & iurandi relaxationem: quomodo etiam reseruauit sibi causas ad matrimonium pertinentes; quia matrimonium est sacramentum. Ecclesia vero nisi hoc ius sibi reseruasset, possent Principes votum & iurandum dirimere: quemadmodum & Principes qui Gentibus dominantur, eis subiectos voti & iurandi religione & vinculo soluant. Sed horum sententia mihi certe minime probatur. Quare dicendum existimo, penes Ecclesiam tantum esse potestatem votum, & iurandum relaxandi, & dirimendi, quoniam votum est promissio Deo facta; & iurando Deum, vt testè adhibemus, at Deo facta promissione, vel homini iurandum interpositum, nemo potest dissoluere nisi auctoritate sibi diuinitus concessa: quam auctoritatem habet Ecclesia à Christo domino instituta; non autem Principes ciuiles, qui à populis iure gentium creatur: est potestas spiritualis, & Ecclesiastica; non profana & ciuilis, & proinde extra Ecclesiam, & Ecclesiasticos preceptos non est. Vltimæ verò voluntates testatorum, & promissiones factæ hominibus, & ceteræ contractæ inter homines obligationes possunt auctoritate Principum ciuiliū mutari, & rescindi, cum ex non sint promissiones Deo factæ. Ex quo fit, vt matrimonium, quod est inter Christianos contractum, nequeat Principum auctoritate dissolui; quamuis, vt suo loco dicitur, si ratum sit nondum consummatum, possit iustis de causis pontificia auctoritate dirimi, at matrimonia inter Paganos inita, quia tantummodo contractus sunt humani iure naturali facti, auctoritate Principum, si iusta causa subsit, mutari, & variari queunt.

Quintò Quæritur, An quæ sunt iuris, vel legis naturalis, sint absolute, & simpliciter immutabilia? Planè sunt immutabilia. Sic enim dicitur in instit. de iure naturali Gentium, & Ciuili, §. Sed & naturalia; & in iure Canonico dist. 5. cap. Itaque quæ: & idè docuit Aristoteles 5. Eth. cap. 7. his verbis: quemadmodum in naturalibus aliqua sunt immutabilia, que nunquam prorsus mutantur, aliqua verò aliquando variantur, exempli gratia, idem inquit Aristoteles, naturale est dexteram esse sinistra robustiorem, & tamen aliquando experimur sinistra esse dextra valentior. Idem in moribus apparet:

nam iuris naturalis est depositum suo domino reddere: quod aliquando mutatur: non enim insano, & furioso reddenda sunt arma deposita.

Quæstio autem proposita in eo præcipuè consistit, vnde fiat, vt aliqua iuris naturalis præcepta sint penitus immutabilia, alia verò mutationi subiecta? rursus, cur eorum præceptorum aliqua relaxari queant, alia non item. nam quicquid est iuris naturalis, per se est bonum, vel malum; & quia suscepta natura tale est, ideo præcipitur, aut prohibetur. Sed quod est per se bonum, vel malum, variari non potest; veluti quod est per se verum, nequit nõ esse verum. Respondeo inter ea, quæ ad ius naturale pertinent, plurimum interesse, nam quædam sunt, quæ generaliter bonitatis, vel prauitatis materiam continent, nimirum hæc quæ subijciam, Bonum est amplectendum: Turpe fugiendum: Amanda est, & colenda Virtus: Castè, siue honestè viuendum, nemini nocendum: Prudenter agendum: Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris. Et hæc quidem, quia generalia sunt rerum agendarum, & fugiendarum principia, sunt prorsus immutabilia; ita vt nullo voquam tempore, nullo loco, nulloque rei euentu ea mutari queant. Alia itidem sunt penitus immutabilia, quia debitum Dei amorem, & cultum præscribunt, & alijs de ferri prohibent. quæ sunt duo illa præcepta primæ tabulæ à Theologis sic dicta, quæ Scotus appellauit omninò indispensabilia. nam hoc ipso quod Deus est, & vnus rerum omnium Dominus supremus, consequntur esse amandum, & colendum ante omnia, nec diuinum cultum, & honorem esse vlli alteri tribuendum: Nec esse vanè per Deum iurandum.

Alia vero sunt iura naturæ mutabilia; quia aliquando, eorum materia cum salute, incolumitate, pace & bono communi, mutato rerum solito cursu & euentu, & variatis rerum circumstantijs pugnat, & proinde ipsius quoque legis naturalis præscripta mutantur, quia comune bonum priuato anteponitur. Hæc ratione fontes necantur: parentibus patriæ proditoribus, & hostibus, debita olim pietas & obseruantia denegatur: introducta sunt bella, quibus pueri, infantes, & ceteri innocentes plerumque trucidantur. Inductæ quoque captiuitates, seruitutes. eodem modo arma furioso deposita denegamus, promissa rescindimus. Aliquando etiam quæ sunt iuris naturalis, bono spirituali aduersantur, & idcirco nos tenere desinunt, quia spirituale bonum bono quoque corporali merito antefertur. Vt exëplis: quia Baptismus est simpliciter necessarius ad salutem paruulorum æternam: inde efficitur, vt paruulo de vita periclitante, debeam eum sacro baptisate ablucere, etiam cum meæ ipsius corporalis vitæ periculo. Ita, & Parocho, cui est animarum salus commissa, facienda propriæ vitæ iactura est tempore sæuientis pestis, vt subditis suis, qui bus egent, sacramenta ministret, nisi officio suo deesse velit, & animarum quæ ipsius fidei, & curæ creditæ sunt facere iacturam. Quæ etiam lege medicus teneretur, curandi scilicet peste laborantes, & ægros visendi, & iuuandi, cum probabili etiam suæ vitæ discrimine, vt commune Reipublicæ bonum, & commodum priuato anteponeret suo. Ita & si mori edem mihi esset, vt alios

in fide, & religione Christiana continerem, & confirmarem, vel ut alios per ignorantiam, errorem, vel infirmitatem peccates docerem, monerem, atq; corrigerem, eorum salus aeterna, vita mea, & salute temporali carior, & antiquior esse deberet.

Aliqua praecepta quae sunt iuris naturalis, possunt saltem auctoritate diuina relaxari, quia scilicet Deus id potest boni supplere, ad quod eiusmodi iura, & praecepta referuntur: qualia sunt à nobis superius dicta, Perpetuitas coniugij, & unitas uxoris. Aliqua insuper quae legis naturalis propria sunt, auctoritate Pontificia mutari, & solui queunt, ob commune bonum facilius tuendum, & conseruandum. Ad eundem quoque modum quaedam iura naturae, Principum ciuiliū auctoritate mutantur, ob communem Reipublicae salutem, & bonum: in ijs enim, ut antè iam dixi, non lex naturalis, sed legis naturalis materia mutatur rerum circumstantijs variatis.

Ex his omnibus perspiciuntur, iura naturalia esse quidem per se immutabilia, hoc est, talia, ut obiecto, sine, & circumstantijs debitis permanentibus, mutari nequeant: ijs verò ex toto, vel ex parte variatis, mutari queant. Exemplum sit Res aliena capi, & usurpari non potest: cum quis tamè extrema egestate premitur, ne omnino pereat, potest tuta conscientia alienum sibi capere, uti extremam inopiam subleuet suam. Deposita reddi domino debent, tamen iam furioso arma deposita minimè sunt reddenda. Nemò sine culpa est ius bonis spoliandus; & tamen lege usucapionis, & praescriptionis multi absque villo delicto, rerum suarum dominio priuantur, vt lites, & controuersae terminentur, & ne dominia bonorum incerta reddantur. Quare cum duo iura naturalia sibi inuicem aduersantur, quorum alterum arctius, & strictius est vinculi, seruandum id est, quod nos arctius tenet, & obligat.

Sextò Quæritur, An omnia Decalogi praecepta sint legis naturalis? Communis est sententia omnium Theologorum, in 3. dist. 37. esse legis, atq; iuris naturalis praecepta: Notandum tamen est, tertium Decalogi praeceptum illud nempe: *Sabbata sanctifices*: partim esse legis naturalis, partim diuinæ, & scriptæ: Est quidè legis naturalis, quatenus præcipitur nobis, vt aliquo tempore, non tamen certo, & definito à ceteris omnibus seruilibus operibus cessemus, & sacris diuinisq; rebus studeamus: est verò diuini iuris, & scripti, quatenus imperatur nobis, vt certum diem ad id constituamus: ac proinde eiusmodi præcepti quatenus lege naturali præscriptum, non est veteris legis abrogatione antiquatum, sed quatenus est iuris diuini, & scripti. Sabbato enim dies Dominica successit, dum pro Sabbato diem dominicum piè, & religiosè colimus.

Septimò Quæritur, An fidei, spei charitatis, & poenitentiae praeceptum pertineat ad legem naturalem, an verò diuinam, & supernaturalem? Sciendum est, praeceptum Fidei esse, quo iubemur tanquam vera, & certa credere, quæ ex testimonio nobis diuino sunt Prophetarum, & Apostolorum ministerio patefacta. Praeceptum spei est, quo nos expectare, & sperare oportet, quæ ad sa-

lutem nostram pertinet sempiternam, quatenus sunt nobis à Deo promissa, & postea eius munere recipienda, vt premia laborum, & operum, quæ diu viuimus, diuinæ gratiæ beneficio, & dono præstamus. Praeceptum charitatis est, quo debemus Deum propter ipsum, ante, & plusquam omnia tamquam amicum nobis amicitiae diuinae vinculo, & nexu coniunctum diligere ob bonitatem nempe, quæ bonus in seipso, & per seipsum est, & noster amicus, gratiæ, & gloriæ autor, & dator. Poenitentiae praeceptum est, quo debemus Deo pro peccatis spontè nostra commissis satisfacere amore, & charitate ipsius Dei, quem nostris peccatis offendimus.

Theologi igitur quatuor huiusmodi praecepta supernaturalia, & diuina appellant, non solum quia non nisi singulari Dei munere, & auxilio ea obire, & exequi possumus: sed etiam quia sunt praecepta de rebus, quæ non nisi Deo patefaciente cognoscuntur, & quibus ad finem supernaturalem dirigimur, atq; perducimur. Quocirca licet iuris naturalis sit, Deo esse credendum, in eo spem ponendam, & eum propter ipsum, ante, & plusquam omnia esse diligendum, eo quod sit omnium bonorum primus, & summus: de peccatis spontè commissis dolere, & Deo satisfacere: at tamen iuris est supernaturalis ea credere, quæ fides Catholica docet, & à Deo expectare, quæ ad spem, vt est virtus Theologica, pertinet, & ea amare, ad quæ nos charitas mouet, & incitat: Deo pro peccatis ipsius amore, & charitate satisfacere. Nam fide credimus, quæ in sacris litteris diuinitus sunt patefacta: & spe expectamus nobis esse reddenda, quæ suis cultoribus, & amicis in sacris litteris Deus ipse promittit: & charitate diligimus, vt amicum nostrum, Deum trinitum & vnum, gratiæ auctorem, & exlestiū æternorumque bonorum largitorem: & poenitentia de peccato dolemus, & pro eo diuini iustitiæ ipsius Dei amore, & charitate satisfacimus.

Octauò Quæritur, Quam lex fuerit ea, sub qua ante legem Moysis scriptam Mundus vixit, & cuiusnam legis obseruatione, tunc homines coram Deo iusti ac probi effecti sint, & tandem salui? Communis est Theologorum sententia, tunc temporis homines sub lege naturali vixisse, quæ sententia quo pacto intelligatur, non est explicari difficile. Obijciunt aliqui, multa quæ ad legem Moysis scriptam spectant, iustos illos temporis homines piè & religiosè seruasse. Nam eo tempore videtur fuisse Sabbati celebritas. Gen. 2. dicitur: *Dei benedixit diei septimo* & sanctificauit illum. Vbi coniunctio & non inusitato scripturæ more, aut sumitur pro, id est: vt verbo, sanctificauit, scriptura explicasse videtur quod antè dixerat, benedixit, aut sumitur pro coniunctione casuali, ita vt sensus sit: benedixit diei septimo, nam sanctificauit illum, hoc est, separatim à ceteris diebus & diuinis vsibus destinatum, sanctum ac celebrem haberi voluit. Genes. 4. Abel & Cain obtulerunt primitias, primos scilicet suorū bonorum fructus. Genes. 7. munda animalia ab immundis distinguuntur, & ex mundis septena sunt in arcam ingressa, ex immundis bina. Gen. 9. conceditur homini vsus carniū, ac subiungitur: *excepto quod carnem eius sanguinem ne non comeditis.*

Ergo id temporis datum fuit præceptum de abstinendo à suffocati animalis, siue sanguinis esu. Genesis 14. Abraham spoliatorum, quæ de hostibus bello victis ceperat, decimas obrulit Melchisede cho sacerdoti. Genes 17. Abraham quoque datum est diuinitus præceptum circumcisionis, & Genes 15. cum Abraham immolasset quadrupedes animantes & turtorem & colubam, quadrupedes diuisit, volucres non secuit, Genes 38. mortuo primogenito Iudæ, relictam sine liberis uxorem secundus filius in matrimonium duxit, vt suscitaret semen fratri suo. Ibidem Iudæ auctoritate, Thamar condemnatur ad ignem, eò, quod cù desponsata esset tertio eius filio, adulterium admisisse putabatur. Atqui, omnia hæc, scriptæ legis præcepta fuerunt, & tamen eo tempore obseruabantur: non igitur homines sub sola naturæ lege viuiebant. Tunc etiam peccatum originis à primo parente transmissum in posteros, aliquo adhibito remedio expiatur, quod lege naturali institutum non erat, sed diuina. Postremo, homines ea ætate non sine fide Christi venturi, peccatorum veniam, iusticiam, & sanctitatem consequiebantur: ergo non sub lege naturæ tantummodo, sed sub lege etiam Christi viuiebant.

Inter scriptores duæ sunt de Sabbati obseruatione, & de mundorum animantium ab immundis distinctione, sententiæ variæ & diuersæ. A iur quidam, Sabbati cultum, & venerationem id temporis nullam fuisse, nullam item mundorū ab immundis differentiam. quare quod dicitur Gene. 2. de die Sabbati, *Et sanctificauit illum*, Volunt dictum esse per Occupationem, non quod tunc coli cœperit dies Sabbati, sed postea: Pari quoque modo Genes 7. illud de mundis, & immundis animantibus, dictum esse per eandem figuram Occupationis intelligunt, vt munda dicta sint animalia, quæ postea lex per Moysen data, ab immundis discreuit. Porro alij sentiunt hæc ante legem quidem Moysis ab illis patribus antiquis obseruata fuisse, at in Aegypto apud Hebræos in obliuionem, & desuetudinem venisse. Sed certè quicquid sit de his duobus præceptis, de ceteris, quæ è scriptura produximus; non est dubitandum, illis temporibus ea fuisse seruata. Quare dicendum arbitror, totum illud tempus ante scriptam legem Moysis, tribui legi naturali: quia etsi multa, quæ postea lex scripta constituit, eo tempore seruarentur, seruabantur tamè illa non vi alicuius scriptæ ac positæ legis, sed more, & instituto Maiorum. Primi enim homines suis liberis, ac posteris multa exemplo, institutione, ac more tradiderunt. Item, quamuis etiam Abraham fuerit Circumcisionis præceptum diuinitus datum, nihilominus totum illud tempus dicitur sub lege naturæ fluxisse; non quia nullum aliud præceptum seruaretur nisi legis naturalis; sed quia nondum erat lex Moysis scripta. Hinc etiam apparet, quo pacto sub lege naturæ mundus tunc temporis vixisse dicatur; cum tamen peccatum originis in paruulis non nisi aliquo remedio, quod diuina instituisset prouidentia, deleteretur; & homines; non fierent iusti, & sancti absque fide Christi venturi, quoniam etsi præceptum Fidei fuerit, quo aliquid super-

naturale credere homines cogebantur, lex tamè scripta non erat. Dicitur ergo illud tempus fuisse legis naturalis, quia magna ex parte sub ea lege viuiebatur, quamuis aliqua diuini, ac supernaturalis iuris præcepta seruarentur, vel instituto, & consuetudine Maiorum, vel iussu etiam Dei. Quare nullo vnquam tempore per solam legis naturalis obseruationem homines facti sunt iusti coram Deo, sed per fidem, gratiã, & merita Christi Domini, quem venturum esse credebant.

Cap. II.

De lege diuina veteri, & noua.

Quæritur primò, quæ lex, Diuina nomine intelligatur? Dicimus, Diuinam legem vocari, quam Deus proximè per seipsum imposuit: nã hac ratione à naturali lege distinguitur, quòd hanc Deus tanquam naturæ auctor constituit, vnde eam per naturam condit, ac ponit: at Diuinam legem, nõ per naturam, sed præter, & supra naturam tradit, Verbi gratia, iubet Deus parentibus honorem deferre, egentium inopiam subleuare, depositum reddere, cuique suum ius tribuere: sed hæc per ipsam rationis, & intelligentiæ humanæ naturam præscribit, ac præcipit: at quod decima bonorum pars Sacerdotibus soluatur, quod octauo die infans circumcidatur; quod sacra Baptismatis vnda abluamur, non per naturam, sed per legem datam, nouam, aut veterem, Deus ipse imperauit.

Secundò Quæritur, Quo pacto lex vetus à Deo lata esse dicatur; cum tamen etiam in Scripturis legamus esse datam per Angelos, & esse latam à Moysè? cum Ezechielis itidem 20. dicatur esse lex non bona? ait enim Deus de Iudæis; *Deditis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuunt: & Petrus iugum appellat*, quod nec nos, inquit, nec patres nostri portare potuimus. Dicimus, eam legem esse datam à Deo, ministerio tamen Angeli, qui nomine, & auctoritate Dei cum Moysè loquebatur, & quia Deū ipsum referens, eius vice & munere fungebatur, passim in sacris litteris Dominus perhibetur. Et quia deinde Moyses legem latam à Deo, ministerio Angeli acceptam populo promulgauit, tradidit, explicuit, scripsit, idèò dicitur lex Moysis.

Eorū verò, quæ prætulimus ex Ezechiele verborū sensus hic est. Comminatur Deus se grauius puniturū populum suum, eò quod eius præcepta neglexerit, leges & iura perfrigerit: Et idèò, inquit, dedi, præterito pro futuro sumpto, id est, dabo eis præcepta non bona, quasi dicat; Tradam eos in manus, & potestatem dominorū, qui eos durè, & acerbè trahent, & imponant eis tributa, & onera grauiora, leges asperas, & intolerabiles. *Et iudicia, in quibus non viuunt*: Hoc est dicere; Quia mea præcepta seruare noluerunt, quorū obseruatione hac vita fruerebantur, si vellent; idèò subiiciam eos seruituti eorum, qui ipsis præcepta dabunt, quorum tamen obseruatio nõ dabit eis, quã tantopere vitam desiderant. Petrus verò Apostolus iugum ipsam legem appellat: quia quid faciendum, quid fugiendum, docebat quidem illa; auxilium verò, & opem ad bonum faciendum, & malum deuittandum minimè præstabat.

Act. 7. Gal. 3.

Act. 15.



Tertio Quæritur, Quot genera Præceptorum lex vetus contineret? Tria præceptorum genera, quorum alia ad singularum vitam, & mores componendos, & formandos pertinebant, & ideo Moralia dicuntur: Alia verò ad Cæremonias, & ritus religionis, quæ debitus Deo cultus honor, & veneratio deferretur: & vocantur Cærimonialia præcepta: Alia denique spectabant ad bonam Reipublicæ administrationem civilem, quibus humana civium salus, pax, & tranquillitas conferuatur, & hæc Iudicialia præcepta nominantur. Quo fit, vt in sacris litteris sæpè hæc tria coniungantur: Præcepta, Cæremonia, Iudicia. Primum, (vt diximus) ad mores refertur: Secundum ad ritus, & cæremonias sacrorum: Tertium, ad civilem populi gubernationem. Omnis enim bene instituta Respublica tria præceptorum genera continet: alia quidem quæ ad singularum civium mores; alia, quæ ad Religionem, alia, quæ ad Rempublicam pertinent.

Quarto Quæritur, An lex vetus eam coequebat, & seruantibus tantummodo temporaria, siue terrena, vt præminim, & mercedem promitteret? Olim Faustus Manichæus legem veterem respuebat, quia naturam tantum, non cælum promittebat. Cui Augustinus respondere libro quarto contra Faustum, capite secundo: Temporalium quidem, inquit, rerum promissiones testamento veteri contineri, & ideo vetus testamentum appellari, ne nos nostrum ambigit: eo quod æternæ vitæ promissio, regnumque cælorum ad nouum pertinet testamentum: Sed in illis temporalibus, figurat fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos finis sæculorum obuenit, non suspicio mea, sed Apostolicum intellectus, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur: Hæc omnia figura nostri fuerunt. Et iterum: Hæc omnia in figura contingebant illis.

1. Cor. 10.

Non ergo vetus testamentum, ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis noui testamenti prænuntiationes, ac præminim, idem Augustinus libro 18. de Ciuitate Dei cap. 11. ait: Vetus dicitur testamentum, quia promissiones terrenas habet: & per Iesum Christum futurum fuerat testamentum nouum, quo regnum cælorum promitteretur: hunc enim ordinem seruari oportebat. Sicut in nouo quoque homine, qui in Deum proficit, id agitur, quod ait Apostolus: vt non sit prius, quod spiritale est, sed quod animale, postea verò spiritale. Hæc ille. Sed hæc veteris, & noui testamenti differentia, non est sic intelligenda, vt vetus testamentum cultoribus suis solum terrena promitteret, aut tanquam vltimum bonorum operum præmium: Sed quòd lex vetus terrena bona promittebat, quibus ad eius obseruationem inuitabat, alliciebat, & mouebat hominum voluntates. Solet enim quisque talibus promissis incitari, & flecti. Contra verò, lex noua, potius hortatur homines ad paupertatem, & bonorum temporalium abdicacionem, ad honoris, dignitatis, & potentia contemptionem. Lex vetus ipsam obseruantibus promittebat vitæ longitudinem, liberorum procreacionem, fructuum è terra nascentium vbertatem, & copiam, terram melle, lacte, frumento, vino, & oleo abundantem. At non obtemperantibus legi, comminabatur huius quoque vitæ mala, & incòmoda, vt sic detererentur à malo. Vndè idem Augustinus in libro contra Adimantium Manichæi discipulum, capite tertio, docet in veteri quoque testa-

1. Cor. 15.

mento apud Isaiam Prophetam promitti spado nibus eadem, quæ in nouo testamento Eunuchis promittuntur à Christo. Nam sicut Christus dicit esse quosdam, qui seipso castrauerunt propter regnum cælorum, sic Isaias dicit: Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint præcepta mea, & elegerint sibi, quæ ego volo, & capaces fuerint testamenti mei, dabo illis in domo mea, & in muro meo locum nominatissimum, meliorem multò filiorum, & filiarum: nomen æternum dabo illis, neque vnquam deerit. Et subiungit Augustinus: Certis quibusdam vmbri, & figuris rerum ante Domini aduentum, secundum mirabilem, atque ordinatissimum distributionem temporum populus ille tenebatur, qui testamentum vetus accepit. Tanta prædicatione, & prænuntiatione noui testamenti est, vt nulla in Euangelica, atque Apostolica disciplina reperiantur quamuis ardua, & diuina præcepta, & promissa, quæ illis etiam libris veteribus desint. Hæc ibi, quæ postea idem Augustinus libro 1. Retractionum cap. 22. sic corrigat. Quod dixi, vt nulla in Euangelica, atque Apostolica disciplina reperiantur, quamuis ardua, & diuina præcepta, & promissa, quæ illis etiam libris veteribus desint, ad dandum erat, atque dicendum: Vt per nullam Euangelicam, atque Apostolicam doctrinam reperiantur, quamuis ardua, & diuina præcepta, quæ illis etiam libris veteribus desint. Quid est enim, quod in sermone Euangelico in monte Dominus dicit: Audistis quia dictum est antiqui hoc. Ego autem dico vobis hoc: nihil ipse amplius præcepit, quam præceptum est in illis veteribus libris. Deinde regnum cælorum illi populo fuisse promissum, non legitur in his, quæ promissa sunt lege data per Moysen in monte Sinai. Primitiue figure discutiantur, omnia ibi Prophetata reperiantur, quæ sunt præsentata, vel expectantur præsentanda per Christum. Verumtamen propter quedam præcepta non figurata, sed propria, quæ non in veteri testamento, sed in nouo instituantur, parcius, & moderatius diceretur, præ nulla hic esse, quæ non sint, & illis. Hactenus ex Augustino. Dubitari non potest, quin in Penateucho, hoc est, in quinque libris Moysis, spiritalia bona, licet non tam manifestè, quam in nouo testamento promittantur. Nam de Abraham scriptum est, creauit Abram Deus, & reputatum est illi ad iustitiam: & ibi aut ter dictum est illi: In semine tuo bene dicentur omnes gentes, quod explicauit Apostolus: in semine tuo inquit, qui est Christus Abraham quæque dixit Deus. Ego protector tuus sum, & merces tua magnanimitas, quasi dicat, Amplissima te manet tuæ fidei, & obedientia merces, qui meo auxilio steteris reges potentissimos deuicisti. Deinde, dicitur, nequit, in alijs quoque veteris testamenti libris spiritalia bona promitti, hominesque eam legem fidei, obedientia, & charitate colentes, & seruantes, fuisse donatos gratia Dei, quæ iusti coram Deo fierent, & huius mortalitatis vitæ vinculis exoluti, impiorum pœnas euaderent, vt tandem promissio, & destinatio tempore cum Christo Domino in cælum euolarent. Vndè illud regij propheta, In memoria æterna erit iustus; & Tobia Senioris, Et Tobia liij Sanctorum sanctorum, & vitam illam expectauerit, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam moram ab eo; idem supra dixerat, eleemosyna ab emat peccata, Tobia, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Sapientia Eodem tendit illud Sapientie: stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiantur, & reliq. lib. Eodem quoque illud Sancti Iob: Scio, quod Redemptor meus uiuini. & in nouissima die de terra resurrectorum sum, & rursus circumdabo pelle meam, & in carne mea ui-

debo De.

debo Deum. Daniel itidem: *Multi de his, qui dormiunt in terra pulvere, erigilabunt: alij in vitam eternam, alij in opprobrium, ut videant semper.* In Actis etiam Apostolorum Sadducai perhibentur negasse resurrectionem mortuorum, quam ceteri Iudaeorum credebant. Differentia itaque, quam inter vetus testamentum, & nouum Augustinus constituit, est, quod Moyses in lege à Deo data terrena bona proponebat, quibus incitaretur, ac moueretur populus ille ad eam custodiendam, & implendam: comminabaturque huius vitae mala, quibus à legis contemptione auocaretur. Sub typis verò, vmbri, & figuris spiritalia, & æterna bona lex illa continebat. At in noua lege Christus nos excitat, ac mouet ad eam seruandam, promittendo planè, & apertè sine typis, & vmbri bona spiritalia, cælestia, & sempiterna.

Cap. III.

De Legibus, & Præceptis Hebræo populo in lege veteri datis, primum generalium, deinde speciatim.

Primo Queritur, Quot genera Præceptorum in veteri lege ad religionis, diuinique cultus ceremonias, ac ritus pertinuerint? S. Tho. 1.2. quæst. 101. art. 4. ea omnia præcepta reuocat, & contrahit ad quatuor. *Alia, inquit, sunt data præcepta de sacrificijs alia de Sacris, alia de Sacramentis, alia de obseruantijs.* Sacrificia appellat, quibus res aliqua ad eum apta Deo offerri videtur, in qua sacri aliquid fiebat. Sacramenta verò, quæ signa erant rei alicuius sacræ vt fuerunt circucisio, immolatio agni Paschalis, Vnctio, & consecratio Pontificis. Sacra, nominat ille, res vnctione, vel consecratione, sacræ, ac diuinis vsibus destinatas cuiusmodi res fuerunt tabernaculum, templum, altare, arca foederis, vasa, vestes Pontificum, vel Sacerdotum, dierum festorum celebritates. Obseruantias vocat ea, quæ in alijs rebus obseruabantur, vt erant cibi mundi ab immundis discreti, ieiunia Nazæorum, vota, & alia generis eiusdem. Sed sanè parui refert his, an illis nominibus hæc, & alia vocentur, modo intelligamus præcepta Cæremonialia dici, quæcumque ad religionem Deo debitam pertinebant. qualia erant sacrificia, & cetera, quæ actione aliqua res sacræ, id est, Diuinis vsibus deputatæ reddebantur, quarum alix ad personas, alix ad loca, alix ad dies certos, & tempora, alix ad vasa, & vestes, alix ad certas actiones recto ordine spectabant.

Secundo Queritur, An præcepta veteris legis ad sacræ Cæremontas pertinentia, rerum futurarum solum significationem continent, an verò etiam causam aliquam historicam, & literalem? Quidam censent; multorum præceptorum non fuisse causam aliquam literalem, sed tantum mysticam: ita vt Deus multa fieri iussit ob solum significationem rerum futurarum. At S. Thomas 1.2. quæst. 102. art. 2. docet in huiusmodi præceptis, & fuisse typos, & vmbas rerum futurarum, & etiam causam aliquam literalem, & historicam: nam idem est de his præceptis, quod de ceteris veteris testamenti historijs; at historiæ fuerunt res in illo vetere populo verè gestæ; & fuerunt vmbæ, & figuræ rerum futurarum. Ea item præcepta, præterquam quod da-

ta sunt ad res futuras adumbrandas, fuerunt etiam tradita ad Iudæorum populum in vero Deo cultu, & religione debita continentum. Præterea, quamuis aliquorum præceptorum lateat nos aliquando causa literalis, & historica; non continuo tamen inde efficitur, vt nulla sit. multa enim sunt, & sunt in natura, quorum causas, & rationes ignoramus. Quis enim neget, Circucisionem esse institutam tanquam signum, quo Iudæi à gentibus discernentur. Nam etiam si data sit tanquam typus quidam, & figura Baptismi, & tanquam signum, quo Hebræi fidem Christi venturi profiterentur: nihilominus tamè, quia Deus sibi Hebræorum populū delegerat, voluit pariter eos certo signo distingui & discerni tanquam milites ei ad militiâ obstrictos, & tanquam ciues in suum populū receptos, & adscriptos. Sic etiam voluit sibi sacrificia offerri de animalibus, quæ immolarentur, vt significaretur morte animalium homines sua peccata redimere: animalia enim pro peccatis macabantur, cum tamen homines ipsi peccando, non animalia, mortem mererentur. Sanguis igitur animalium fusus, typus erat, & figura sanguinis Christi fundèdi, & nihilominus erat quoque redemptio sanguinis peccatum hominum, qui fundi deberet, nisi eum Deus pro sua bonitate cum animalium sanguine commutasset. Voluit etiam Deus, vt in templo mensa esset, in qua duodecim panes ponerentur, qui octauo quoque die renouarentur, vt nunquam deessent, nec tamen putrescerent, & ferebant duodecim illi panes, duodecim tribus Israelis; quas singulari sua prouidentia Deus alebat, & sustentabat, significabant quoque ciuibus, quo Leuitæ, & Sacerdotes Dei beneficio sustentabantur. Voluit, & in templo Arcam foederis collocari; tum vt in ea lex ipsa asseruaretur, tum vt esset veluti parata sedes, ex qua Angelus Dei nomine loqueretur. Idem quoque de ceteris diceodum, vt inferius explicabo.

Tertio Queritur, Quoniam veteris legis præcepta vocentur iudicialia? Ea omnia nimirum, quæ ad optimam Reipublicæ administrationem pertinebant. Res enim publica constat familijs, magistratibus, ducibus, & alijs priuatis hominibus tū liberis, tū seruis: constat etiã hominibus quibusdã Deo consecratis, & alijs profanis. Sunt & in ea aduena, externi, & peregrini, & incolæ, indigenæ. Oportuit namque de his omnibus præcepta dari, quibus, & familiæ gubernaretur, & Magistratus suo munere fungerentur, & priuatorum quisque in suo officio contineretur.

Quarto Queritur, An causa reddi possit, ob quã singula præcepta iudicialia tradita sint illi populo? Quidã arbitrantur, dictorū præceptorū nullã subesse causam historicam, & literalem, sed tantum typicam, siue mysticam. Nam multa, inquit, præcipiuntur in veteri testamto, quæ, mystica significatione semota, videntur esse vilia, & ridiculã in quibus vnum illud est: *Non alligabis os bonis seruantijs: vt taceam cetera.*

At enim S. Tho. 1.2. quæst. 104. art. 2. apertè docet, horum etiam præceptorum causam historicam minimè desuisse, tametsi ea non raro nos latere videatur. Nam præcepta fuerunt ad optimè eam Reipublicam gubernandam,

Leuit. 24.

Deut. 15.

ac proinde cum moribus illius gentis congruentia, ut singulatim postea docebo.

Quinto Queritur; An iudicialia veteris legis præcepta ad certa quædam genera, & capita reuocari queant? Respondeo, posse ad quatuor, nempe ea quæ sequuntur. Etenim bona Reipublicæ administratio partim consistit in Principe, qui præest, cuius est non solum dominari, sed etiam iura reddere, leges dare, Magistratus instituire, imperare, prohibere, punire: Partim in Magistratibus, quorum est singulis ius dicere, lites componere, controuersias dirimere, in fontes animaduertere, innocentes absolueret: Partim in Ciuibus, ad quos pertinet, suo Principi, legibus, & Magistratibus parere, & cum cæteris ciuibus pacem, humanitatem, charitatem, beneuolentiam, cõcordiam seruare, & suæ familiæ benè præesse: Partim etiam in externis hominibus, cuiusmodi sunt aduenæ, & peregrini. Vnde in lege veteri sunt data præcepta de Rege, ac Principe, de Magistratibus, atque Iudicibus, de priuatis ciuibus, item de externis, nimirum aduenis, & peregrinis. Item de seruis, ac liberis hominibus, de filiis, de parentibus, de propinquis, & de contractibus ineundis.

Cap. III.

P R A E C E P T A

De Rege eligendo, & creando.

Primo Queritur, Quanam fuerit prima, & antiqua gubernationis in Israelitico populo forma? Respondeo; nusquam præcepisse Deum populo suo, ut Regem eligeret & haberet: voluit potius per Iudices, & Sacerdotes, quàm per Reges Rempublicam Israeliticam administrari. Nouerat nimirum Deus, nimiam Regum potentiam facile in seuitiã verti, & Reges ipsos à suis Maioribus degenerare, & tyrannos euadere. Gubernauit igitur Deus populum à se electum, primum ductu Moysis, qui principio sine iudicibus, & Magistratibus volentem populum, ac Senatum ad consilia vocabat; eisdem iura reddebat. Postea focii sui tethro consilij, & monitis elegit septuaginta duos Seniores, ex singulis tribubus sex, qui leuiora negocia curarēt. Moysi successit Iosue populi dux, & Imperator. Deinde administrauit Deus eandem rem publicam opera, & ministerio Iudicum, hoc est, Gubernatorum; hi enim dicebantur Iudices, quod penes eos esse auctoritas, & potestas dicendi ius, & Reipublicam moderandi, sed non nisi iuxta ipsius legis datæ præscriptum: vnde eorum potestas nõ erat regia, & arbitraria, sed iuxta Moysis leges, & instituta. Diademate aut scepro, sicuti Reges nimirum utebantur: Hereditarij non erant, sed partim consilio, & auctoritate prudentum hominum creabantur, partim singulari Dei uocatiõne designati eligebantur: Bella suscipiebant, gerebant, ius dicebant, sed in omnibus Moysis legem sequebantur: tributa non imponebant, ut Reges; nihilque etiam, ut Reges, arbitrato suo iudicabant, sed omnia uti lex ipsa præscribit, decernebant, & idcirco i. Regum. 8. cum populus à Samuele Regem sibi flagitasset, ne Gentibus scilicet hac etiam in parte inferiores viderentur, dixit Deus Samueli: *Audi uocem populj in omnibus,*

que loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iudices enim Rempublicam administrabant ex præscripto legis diuinitus datæ, Reges uero nutu, & imperio suo.

Secundo Queritur, quæ esset ratio Reipublicæ administrandæ, qua per Iudices populus Israeliticus regebatur? Respondeo, eam fuisse mixtã ex Aristocratia, & Democratia: vnus quidem præficietur tanquam optimus, sed promiscuè ex populo, qui toti Reipublicæ præerat: at Monarcha, siue rex non erat, quia, ut dixi, non arbitrato suo, sed ex legis præscripto omnia facere debebat. Et quia isti Iudices electione populi, vel saltem eius consensu creabantur, eatenus erat quodammodo Democratia, qua ex populo aliqui præficiuntur, modò hi, modò illi. Et quia non nisi probi viri in Iudices eligebantur, ideo secundum eam partem erat quædam ratio Aristocratiz, qua boni ratione probitatis, & integritatis Reipublicæ præstant.

Tertio Queritur, quanam fuerint præcepta de Rege creando tradita? Nequaquam præcepit Deus uti Rex Hebræis præficeretur; constituit tamen, ut si quando illi more Gentium Regem sibi præficerent, eum diligenter cum octo, aut nouem conditionibus, quæ habentur Deuteronomij 17. Prima conditio ea fuit, ut non nisi Dei consilio, & nutu crearetur, nimirum, ne esset in populo seditio, dum Rex eligeretur. Secunda conditio: ut non externus, sed Hebræus rex constitueretur: ut scilicet hæc ratio Rex populum sibi subiectum diligeret, & vicissim diligeretur à populo, & ne ciues induceret ad alias leges, aliam uè religionem. Tertia conditio, ut cum regnum accepisset, non multiplicaret sibi equos, nec amplum equitatum compararet. Ita fiebat, ne esset bellorum amator, sed pacis, & quietis studiosus, & omnis prorsus ludæis tollebat occasio eundi in Aegyptum, vnde equi comparabantur. Quarta: ne multiplicaret sibi uxores; ne hæc videlicet occasione nimirum ille distraheretur à regni negocijs; & ne filios multiplicando, esset oneri populo. Quinta: ne auri argentique copiam sibi pararet, atque cumularet; id autem eò pertinebat, ne Rex populum expularet, si aurius esset, & lucri cupidus. Sexta: ut curaret sibi describi exemplar diuinæ legis quam castigatissimum, hoc est, ad exemplar eorum, qui erant legis periti, quales erant Sacerdotes & Leuitæ, ut sic ille assuesceret Deum suum timere, reuereri: ac disceret seruare omnia legis mandata, & quod rectum est, iudicare. Septima conditio: ut exemplar illud legis sic descriptum apud se haberet, & in eo legeret cunctis lux vitæ diebus; nempe, ut bene præstet, & Rempublicam administraret. Octaua: ne extolleret cor suum, hoc est, ne ciues sibi subditos contemneret, vexaret, opprimeret. Nona: ne vnquam ab æquo, & iusto deflecteret; ut ita enique ius sum tribueret.

Quarto Queritur, quid est quod i. Regum 8. dicitur: *Hoc erit im Regis qui imperatorum est nobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis (hoc est, præficiet) facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum: & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & milites legationum, & fabros armorum, & currum suorum.* vult dicere,

ex eis faciet sibi fabros ferrarios, & fabros lignarios. *Illius quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & forarias, calmaras, & panificas, hoc est, pistrices. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueia optima tollet, & dabit seruis suis, sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit vt det Eunuchis, & famulis suis, seruos etiam vestros, & ancillas, iuuenes optimos, & asinos asferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit: vos quoque eritis ei serui.* Sunt qui existiment, hæc omnia quæ ibi referuntur, Regibus esse concessa perinde ac si essent iura regalia, & Regis omnia bona postea esse, ita vt ipse sit Dominus omnium nostrorum bonorum mobilium, se mouentium, & stabilium. Sed longè præstat eorum sententia dicentium, ea omnia ibi referri tanquam per ironiam dicta: volebat enim Deus populum suum à Rege petèdo, & creâdo abstrahere; vnde dicebat, *Hic erit Rex, quem vobis peti sibi, & efflagitastis:* nimirum ille hæc, & hæc faciet: videte ergo quales solent esse Regis mores, his enim moribus, & hac consuetudine vtentur erga vos Reges: aut ea locum habere, quando publica necessitas postulet, alioqui tyrannica iura sunt, non regia.

Cap. V.

P R A E C E P T A

De equitate, & charitate inter ciues tenenda, & conseruanda.

Primo quaeritur, ad quamnam capita potissimum reuocari queant Præcepta de ciuibus data? Ad tria reuocantur capita. Alia enim data sunt, vt ciues bene Principibus suis ac Magistratibus parerent. Alia, vt inter se communem pacem, & concordiam, & beneuolentiam alerent, fonerent & conseruarent. Alia, vt bene suæ familiæ præssent, & rem domesticam ad ministrarent. Deutero, capite 22. quædam præcepta traduntur ad mutuam inter ipsos beneuolentiam conciliandam, & tuendam apta, & apposita, hæc nimirum: *Non videbis, inquit, bouem fratris tui, aut uem errantem, & perieribis: sed reduces fratris tui & cet. duces in domum tuam, & erunt apud te quædam ea quærat frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & vestimento, & de omni re fratris tui, que perierit: si inuenieris eam, ne negligas eam quasi alienam. Itè, illud quod sequitur. Si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse in via, non despicies. Sed subleuabis eum eo.* Nimirum charitas, teste Apostolo, considerat quæ aliorum sunt: eius est vis propria vt quisque non quaerat quæ sua sunt, sed que alterius. Ibidem præcipitur: *vt vir & sumina distinctis vestibus utantur: ne vir scilicet foeminea, nec foemina virili veste induatur: nimirum vt occasio multorum malorum è medio tum in vitis, tum in foeminis penitus tolleretur, & pax cõseruaretur, & quia apud gentes quædam erat in more positum, vt viri Dei sacrificantes vterentur foemineis vestibus & foemina virilibus indumentis, vt testatur S. Tho. 1. 2. quæst. 102. ar. 6. ad 8. Ibidem quoque præcipit lex, vt qui in arbore, vel in terra nidum auis inueniret, & matrem pullis vel ouis incubantem, is caperet sibi tantum pullos vel oua, & matrem liberè abire sineret. Ita fiebat, ne plurimum Reipublicæ, & communi bono noceret:*

nam si matrem quoque sibi sumeret, procreationem auium impediret: tum etiam quia presentibus rebus & bonis ita vti debemus, vt alijs aliquid relinquamus, non nobis omnia sumamus. Fortassis etiam malefici & venefici vtebantur in suis maleficijs veneficijsque matre & pullis eius simul captis; aut etiam augurium faustum credebatur matrem simul & pullos inuenire; & inhumanum itidem videtur, matrem nihil sibi metuentem capere vna cum pullis. Eodem quoque loci sic est: *Cum edificaueris, domum nouam, facies murum tecti per circuitum.* Scilicet in Palestina domus habebant tecta plana, in quibus deambulare, prandere, cœnare, saltare, & ludere Palæstini solebant. Vnde Christus dixit: *Quod in aure auditis predicare super tecta, & paralyticum effosso tecto per regulas demissum legimus.* Vt igitur omne casus & damni periculum summoueretur à proximo statutum est, vt tecta domorum per circuitum extructo muro fabricarentur. Ibidem hæc lex continetur: *Non arabis in boue simul & asino.* quod decretum eò quoque spectabat, vt illa erga proximum charitas seruaretur, vt æquitas in omnibus teneretur. Aliquando enim ad arandum bos vel asinus conuolui solebat, & bouem conuolui supponebat quis iugo cum proprio asino, & boui totum onus imponebat: aut contra, asinum conuolui ad arandum cum proprio boue iungebat; cum tamen asinus infirmum alioqui animal, cum robustiore boue nequaquam conueniret. huius rei gratia cautum est, ne araretur in boue & asino. Et lex vniuersim intelligebatur, ne asinus cum boue iungeretur ad currum trahendum, aut alia onera deportanda: & generaliter ne diuersi generis animalia ad similia onera iungerentur. Item, vt intelligeremus non permiscenda munda cum immundis, nec sacra profanis. Item, onera esse æqualiter diuidenda: rationem esse habendam virum cuiusque.

Item: *Non serues vineam tuam altero semine: ne semenis quam seuisi, & que nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur, id est, polluantur.* quorsum hoc? vt omnis proles occasio aut malè decimam soluendi, aut partem fructus alteri debitam reddèdi tolleretur. quisque enim ex fructibus decimam soluere debebat. Quod si agro & terræ diuersa semina mandarent, aut ex vno fructu tantummodo decimam soluerent, quasi ex fructu ex vno agro collecto, aut saltem decimam mixtam ex diuersis fructibus; ac proinde vitio affectam soluerent. Idem quoque erat, si ex fructu partem alteri deberent. Aut hæc lex ideo data est, quia Iudæi agros conducebant, immo etiam si emerent, ad tempus tantum emebant ex legis præscripto, nempe ad annum quinquagesimum: ac propterea prohibendum fuit, ne diuersa semina agri onerarentur, quibus nempe vt nimum laborantes defatigantur, cum tamen ad suos essent dominos anno quinquagesimo redituri.

Eodem loco præceptum datur, ne quis vtatur vestimento, quod ex lana, & lino contextum est. *Leuiticorum 19. Fesse, inquit, que ex duobus texta est, non indueris.* Id enim poterat esse, vel quia, vt ait Ioseph. libro quarto Antiquit. capite sexto

Matth. 23.
Matth. 9.

S. Tho. lo-
co supra citato.

S. Tho. ibi
ad 8. arg.

ca vestig

ea vestis solis sacerdotibus conveniebat, erat enim vestis sacerdotalis sacerdotum propria, vel fortassis quia apud Gentes suis diis sacrificantes in usu erat vestis ex lana & lino texta.

Deuteronomij 23. præcipitur, ut si quis vineam alterius ingrederetur, vvas liberè comederet, pro sui animi voto; sed extra in sporta racemos nullos efferret; ut omnis scilicet occasio nocendi graviter proximo submoveretur. Ibidem: *Si intraveris, inquit, segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres; falce autem non metes.* Loquitur de messoribus lex ad metendum conductis, quibus concedit, ut si quid efferre velint, manu colligant, non falce. Cavit deinde lex, ne segetes falce colligerentur, ut omnem ansam proximo damnium inferendi præcideret. Præcepta charitatis sunt hæc, quibus moneatur, ut contenti simus rebus presentibus, & quæ supersunt, relinquamus, ut alij quoque habeant, quibus fruantur. Extant & leges civiles de benevolentia, eò pertinentes, ut alter alteri sit commodo & usui, ut velit amicorum omnia esse communia. Hinc etiam Deuteronomij præceptum est, ut manipuli per oblivionem omitti, vel neglecti, vel oliuz & vuarum racemi pauperibus, pupillis, viduis, & aduenis relinquerentur. Hinc etiam Exodi 23. præcipit lex, ne septimo quoque anno seminent, aut colant vineas, oliucta, aut agros alios: & idèd quæ spontè nascantur ex terra, eo anno relinquantur in agro, vt ea ederent pauperes. Et Deuteronomij 14. constituitur, vt singulo tertio quoque anno ex omnibus, quæ à terra quisque colligeret, decimam partem pauperibus, viduis, pupillis, peregrinis & Leuitis reseruet.

Deuteronomij quoque 25. Lex est: *Non eligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* Quod Paulus Apostolus rectè intellexit, ita scilicet, vt quisque ex labore suo viuat, & minister, sui operis & laboris mercedem & stipendium habeat. Hebræi sæpè boues conductos habebant ad suas fruges terendas: præcipit ergo lex, vt eos tamen alienos, benè tractarent, perinde ac suos, ac proinde nec eis necessaria denegarent. Quo docentur Principes, & domini ministris suis necessaria ad vitæ vsus subûdia & alimenta præbere.

Cap. VI.

P R A E C E P T A

De Alienationibus & venditionibus.

Leuitici 25. statuitur, vt agri & domus, ac ceteræ possessiones non nisi ad certum tempus venderentur, ita vt anno quinquagesimo ad venditores redirent: Vnde quòd annus quinquagesimus propior erat, eò minoris possessiones vendebantur: & quo remotior, pluris, vt in eodem capite legitur. Quod Lex ideo præcepit, vt hereditates, quibus & Iudæorum tribus, & familie dignoscantur, separatè semper manerent. Tum etiam ne aliorum bona alij possiderent, & locupletarentur, alijs in egestate re-

daclis. Deinde ne sortes in terra promissionis singulis tribubus assignatæ permiscerentur, si ad alias tribus transirent: nam eo ipso familie confunderentur, quæ sortibus inter noscebantur, & qui habebat agrum in tribu Iudæ, in ea tribu censebatur, atque ita in reliquis; & propterea ad veterem dominum possessione redeunte, quisque etiam ad suam tribum & familiam reuertebatur. Tandiu in tribu Iudæ numerabatur aliquis, quandiu in illius sorte possessionem habebat, etiam si esset ex alia tribu: reuertente vero possessione ad virum ex tribu Iudæ, ipse quoque qui emerat eam, reuertebatur ad suam tribum; hoc est, desinebat in tribu Iudæ numerari, & censebatur in sua vera tribu: & possessionem venditam propinquus venditoris poterat redimere ante quinquagesimum annum, quia sanctus, & utilius erat, vt ipse eam haberet, quam extraneus, eam enim, vt propinquus, melius adimpleret & coleret. Si quis tamen vendebat domum sitam in vrbe muris cincta, poterat intra anni spatium redimere: ipso vero non redimente, poterat aliquis ex propinquis eius id facere. Quòd si nec ipse, nec propinquus intra annum redimeret, non amplius poterat etiam in anno quinquagesimo, sed ad emptorem, & eius posterum in perpetuum pertinebat: vt habetur in eodem capite Leuitici. Quod ideo factum est, quoniam per possessiones, quæ sitæ erant in vrbus muro circumdatis, non fiebat distinctio tribuum, & familiarum: nam Leuitici datæ sunt vrbes, vt haberent domos, in quibus habitarent: *Numerorum 35. Josue 21.* & tamen, vt constat *Numerorum 13.* Leuiticæ nullas possessiones habuerunt, quoniam loco possessionum assignata sunt eis iura decimarum, primitiarum, & oblationum. Sed si in villis & oppidis muro non munitis, quæ erant in agris, domus vendebantur etiam si intra annum non redimerentur, postea tamen in anno quinquagesimo vnâ cum ceteris possessionibus & agris ad dominum redibant, ac ita fiebat, vt pauciores domini domos suas venderent in vrbus muro circumdatis: & ideo vrbes magna hominum frequentia habitabantur, quoniam domus villarum facile vendebantur cum agris. Quod ideo fuit lege decretum; vt vrbes citium frequentia cohonestarentur: nam cum domus villarum facile venderentur, eo quòd anno quinquagesimo essent ad venditores reditura: conlequens erat vt ex villis multi ad vrbes conlegrarent. Aedes tamen Leuitarum, quæ erant in huiusmodi vrbus, semper redimi poterant; quòd si non redimerentur, reuertebantur ad dominos suos in anno quinquagesimo, vt eodem capite legitur, eo quòd Leuitarum domus voluit Deus, vt id privilegij haberent: nam rationi est maximè consentaneum, vt homines Deo sacri & dicati certis quibusdam privilegijs ornentur, & gaudeant.

Præterea in eodem capite hæc lex continetur: *Non seruis* (scilicet in anno quinquagesimo) *uxore metris suæ in agro nascens, & primitias vendens non colligens ab sanctificatione Iudæi, sed struas ables comedens.* Sensus est: Non feminabitis, nec seruabitis, aut vinum ex vuis facietis, sed quæ colligitis, & auferetis ex nascetibus fonte, sua stram electis.

Voluit

Cor. 9.

Matth. 10.

Luc. 9.

Voluit Deus, vt anno quinquagesimo post septem hebdomadas completas communes essent terræ fructus sua sponte nascentes, vt eo anno tantundem pauperes colligere possent, quantum diuites, eodem etiã anno, vt colligi potest Exod. 21. & testam Ioseph. lib. 3. Antiquita. cap. 10. serui, qui anno septimo seruitutem adhuc non euaserant, quia ipsi noluerant, anno quinquagesimo dimittebantur, ac ita pristinam recuperabant libertatem, & vnã cum eis vxores & liberi, quos in seruitute genuerant, libertate donabantur, hoc intelligebatur de seruis Hebræis; nam qui serui erant ex Gentibus, perpetua seruitute tenebantur, vt suo loco dicam inferius.

Eodem item capite statuit lex: vt quodcumque aliquis ante quinquagesimum annum redimeret possessionem suam, quam emptori vendiderat, soluere tantum cogere tur reliquum pretium, quod ab emptore acceperat, computando in fortem fructus omnes, quos emptor perceperat ex possessione empta, Verbi grati; Ruben agrum suum vendiderat Iudæ tribus millibus aureorum, ad triginta annos, qui supererant vsque ad annum quinquagesimum iubileum, post exactos verò quinque annos, à venditione, redimere volebat agrum suum, solum debebat reddere Iudæ emptori bis mille, & quingentos aureos, quoniam Iudas lege ipsa cogebatur computare in fortem fructus quingentorum aureorum, quos perceperat in quinque annis, ex agro, quem emerat à Ruben: nam singulis annis respondebant fructus centum annorum ex agro vendito ad triginta annos tribus millibus aureis. Lex erat æquissima, quia possessiones non in perpetuum, sed ad tempus vendebantur, & potius fructus agrum, quam proprietatem emebatur, aut potius pecuniam mutuo dabat emptor, & tanquam pignus agrum accipiebat. Item, vt memores simus, nos bona, quæ possidemus, aliquando reliquos.

Item, Deuteronomij 19. & Leuitici 19. Lex est huiusmodi: Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modus maior & minor. Pondera habebis iustum & verum. Lex est hæc iustitiæ & æquitatis plenissima, ad cauendas incredibilem nequitias, fraudes & artes in mercibus permutandis, vendendis, emendis, soluendis, siue reddendis. Vnde Salomon: Pondera & statera, iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi. Lapidibus in sacculo afferuatis distinguebant Hebræi diuersa ponderum genera. Et rursum: Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius; & Michæas: Nunquid iustificabo stateram iniquam, & sacculi pondera dolosa, in quibus ditites repleti sunt iniquitate?

Cap. VII.

P R A E C E P T A

De mutuo.

Deuteronomij 25. Lex erat, vt septimo quoque anno debita remitteretur ciuibus Hebræis, qui scilicet soluendo non erant: quantum repeti iure possent ab externis, peregrin-

nis, & aduenis. Et ibidem: Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, ad pauperem deuenierit, non obdurabis cor tuum, nec contrahas manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.

Deuteronomij 23 habetur hæc lex: Non sanerabis fratri tuo ad vsuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Permisit Deus Iudæis, vt vsuras ab externis peterent & acciperent: prohibuit tamen eas ab alijs Hebræis exigere. Sed dubiæ questionis est, an illis permisit vsuras à gentibus accipere, vt minus malum ad plura & maiora mala euitanda, an vero vt honum? Dux sunt opinioniones, vna affirmat permisisse vt minus malum. S. Thom. Secunda Secunda. quest. 78. artic. 1. Altera dicit permisisse vt bonum. Gabr. in 4. distinct. 15. quest. 11. art. 1. nota. 6. & Mai. 4. dist. 35. quest. 29. Med. de rebus restit. ex vsura. quest. 2. Vtraque opinio est probabilis, vt docet Antonin. par. 2. cit. 1. cap. 7. §. 2. Couar. libro 3. varia. resolu. cap. 1. num. 7. Sciendum est, vsuram esse prohibitam iure naturali, & diuino, in vtroque testamento, & Canonico, vt in suo loco dicemus, & licet is, qui exigit & accipit vsuras grauius peccet: non tamen peccatis, qui petit mutuum ab eo, quem nouit non nisi cum scelerore daturum mutuum. item, peccant grauius, qui statuto condito, vel sententia lata vel opera suafaciunt, vt vsuræ soluantur, vel cum repetuntur, faciunt ne restituantur. Clemen. 1. de vsu. nec vlla consuetudo contra hoc, vim & locum habere potest: cum sit corruptela contra ius naturale & diuinum, vt suo in loco dicam. Secus vero est, si princeps aliquis impunè tantum permittat in locis sibi subiectis Iudæis subditis vsuras accipere: aut statuat, ne immoderatas, aut ne vltra certam quantitatem exigant, aut ne iudicio non det actionem repetentibus vsuras, quas sua sponte antè soluerunt. De his singulis suo loco plenius disputabo.

Exodi 22. Si quis à proximo suo animal commodato acceperat, vel conduxerat, æstimationem reddere cogebatur, si absente domino delictatum, mortuum uè esset: domino uero præsentem, ad id non compellebatur, quamuis mercedem conducti animalis soluere debebat. Ratio huius legis erat, quia si præsentem domino perierat, ipsi imputandum erat, eò quod rem suam seruare posset: at si eo absente id mali acciderat, commodatarius vel conductor damnum restituere cogebatur, quoniam probabiliter credebatur in culpa fuisse.

Cap. VIII.

P R A E C E P T A

De pignore.

Deuteronomij 24. ita iubet Lex: Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam: quia animam suam apposuit tibi. Præcipit sub exemplo vtriusque molæ necessariæ ad molendum triticum, sine quo homo non alitur, non sustentatur & uiuit, ne loco pignoris accipiatur aliquid eorum, quæ sunt ad victum necessaria: quia animam suam, inquit, apposuit tibi quasi dicat, vitam suam periculo obicit. Ibidem:

Non auferes pignoris loco viduae vestimentum. Et paulo superius: cum repetes à proximo tuo rem quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit: Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum. His legibus cōceditur repetitio priorum bonorum: sed omnino interdicitur violentia, nam nisi repetitio priorum fieret, aleretur & foueretur otiosorum hominum nequitia, & exhaurirentur piorum & bonorum hominum facultates: quæ duo mala & incommoda ferre non debet magistratus.

Cap. IX.

P R A E C E P T A

De Locato, & Conducto.

Deuteronomij 24. & Leuitici 19. lex præcipit. Non negabis mercedem indigentis, vel pauperis tui, siue aduenæ qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum: quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clanes contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.

Cap. X.

P R A E C E P T A

De deposito.

Exodi 20. lex continetur de rebus depositis. Si quis, inquit, proximo suo animal, videlicet asinum, bouem, vel agnum, vel quodcumque aliud iumentum custodiendum commendauerit, & mortuum fuerit, nimirum casu, aut debilitatum, aut captum ab hostibus id nemine vidente, solum iurare cogetur is, cui est animal commendatum se nullam in eo culpam admisisse, & ei iuranti, dominus rei depositæ fidem habeat. Quod si furto fuerit iumentum ablatum, reddet estimationem illius depositarius; quoniam tunc probabiliter credi poterat eum in culpa fuisse, quippe qui rem alienam depositam non ea fide & diligentia custodierit, qua suam. hæc enim furto surrepta non est, sicut illa, suo vitio & negligentia. Idem iuris erat, de auro, argento, vase, vel alia qualibet re apud proximum deposita.

Sequitur ibidem alia lex: Si iumentum depositum captum à bestia fuerit, dilaniatum, denotatumque, id depositarius alicuius testimonio probabit, & estimationem iumentum non restituet.

Cap. XI.

De præceptis, ad bella suscipienda & gerenda pertinentibus.

Deuteronomij 20. leges feruntur modum & rationem continentes, quo bella suscipi à Iudeis, & geri debebant. Illud igitur primum eis erat obseruandum; vt quamuis hostium potentiorum & copiosiorum exercitum viderent, nihil formidarent, & spem suam & fiduciam in Dei ope & auxilio firmè collocarent. Deinde, vt imminente iam bello, sacerdos accederet & loqueretur ad populum, hortans eum,

vt ne animo esset remisso & deiecto, nil metueret neque trepidaret: haud dubiè Deum in medio sui populi ac gentis affuturum, qui cum & ab hostibus eriperet, & omni periculo & malo liberaret. Postea, vt bellij ipsius duces ac præfecti populum alloquerentur, eique palam & aperte denunciarent, vt qui domum nouam extruxerat, & non dedicauerat, hoc est, in ea nondum habitare cœperat, rediret ad domum suam: & qui vineam plantauerat, & nondum fecerat eam communem; hoc est, nondum vindemiauerat eam, nondum fructibus eius vesci, vt, & gaudere cœperat (siquidem ante quintum annum fas non erat vti fructu cuiusvis rei plantare, vt patet ex Leuitici capite 19. Vnde cū incipiebat frui ea re dominus, dicebatur res fieri communis) ad domum suam reuenteretur. Et qui sibi vxorem desponderat, & nondum acceperat eam, hoc est, nondum eam in domum suam deduxerat, rediret ad suos. nimirum hi omnes demittebantur vt ad bellum inepti, aut saltem vt minus idonei, quia earum rerum studio & amore tenebantur, ac proinde belli ac mortis pericula pertimescere solebant; armis depositis sese fuga proriebant, ne res, quarum amore capti erant, amitterent. Item, vt qui timido ac paulo animo erant, reuenterentur in patriam, veluti ad bellum inepti; hi enim belli pericula fugiunt, pugnam recusant, cæteros suo exemplo ad fugam inuitant, hostibus animos addunt, tandem illis iter ad victoriam sternunt.

His prædictis, lex præcipit, vt duces aciem instruant cum hoste pugnaturi; & cum accesserint ad ciuitatem oppugnandam, pacem primum offerant per legatos & nuncios, hoc est, eam ad deditionem inuitent: quam pacem si voluerit, omnis populus, qui in ea inuentus fuerit, seruetur, ita vt sit tributarius: at si noluerit, hoc est, deditionem recusauerit, oppugnetur, obsideatur, quatandem Dei auxilio capta, occidentur omnes masculi, quippe qui probabiliter creduntur arma cepisse & pugnasse contra populum Dei, præterea tamen foeminae & pueri tamquam innocentibus, & iumentis in ea inuentis, vt potè quæ vobis vsui & commodo esse poterunt: & omnia spolia diuidantur in milites, tamquam bona communia ipsorum labore, industria, opera, & virtute parata. Hæc præcipiebat lex, vt fierent in ijs ciuitatibus; quæ plurimum distabant à Iudeis. At de ijs, inquit, ciuitatibus, quæ dabantur tibi, hoc est, quæ sunt eorum populorum, quos tibi Deus dedit in hereditatem, nullum sues vivere; nimirum ex Hethæis, Ammorhæis, Chananæis, Gergesæis, Heuæis, Pherezæis, Iebusæis, hos nimirum populos bello victos iubebat lex necari, quoniam & eorum delicta graua & atrocia sic Deus eos puniebat, tum quòd in medio Hebræorum habitantes, capitali Hebræorum odio nunquam erant carituri, sed tamquam sudes in eorum oculis futuri. Præcipit quoque lex, vt cum Iudei ciuitatem multo tempore obsederint, arbores pomiferas non succidant, quia seruiunt victui hominis: incidant arbores siluestres, ex quibus extrui possunt propugnacula, ac machinæ bellicæ.

Deuteronomij 24. præcipitur, vt qui duxerit nouam vxorem, non cogatur ad bellum procedere, nec vllum publicum negocium suscipere, sed domi suæ maneat anno integrò immunis & liber à bello, & omni officio publico. Lex est æquitatis & vtilitatis publicæ ciuilibus, vt ita Respublica augeatur prole & familijs. quod non fieret, se statim maritus à nuptijs abstractus, bello & periculis objiceretur. nam multa coniugia intermitterentur. Annus ille erat lætitiæ, ad quod Christus alludens: *Quandiu, inquit, filij sponsa cum suo sunt, iugere non possunt.*

Cap. XII.

P R A E C E P T A

De vxoribus ducendis, & nuptijs contrahendis.

Prohibuit lex Deuteronomij 7. ex Gentibus vxores ducere; ne scilicet earum studio, & opera à verò Dei cultu & religione seducti viri, vel vxores auerterentur; & seuerius coniugia cum finitimis gentibus, eo quod facilius poterant ab illis decipi, & perueriti. Permittebat tamen lex Deuteronomij 21. vt Hebræus Ethnicam foeminam in vxorem duceret, si abiecto idolorum cultu, & legem Iudæorum professa, sese illi adiungeret. Vnde (vt proxime nominato loco dicitur) foemina Gentilis bello capta, non aliter in vxorem duci permittebatur, nisi prius rafa caesarie, & præcisus vnguibus & veste in qua capta erat deposita, & postquam patrem & matrem per integrum mensem deplorasset. Fortassis vt his lustrationibus munda & sancta reddita, ad populum sanctum adiungeretur oblita generis & cognationis suæ: aut ne fortè Iudæus obtrinitum, vnguim & vestium ornatum temere mulierem adamasset, & vt per horum spoliatio nem probaretur; an vanus amor esset, & qui ad perpetuum coniugij vinculum minus idoneus esset: aut fortassis vt ea puella lugubres sor des, & funebrem corporis habitum suscipiens, triginta diebus parentes desleret & amicos, quos in bello perdiderat, & postea veluti tristitia & luctu fatiata, ad epulas, gaudia, & nuptias conuerteretur.

Deuteronomij etiam 25. statuitur; vt si quis, nimirum primogenitus, moreretur vxore absque filijs relicta, eam vxorem frater duceret, vt fratris mortui semen suscitaret; ac proinde primogenitus ex ea filius susceperet, fratris sui mortui filius censeretur, & haberetur (& nominè, inquit, fratris mortui vocabitur) hoc est, succedet in nomen eius, ita vt illius filius habeatur, & ad eum ipsius hæreditas pertineat, quod si frater eam in matrimonium non duxisset, statutum lege erat, vt eam sibi vxorem adiungeret propinquus. Causa huius legis hæc erat præcipua; vt hæreditates in ipsijs familijs perpetuo manerent; ac proinde, si frater vel propinquus semen fratris mortui non suscitaret, eius hæreditas ad aliam familiam transfiret. Item, ne vidua relicta, omni solatio, & subsidio destituta

maneret; ac vt luctus eius & moeror aliqua ex parte leuaretur, & propinqui eius qui obierat, consolationem acciperent.

Præterea permittit lex Deuteronomij 24. vt marito fas esset vxorem dimittere, & diuortium facere; ita tamen, vt ei repudij libellum scripto traderet, quo fateretur se eam eiecere & repudiare, & dare liberam facultatem abeundi quo vellet. Graue & periculosum est apud te semper habere, quem odio prosequaris hinc enim multa mala oriuntur. Vnde voluit Deus potius diuortium & repudium permittere, quam mala quæ ex tali odio sequuntur, tolerare; ne viri temere suas vxores occiderent. Quo etiam iure foeminas in officio continuit; quæ molestiores viris suis parebant, ne repudiarentur. Repudiatam foeminam antequam alteri nubere, poterat vir sibi conciliare: postquam verò alteri nupsisset, non poterat eam vxorem ducere; etiam si à secundo marito repudiata fuisset, aut vidua relicta, quia cum secundo virorem habuerat, & polluta fuerat. Aequissima lex, quæ virum simul & vxorem multabat: Vxorem quidem in repudio, quod meruerat; virum verò, quia facile vxorem repudauerat, & ne mariti remere vxores abicerent. Pollutam foeminam hoc in loco Scriptura vocat eam, quam secundus maritus, cognouerat: *abominabilis facta est coram Domino.* Non significat, vt Caietanus annotauit, rem detestabilem fecisse foeminam, quæ repudiata alteri nupsisset; sed maritum rem execrabilem facere, qui primùm repudiatam à se vxorem duceret, postquam cum secundo marito rem habuerat: nam id Deus prohibebat, eo quod repudium simulatum & fictum videri posset; & quia facile mariti vxores repellerent, si fas esset, post secundas nuptias contractas ab vxore repudiata ad primas redire.

Item Numerorum 36. Lex ista continetur: *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, & cuncta feminae de eadem tribu maritos accipient.* Erat igitur lex, vt foemina non nubere, nisi viro eiusdem tribus, & familiæ, & vir non duceret vxorem, nisi ex eadem tribu & familia. Vbi annotandum, in Hebraica lectione dici: *Omnia feminae, quæ in hereditate paterna successerit, nubet viro ex eadem tribu & familia.* Vnde non erat legis generale præceptum, vt omnis foemina maritum acciperet ex eadem tribu, & cognatione, sed quæ esset hæres: foemina autem hæres non erat, quæ fratrem habebat: filius enim in hæreditate paterna succedebat exclusa foemina: filio vero deficiente, foemina succedebat. Item non solum lege præcipiebatur, vt omnis foemina, quæ hæres honorum esset, nubere viro suæ tribus, sed etiam suæ familiæ.

Obijcies, generatim dici in vulgata Latina editione: *Cuncta feminae, de eadem tribu maritos accipient.* Deinde, solum dicitur, de eadem tribu, non additur de eadem cognatione, & familia. Respondeo immeritò latinum vulgatum interpretem hoc in loco reprehendendam quibusdam, nam quamuis vniuersè dicatur, *cuncta feminae*, statim tamen subiungitur ratio, & causa legis; nempe, vt hæreditas permaneat in familijs, nec simul misceantur tribus, sed ita maneant, vt

neant, ut à Domino separatae sunt. Ergo subiecta legis ratio indicat, legem non esse generaliter latam, sed de foeminis, quae hereditatem à parentibus acciperent. Ea insuper legis causa docet, legem, qua dicitur: *Cunctae faminae de eadem tribu maritos accipient*: esse intelligendam non solum de eadem tribu sed etiam de eadem familia, quoniam causa redditur: *Ut hereditas permaneat in familia*, praefertim cum prius dixerit: *Omnnes viri ducunt uxores de tribu & cognatione sua*. Ergo cum dicitur: *Et cunctae faminae maritos accipient de eadem tribu*: repeti debet quod per Eclipsin subicitur: *Et cognatione*, ex quo perspicitur viris ac foeminis ex tribu Leuitica, licuisse coniugia contrahere cum ijs qui erant ex qualibet alia tribu, eo quod tribus Leuitica hereditates non habebat, & foeminis cuiuslibet tribus, quae haeredes non erant, licebat viros sibi adiungere ex qualibet alia tribu.

Item Leuiticorum 18. lex fertur, qua coniugia inter certa personarum genera prohibentur, nempe, inter matrem & filium; inter uxorem seu concubinam patris, & filium ipsius patris, inter sororem & fratrem, inter nepotem & amyram, siue materteram, hoc est, sororem patris, & sororem matris.

Prohibet quoque lex connubium inire cum uxore patris, cum sorore uxoris: quae ut commodius intelligamus, totam legem referemus.

Vetantur ibidem coniugia inter tredecim personarum consanguinitate vel affinitate coniuncta genera. **Primo** cum matre in illis verbis: *Turpitudinem patris tui, & matris tuae non discooperies*. Vt si diceret, *Quam pater tuus detexit turpitudinem, ne tu detegas*, nimirum, ne ad matrem tuam accedas, ne cum matre rem habeas. **Quares**, an haec lex prohibeat accessum filiae ad patrem, an solum filij ad matrem? Quidam opinantur utrumque accessum interdici, & damnari connubium filiae cum patre, **Primo**, quia Scriptura dicit: *Turpitudinem patris tui, & matris tuae non discooperies*. **Secundo**, quia idem gradus cognationis est inter filium & matrem, qui inter filiam & patrem. **Ceterum** B. Ambrosius & Augustinus intelligunt his prohiberi explicitè solum coniugium cum matre; implicitè verò damnari quoque connubium cum patre, quoniam hoc etiam natura execratur. Et in his verbis: *Turpitudinem patris tui, & matris tuae non discooperies*, particula, & ponitur expositionis gratia, ut frequenter accipi solet in Scriptura, & sensus est, Turpitudinem patris tui, id est, turpitudinem matris tuae, quam pater tuus detexit, sic Caietanus, Lyranus, Abulensis, Vatablus. Et ex altera parte absurdum est magis connubium filij cum matre, quam filiae cum patre, quia mater iure cognationis est filiae superior; quae tamen iure coniugij cum filio subiecta esset: at in coniugio filiae cum patre, filia utroque iure subijceretur.

Secundo, cum uxore patris coniugium prohibetur, hoc est, cum nouerca, siue repudiata, à patre dum viuit, siue relicta à patre demortuo, in illis verbis, *Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies*.

Tertio, cum sorore siue ex patre, siue ex matre, quae domi vel foris est genita, hoc est, siue ex

tra matrimonium, siue in matrimonio suscepta: vel ut Chaldaeus Paraphrasis vertit, *Quae genita est à patre tuo ex altera uxore, aut à matre tua ex altera viro*. Sed cur non dixit lex Turpitudinem sororis tuae ex patre & matre non reuelabis? Respondet Augustinus quia multo magis, inquit, natura detestatur coniugium cum sorore ex utroque parente, quam connubium cum sorore ex altero tantum parente: & ideo lex vetuit explicitè quod minus est malum, ut implicitè intelligeretur prohibitum, quod longè detestius & peius est malum.

Quarto, cum nepte ex filia, in illis verbis: *Turpitudinem filiae filij tui, vel neptis ex filia non reuelabis*, hoc est, neptis ex filio tuo, aut ex filia tua.

Quinto, cum filia uxoris patris, hoc est, cum filia nouerca, illis verbis: *Turpitudinem filiae uxoris patris tui, &c.*

Sexto, cum sorore patris, hoc est, cum amyra illis verbis: *Turpitudinem sororis patris tui*.

Septimo, Cum sorore matris, hoc est, cum matertera, illis verbis: *Turpitudinem sororis matris tuae*.

Octauo, Cum uxore patris, illis verbis, *Turpitudinem patris tui, &c.* hoc est, uxorem, quam cognouit patris tuus non ducas, videlicet, siue relicta eo iam mortuo, siue repudiata ab eo, dum viuit.

Nono, cum uxore, hoc est, uxore filij, nimirum, siue relicta post mortem eius, siue repudiata ab eo, dum viuit.

Decimo, cum uxore fratris, nempe vel repudiata eo adhuc viuente, vel cum liberis relicta post obitum eius.

Vndecimo, cum filia uxoris, hoc est, cum matre & filia eius, id est, cum priuigna.

Duodecimo, cum nepte ex filio, vel filio uxoris.

Decimotertio, cum sorore uxoris, hoc est, cum duabus sororibus, dum ambae viuunt; nam altera earum mortua, licebit superstitem in uxorem ducere, in toto eo capite est Hebraeus frequens, Turpitudinem, vel nuditatem foeminae huius vel illius non reuelabis, siue non detegas, Latine diceretur, verecunda huius vel illius foeminae non deteges, hoc est, cum eam non habeas. Nuditatem Hebraica lingua in viro, vel foemina vocat eam corporis partem, quam natura celauit, & quam occultatam cupimus. Latinus interpres vertit turpitudinem.

Item ibidem lege prohibetur accessus ad foeminam adhuc in menstruo profluuio, videlicet, & quia natura, & quia proli plurimum nocet talis accessus ad foeminam; ideo Leuiticorum 20. morte puniatur, & Ezechielis 18. & 22. reprehenditur. Interdicitur etiam accessus ad foeminam nuptam alteri, quia sit proximi uxoris, & alienus torus violatur. Item, nefarius cum altero nasculo, vel cum iumento, aut pecude congressus, quia terra ipsa polluitur, & tantum scelus execratur, & tam improbos habitatores eiecit studet, & cupit, veluti Romachus corruptor cibos euomit.

Interdicebatur coniugium cum amyra vel matertera. Dubitant nonnulli an intelligeretur quoque coniugium interdictum cum patruo vel auunculo, hoc est, An sicut lex prohibebat connubium inter consobrinum, & sororem pa-

Ambr. epi.
de lib. 9.
Aug. q. 58.
in Leuitic.

rem patris, hoc est amyta, vel matris, hoc est, materem, sic etiam inter consobrinam, & fratrem patris, vel matris, id est, patruum, vel auunculum. Quidam affirmant, quidam negant quoniam primum exprimitur Leuiticorum 18. secundum non item. Ambrosius tamen ad Paternum scribens, ait, coniugium cum patruo, vel cum auunculo esse Leuiticorum 18. interdictum: quoniam lex vetuit connubium cum amyta, vel cum matertera: ergo pari ratione implicite prohibuit matrimonium cum patruo, vel cum auunculo. Deinde etiam, quia lex inquit, naturam damnauit vtrumque connubium. Ac S. Thomas in 4. distict. 39. questione 1. art. 1. & 2. 2. quest. 154. art. 9. docet Leuiticorum 18. feminas natu maiores contrahere non posse cum consobrinis, quia sorores patris, aut matris solent in eadem domo cum pueris consobrinis commorari; & ideo si contrahere possent, periculum oriretur incestus: fratres vero parentum cum consobrinis puellis in eadem domo habitare non consueuerunt. Addunt alij aliam rationem; plus naturam horrere, vt consobrinus, qui subijci debet amyta, vel materteræ, eam ducat vxorem, quæ eo ipso iure connubij debet esse subiecta. Si tamen consobrina nubat patruo, vel auunculo, vtroque iure, & connubij, & cognationis subesset.

Prohibebatur coniugium cum vxore patris, licet non esset mater, hæc enim est vxor patris, quæ quamuis à patre repudiata posset alteri nubere, non tamen priuigino. Sed dubitant quidam, an mortuo patre, liceret filio eam sibi matrimonio coniungere; quæ fuerat vxor patris, non mater ipsius filij; & putant id licuisse. Et illud Pauli ad Corinthios: *Auditur apud vos fornicatio talis, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat*: interpretantur de vxore patris adhuc viuientis, sed repudiata. Alij negant id fuisse licitum; quod probabilius videtur. Est etiam questio an liberum filio esset vxorem ducere eam, quæ nupierat patri, sed nondum erat ab eo cognita. Et quidam opinantur iure id fieri potuisse, eo quod Adonias petijt Abisag Sunamitem vxorem patris, sed nondum ab eo cognitam; quod si fuisset lege damnatum, proculdubio non id petijset Adonias. Verumenimvero magis, probo eorum sententiam, qui negant vltimo pacto tua conscientia filium ducere potuisse vxorem patris siue cognitam ab eo, siue non cognitam; siue eo superstitere repudiatam, siue vita functo relictam.

Item quidam ambigunt, an fuerit inter fratres, & sorores coniugium Leuitici 18. lege damnatum, quando soror non erat ex eodem patre, & matre nata, sed tantum ex eodem patre. Snt quorundam opinio legem omnes sorores excludere, siue ex vtroque parente, siue ex patre tantum essent. Alij vero sentiunt, legem tantum intelligi de sorore ex vtroque parente, quoniam Abraham duxit Saram in vxorem, quæ erat soror eius filia patris sui, & non matris suæ: Et quia Thamar dicebat Ammoni filio Davidis, vt ipsam peteret à patre in vxorem; qui non esset ipsam denegaturus. Et primis humani generis temporibus fratres sorores sibi matri-

monio copularunt. At præstat prima sententia, nam scriptura aperte loquitur: *Turpitudinem inquit, sororis tuæ ex patre, siue ex matre, quæ domi, vel foris genita est, non reuelabis*: hoc est, siue quæ ex legitimo matrimonio nata est, siue ex vxore patris, nondum tamen ab eo in domum suam deducta, siue ex patre tuo ex altera matre, siue ex matre tua ex altero patre. Ad illud de Abrahamo respondeo, Saram non fuisse sororem germanam ipsius, sed sororem, id est, filiam fratris sui: sicuti Lot fuit frater Abraham; sic enim Abraham dixit ipsi Lot: *Fratres enim sumus*; cum tamen sui fratris filius esset. Thare pater Abraham, genuit Aram; hic autem genuit Saram. Et cum Abraham dixit: *Filia patris mei, & non matris meæ*; ideo dixit, quia Thare pater eius genuerat Aram fratrem Abraham ex alia vxore. nam creditur Thare duas vxores habuisse, ex quarum vna sustulerit Aram, ex altera verò Abrahamum: Sensus itaque est: *Filia patris mei & non matris meæ*: hoc est neptis ex patre & non ex matre: nam nepotes filij dici solent. Ad illud de Thamar; fortassis Thamar soror erat Ammonis non natura, sed adoptione, quia eam in filiam David adoptauerat: Vel si soror germana erat, illud dixit, Thamar perturbata, vt se à violentia fratris quoquo modo liberaret. Ad vltimum respondeo cum S. Augustino libro de ciuit. 15. capite 16. illud esse necessitate factum; cum nullæ aliæ essent foemine, quas primi illi homines sibi matrimonio copularent.

Quæ etiam solet, an omnes consanguinitatis & affinitatis gradus Leuiticorum 18. prohibiti ita iure naturali damnentur, vt Rom. Pontificis auctoritate relaxari nequeant. Dux sunt opinioniones, quas refert Sotus 4. distict. 4. quest. 1. artic. 3. vna docet omnes esse iure diuino & naturali prohibitos, ita vt Romanus Pontifex eos relaxare non possit: altera sententia & vera est, non omnes ita iure naturali damnari, vt Romani Pontificis auctoritate relaxari non possint. & hæc est communi consensu Theologorum recepta, auctoritate Concilij Tridentini, Sess. 24. Can. 2. quam suo loco probabo. Dispensat, inquit, Siluest in verbo Papa, quest. 17. Romanus Pontifex in omnibus gradibus præterquam in gradibus consanguinitatis ex recta linea ascendentiæ & descendentiæ, & præterquam in primo gradu consanguineorum collateralium, hoc est præterquam inter fratres; & dispensat, inquit, in gradibus affinitatis præterquam in primo gradu rectæ lineæ, sed de his omnibus gradibus latius suo loco dicemus. in presentia satis est dicere, licet in omnibus gradibus propinquorum Leuiticorum 18. prohibitis aliqua sit naturalis ratio; quæ præscribit, ne coniugia in hisce gradibus contrahantur, non tamen est tam seuera & rigida, vt iustus de causis Romanus Pontifex non possit facultatem concedere, vt matrimonia in multis ex illis gradibus celebrentur.

Cap. XIII.

De eisdem Præceptis spectantibus ad nuptias, quædam quæstiones diluuntur.

Dubie quæstionis est, an plures vxores simul habere, fuerit Moysis lege permiffum vt minus malum; an verò concessum tamquam bonum? *Constans est Theologorum opinio in 4. distict. 33. vxorum multitudinem fuisse concessam tamquam bonum ad tempus: & hoc idem senserunt Patres, Hieronymus, Chrysoftomus, Augustinus, Beda, Theophylactus, Anselmus in Matth. cap. 19. & Ambrosius libro 1. de viduis. cap. vltimo Augustinus libro 1. de nuptijs & concupis. capite 9. Nec solum id Moysis lex concessit; sed etiam ante Moysen Patriarchæ more & instituto maiorum, plures simul vxores duxere, vt Abraham exemplo docemur, qui post Saram, Agar quoque ancillam Aegyptiam in matrimonio habuit; & deinde adiunxit sibi vxorẽ Ceturã. Et quamuis tunc Sara mortua fuisse videatur, saltem Agar adhuc viuerebat, & Iacob quatuor vxores habuit, Rachelem, & Liam ingenuas & liberas; Balam & Zelpham earum ancillas. Et quamuis Faustus Manichæus, & alij hæretici multitudinem vxorum in Abraham & Iacob reprehendere non dubitauerint, perinde ac si hoc fecisse videantur voluptatis & libidinis explendæ gratia; prædicti tamen patres Patriarcharum factum, tamquam iustum & honestum omninò defendunt.*

Obijcies cum naturæ lege penitus pugnare, vt vir corporis sui potestatem tradat pluribus, quam vni: nec enim fas est rem, quam vni semel tradideris, alteri dare. *Sed hoc solum argumento concluditur, virum sine vxoris consensu, alteram ducere posse: Abraham verò; id Sara etiam præcãte ancillam in matrimonio habuit. Iacob autem Liam vxorem assumpsit loco Rachelis suppositam: deinde Rachelẽ habuit consensu Lia: hisque assentientibus, postea ancillas sibi matrimonio copulauit. Secundo obijcies Lamech videtur in Scriptura notatus, quod primus omnium mortalium plures simul vxores habuerit, quod Nicolaus Pont. i. insinuauit. capite an non 24. q. 3. Respondeo notatũ quidem fuisse Lamech, non quia plures duxit vxores, sed quia explendæ libidinis, non procreandæ prolis causa id fecit; Abraham verò & Iacob, non voluptatis causa, sed sobolis tantum gignendæ, vt gentem suam multiplicarent. Tertio; CHRIS TVS dominus docuit, plures simul vxores habere, cum institutione matrimonij pugnare, ait enim, Qui fecit hominem ab initio, masculinum & feminam fecit eos. & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem suum & matrem suam, & adheret vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Dicimus, communem Patrum & Theologorum esse sententiam, ex matrimonij institutione & iure, tum diuino, tum naturali vnã tantum vxorem, requiri: veteres verò Patriarchas, & deinde eorum posteros plures simul vxores habuisse diuino quodam impulsu & afflatu permotos ad sobolem propagandam, cum Iudæi, pauciores ceteris populis & gentibus essent. Vnde Innocentius III. dixit, capite gaudemus de diuortijs. Nec vlli vnquam licuit simul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum: qui mos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quem sicut Iacob à mendacio, Israhelita à furto, & Sam-*

son ab homicidio, sic & Patriarchæ, & alij virtutes, qui plures leguntur, simul habuisse vxores, ab adulterio excusantur. Hæc ille Pontifex, cuius quidem sententia videtur hæc fuisse, primos viros iustos sibi plures foeminas simul in matrimonio copulasse cælesti Dei instinctu & inflatu, vt sobolem procrearent: quorum deinde exemplum posteri eorum secuti sunt: quod & postea in morem & consuetudinem venit, & tandem veteri lege, & scripto iure permiffum.

Neque probo quod quidam tamquam probabile affirmant, hanc diuinam indulgentiam, quam dispensationem appellant, concessam fuisse non Hebræis solum, sed etiam omnibus gentibus. Nam Ethnicos simul plures vxores habentes, vel peccasse puto, quia mala fide id fecerint, vel iustam excusationem habuisse, non quia Deus illis facultatem concesserit, sed quia probabili ignorantia decepti, bona fide forsitan facitauerunt. Christus Dominus. matrimoniu ad primam & antiquam sui institutionem, & ad ipsum ius diuinum, & naturale reuocauit, præcepit, vt vnus vnã tantum duceret, non plures simul.

Postremò obijcitur S. Ambrosius qui quidem factum Abraham defendens, triplicem eius rationem affert: Prima est, quòd eo tempore adulterium nondum erat lege interdictum secunda, quòd amore posteritatis, non ardore libidinis, id fecerit, & cõsensu vxoris: Tertia ratio, quòd id egerit ad aliquid futurum significandum: quæ causæ minimè sufficere videntur, vt Glossa quoque super Gratianum annotauit. 32. q. 4. cap. dixit Sara, & in cap. Gaudemus, de Diuortijs. S. Augustinus itidem factum Abraham & Iacob vindicans ab omni delicto, eos ait nihil contra naturam, contra morem aut contra præceptum & legem fecisse. Nullam, inquit, Iacob legitur vxorem petisse præter vxorem: nec vsum plurimis nisi gignendæ prolis officio, coniugali iure seruato, & neque hoc faceret, nisi vxores eius id fieri statissent, quæ corporis viri sui habent legitimam potestatem: Et alibi. Pro ingenui crimine Iacob quatuor obijciuntur vxores: quòd generalis prælocutio ne paratur. Quando enim mos erat, crimen non erat, alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præceptum: si naturam consulas, non lesiuos, sed gignendi causa, illis mulieribus videbatur. Si mores, illo tempore, atque in illis terris hoc fultitabatur: si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quid hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus non licet.

Propter hæc Patrum testimonia, hæretici contendunt, polygamiam nulla lege, vel iure damnari. At Concilium Trident. ita decreuit: Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit. Sunt è Catholicis, qui S. Ambrosio & August. hæc in parte reijciant, ac si minus verè & idoneè Abraham factum & Iacobi defenderint. Alij verò opinantur, polygamiam cum diuino Christi Domini præcepto pugnare non cum iure naturali, vel cum ipsa prima & antiqua institutione, coniugij. Ego verò nihil in præfatis S. Ambrosio vel August. testimonijs lego, quòd reprehensione dignum esse videatur. Nec enim Ambrosius cum dixit, nulla lege esse tunc temporis adulterium interdictum, intelligit legem

diuinam

Gen. 35.
Supra 30.
Iud. 19.

Gen. 25.

diuinam, aut naturalem cum ipsa matrimonij institutione acceptam; nec in vniuersum adulterium videtur accepisse. Et cum dicit, Abraham id fecisse vxoris consensu; id ideo diciturne Abrahamus contra ius naturæ fecisse videretur, scilicet illud, quo prohibetur quis tradere alteri corpus quod vni iam dederat alteri, significat igitur S. Ambrosius id, quod alioqui esset adulterium, videlicet in eo, qui præter vnam, alteram vxorem duceret, nõ fuisse adulterium tunc temporis apud Hebræos, quia nulla lege scripta id prohibebatur, si quidem more, & instituto Maiorum duæ & plures simul vxores ducebantur.

Cum idem S. Augustinus ait: Iacobi patriarchæ factum cum quatuor vxoribus non esse contra naturam, se ipse explicat, quia non libidinis, inquit, sed prolis causa fecerat. Porro plures simul vxores habere ad prolem generandam, non est contra naturam, & primarium finem coniugij, quæ matrimonium instituit, non ad libidinem, sed ad prolem generandam. Non tamen negauit S. Augustinus, contra ius esse naturale, quod vetat Rem quam alteri tradideris, ne alteri des: & quod prohibet iurgia, odia, & disidia in domo, & familia: quæ mala, & incommoda Polygamia solet afferre, nisi Dei permisso, vel concessu plures simul vxores habeantur. Cum enim dicit, non esse contra naturam, nec contra præceptum; hoc ideo dixit quia factitabatur more, & instituto Maiorum, suam originem ex diuino impullu, & infinctu trahente, quod nunc Christianis moribus & legibus abrogatum est.

Secundo Queritur, An sacra Scriptura concubine nomen in bonam partem accipiat, videlicet pro ea, quæ verè coniux erat. Leo Papa in Epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem, quæ refertur sic. Non omnis 32. quæst. 2. Concubinam in malam partem accipit: Non omnis, inquit, mulier viro conuicta, vxor est viro: quia nec omnis filius est heres patris. Nuptiarum fœdera inter ingenios legitima sunt, ac inter cœquales. Itaque aliud est vxor, aliud concubina: sicut aliud est ancilla, & aliud libera. Propter quod etiam Apostolus, ad manifestandam horum personarum distinctionem, testimonium posuit ex Genesi, vbi dicitur Abraham: Ecce ancillam, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Hæc ille: vbi manifestè dicit ancillam Agar, fuisse Abrahæ concubinam, non vxorem.

Ceterum constans est tum Hebræorum, tum Christianorum interpretum opinio, Agar fuisse veram vxorem Abrahæ: & concubinam in Sacris litteris nonnunquam accipi in bonam partem, videlicet pro ea, quæ erat vera quidem vxor, sed non primaria, nimirum vxor ad vsum tibi absque solenni Scriptura, id est, sine contractu dotali, & sine sponsalibus publicis in matrimonium ducta; & ideo non erat principalis coniux, sed principali adiuncta. Et subdita; Hebræicè dicitur *Pileget*, quasi vxor dispersita, vel quasi dimidium vxoris. Dicitur quoque Abraham duxisse vxorem nomine Ceturam; quæ tamen alibi vocatur Concubina, & filij Ceturæ concubine. Legimus quoque Ruben, filium Iacob dormiisse cum Bala concubina patris sui,

& tamen scriptum est, *Deditque illi*, scilicet, Iacob viro suo, *Balam in coniugem*. Liber etiam Iudicum, fœminam, quæ aliquando vocatur vxor cuiusdam Leuitæ, etiam illius concubinam appellat, Et in c. Omnibus, Gratianus c. 15 qui, concilium Toletanum, &c. Christianos, Isidorus, distinct. 34. apertè docent, vocabulum, *concubine*, in sacris litteris rem honestam significare, videlicet eam fœminam, quæ vere est coniux. Vnde illud Genes: *Filij concubinarum dedit* (Abraham) *municera*, intelligitur de vxoribus secundarijs, quas Abraham sibi post primariam adiunxit. Leo etiam Papa cum Agar ancillam dicit concubinam Abrahæ fuisse, non vxorem, vxorem accepit pro primaria coniuge, & principali.

Tertio Queritur, An Lex Moysis repudium vxoris tanquam iustum, & honestum concesserit: an verò permiserit tanquam minus malum, ad id, quod est deterius deuitandum? Duas video Doctorem sententias in 4. distinct. 33. quas refert Sotus, 4. distinct. 33. quæst. 2. or. 2. quarum altera, repudium vxoris docet ex lege Moysis, diuino concessu permillum, vt bonum. nam quamuis coniugij vinculum sit sua natura perpetuum, potuit tamen Deus eius auctor atque institutor potestatem facere dimittendi vxorem; ne viri quas oderant coniuges, enecarent, hanc sententiam S. Thomas dicit esse probabilem. Altera est sententia; repudium vxoris solum fuisse impune permillum, vt minus malum: propter illa verba Christi Domini: *Propter duritiam cordis vestri permisit vobis* (Moyses) *dare libellum repudij*, & hæc est communi consensu Theologorum recepta Ego huic secundæ sententiæ magis accedo, de qua re, suo loco latius disputabo. *Dixit item* quæstionis est, an repudiata vxore; vtrique coniugi liberum esset ad alias nuptias transire? Sotus in 4. distinct. 33. quæst. 2. or. 3. negat & ideo matrimonium per repudium non solui, & dici contendit, ita vt repudium solum diuorij rationem habuerit. Veruntamen non paucorum est opinio, liberum vtrique coniugi fuisse, se ad alias nuptias conferre. Idq; deduci videtur ex illis verbis Deuteronomij: *Cumque egressus aliam maritum duxerit*, &c. Et ideo vir vxorem repudiare nõ poterat, nisi dato vxori libello repudij: quod certe nõ nisi in bonu dimissa vxoris cedebat, ne videlicet alteri nupta, adulterij insimulari posset; & ne eã dimissam iam, vitæ repetendi, & reducendi ius haberet. Ex quo perspicitur, matrimonij vinculu apud Hebræos, per repudium dissolui, & dirimi. At obijciat quispiam cum Soto, prædicto in loco scribi: *Non poterit prior maritus eam accipere in vxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino*, videlicet, quod alteri nupsit. *Dicimus*, sensum eorum verborum esse, quia polluta est, hoc est, quia secundo viro se adiunxit; & ab eo cognita est. Pollutam hic phrasi Hebræa non accipitur in malam, sed bonam partem; significat idem, quod latine diceretur, alteri nupsit, & cum eo rem habuit: *Et abominabilis facta est coram Domino*, id est, quia eam prior maritus fuerit exoratus, & sibi odiosam repudiauerit. hoc enim erat in odium, & pœnam virorum vxores facile repudiantium, ne videlicet eas temerè, & qualibet causa dimitterent.

Cap. XIV.

Leges à Moyse late de successione ex testamento, vel ab intesta.

19.

Primò Queritur, quo pacto apud Iudæos, hæredes ex testamento, vel ab intestato succederent? Numerorum. 27. lex est. *Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filium eius transibit hereditas. Si filium non habuerit, habebit successores fratres suos, quod si & fratres non fuerint, dabitur hereditatem fratribus patris eius. Sin autem nec patris habuerit, dabitur hereditas his, qui ei proximi sunt, eritque hoc sanctum (id est firmum ac fixum) Israel lege perpetua.* Hactenus Lex. Ratio huius legis erat; quia possessiones cum familia transibant; & ideo si quis mares, aut foeminas susceperat, ad mares, non foeminas hereditatem, hoc est, agros & alia bona immobilia transmittabat: Inter mares verò duas partes primogenitus obtinebat. Si quis tamen foeminas tantum procreasset, ad eas hereditatem æquis portionibus transferebat: & idcirco illæ nubere, nisi viris eiusdem tribus, & familiæ non poterant, ne possessiones paternæ, in quibus successerant, ad alias familias transferrentur. Tales fuerunt filiz Salphaod, de quibus Numerorum 27. & 36. & inde factum est, ut filiz, quæ hereditatem non habebant, possent nubere viris cuiuslibet alterius cognationis, & tribus: tales erant foeminae ex tribu Leuitica. Querunt aliqui, an vlla bona hereditaria foeminae consequerentur, cum fratres habebant. Ex bonis immobilibus, cuiusmodi erant agri, fundi, & alia id genus possessiones, nihil ad eas transmittebatur; bene autem ex bonis mobilibus, quæ in numero pondere, & mensura consistunt, poterant foeminae vnâ cum fratribus parenti succedere, quia familiae per bona mobilia non discernabantur, Deuteronomij 21. hæc ponitur lex: *Si quis duas uxores duxerit, & vnâ dilexerit, alteram verò odio habuerit, & liberis ex vtraque susceperit, & fuerit primogenitus ex ea, quam odio habet, non poterit ius primogenitorum transferre ad filium dilectum: ita serè Lex. Primogenito debebatur tanquam ius, sacerdotium; & ideo si ex tribu Leuitica, & familia Eleazaris filij Aaronis erat, summo Pontificatuungebatur: it em honorum duplicem portionem, & primum in sedendo locum suo iure primogenitus habebat. Hæc autem iura primogeniti non solum mandato Moyse constituta sunt, sed etiam longè ante Moysem apud Hebræos seruabantur, non quidem lege scripta, sed solo instituto, & more Maiorum. Interea si quis ex concubina, vel ancilla natus erat, hæres patris esse non poterat: & hoc ante legem scriptam more atque instituto Maiorum apud Hebræos vigeat. Et ideo dixit Sara ad Abraham: *Eijce ancillâ hanc, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Et alibi: *Dei que Abraham cuncta que possederat Isaac, filijs autem concubinarum largitus est munera.* Sensus est: Transmittit Abraham ad Isaac hereditatem; filijs verò concubinarum aliqua legauit, ex quibus viuerent, vt Isaac hæredem eos alendi lege curaque liberaret. Et nihilominus filij Iacob etiam ex ancillis suscepti, cum cæteris fratribus regnum, & terram à Deo promissam acceperunt: quod an-*

notauit S. Augustinus Tractat. 11. in Ioannem, & referitur 32. quæst. 4. cap. Recurrat. Eos enim omnes voluit Iacob pro legitimis filijs, & hæredibus habere.

Cap. XV.

P R A E C E P T A

De seruis, & ancillis.

Exodi 21. præcepit Deus, vt serui septimo anno liberi dimitterentur, hoc est, libertate donarentur: quæ Manumissio in Hebræis seruis, non in ijs, qui ex Gentibus serui facti erant. Hebræorum, locum habebat. Leuitici 25. sic loquitur lex: *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non cum opprimes seruitute famularum, sed quasi mercenarius, & colonus erit. Mei enim serui sunt, & ego eduxi eos de terra Aegypti, non veniunt conditioe seruorum. Sciendum est, apud Iudæos duplex genus seruorum extitisse. nam seruis, vel erat Hebræus, vel aliquis ex Gentibus. Si Hebræus, in perpetuum seruire non poterat, & hoc est quod dicitur in lege: *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Si ex Gentibus, perpetua seruitute tenebatur. Seruis, habet lex, & ancilla sua vobis è nationibus, quæ in circuitu vestro sunt; & de adueni, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint, has habebitis famulas, & hereditario iure transmittetis ad posterum, ac possidebitis in æternum.* Ita lex Rursus seruis Hebræus poterat esse ex triplici causa: aut quia Hebræus inopia oppressus se vltro alteri Hebræo vendiderat. Leuitici 25. *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non cum opprimes seruitute famularum, sed quasi mercenarius, & colonus erit: aut quia Hebræus furatus aliquid fuerat, & soluendo non erat: tunc enim fur Hebræo vendebatur. Exodi 22. *Si non habuerit, inquit, (scilicet fur) quod pro furto reddat, ipse venundabitur. Quæ lex dura, & seuera non erat, eo quod non vendebatur ille ad perpetuam seruitutem, cum septimo anno pristinam esset libertatem recuperaturus. Vendebatur igitur, & quasi locabat operas suas ad tempus, vt ex mercede solueret rei furtiue damnum. Aut seruis Hebræus erat, quia ex seruo Hebræo, & ancilla natus, vt alibi dicitur, videlicet Exodi 21. Hebræorum verò serui ex Gentibus, aut erant bello capti, aut pecunia empti, aut domi ex ancilla nati. Ancilla itidem vel erat Hebræa, vel ethnica. Hebræa, aut quia se vendiderat egestate compulsus. Leuit. 25. & hæc septimo anno ad libertatem pristinam redibat: Aut quia pater ipsius eam vendiderat alteri Hebræo vt eam vxorem duceret Dominus, vel filius eius Exodi 21. & Deut. 15. vbi hæc sunt verba: *Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancilla exire consueuerunt, hoc est: non exhibe, sicut serui egrediuntur, nam serui egrediuntur cum corpore suo soli, si soli in domum Domini venerunt, non sic autem ancillæ Hebrææ, quoniam non solum ad ministerium, sed ad matrimonium saltem, quale erat ancillarum, tradebatur. Si displicerit oculis Domini sui, cui tradita fuerat, id est, cui vendita fuerat, vt eam duceret vxorem vel Dominus, vel saltem filius eius, si displicerit, in-****

quam

quam Domino, postquam ab eo cognita est & non respondeat eam sibi, vel filio suo, dimittet eam: vult dicere, dabit illi pecuniam, qua redimatur, vel remittat illi pecuniam seruitutis: sine eam liberam abire sine villo pretio redemptionis, perinde ac si pecuniam redemptionis accepisset. Populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreuerit eam. Sin autem filio desponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi, hoc est, dotabit eam, quod est ius filiarum, quæ docantur à patre, vt nubant, & eam tamquam vxorem filius ducat. Quod si alteram acceperit, id significat, si ipse Dominus, vel filius eius alteram vxorem duxerit, erat enim permittum Hebræis plures vxores habere, prouidebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitie non negabit, sensus est, eam puellam tractabit vt tractari solent puellæ nuptæ. Nam illi puellæ ductæ in vxorem à se, vel à filio non denegabit, quæ dari solent concubinis, hoc est, vxoribus non principalibus, videlicet alimenta, victum, vestitum, & pretium ob pudicitiam violatam ab eo. Si tria hæc, non fecerit, egredietur gratis absque pecunia. Est igitur integer legis sensus: si quis filiam suam vendiderit alteri Hebræo in ancillam, vel is eam cognouerit sibi traditam, aut secus. Si primum, aut displicuit postea ipsi puella, aut placuit. Si displicuit, cogebatur, eam redimere, hoc est, dimittere ita liberam, ac si esset pretio redempta ob pudicitiam ab ipso corruptam, aut permittere, vt redimatur, ablatis à pretio redemptionis ministri annis, quibus ante seruerat. Si verò placuit, aut ipse, aut filius ipsius duxit eam vxorem. Si filius, debebat eam dotare: si ipsi nupit, cogebatur eam vt vxorem habere, & tractare. Si alteram sibi vxorem duxit, non minuit victum, vestitum, & præmium vxore cohabitationem cum ea tanquam cum vxore minus principali. Si hæc tria non fecisset, debebat eam dimittere liberam nulla pecunia redemptionis accepta.

Eodem capite paulò ante statuit Lex: Cum quali veste intrauerit (scilicet seruus Hebræus) cum tali exeat. In Hebræo habetur: Si cum corpore suo ingressus fuerit, cum corpore suo egredietur. Phrasis est hebræa id significans. Si seruus Hebræus solus sine vxore venerit in domum tuam, sine vxore exibat. Si cū vxore venerit, vñ cum vxore egredietur. Et hoc est, quod vulgata editio significare voluit, cum dixit: Cum quali veste intrauerit, cum tali exeat: nam statim subiunxit: Si habens vxorem, & vxor egredietur simul, videlicet septimo anno, quo seruus ad pristinam libertatem reuertitur. Et mox; Sin autem Dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios, & filias, mulier, & liberi eius erunt Domini sui: ipse verò exibat cum vestitu suo, quod est, ipse solus liber exibat septimo anno, & vxor ac liberi eius apud dominum remanebunt tanquam serui. Lex æquissima, nam liberi tanquam ex ancilla nati, domini sui erant serui, nam etiam iura ciuilia constituerunt, vt partus ventrem sequatur, id est, ex ancilla natus seruus sit, quamuis liber sit pater, contra verò natus ex libera, sit liber, tamen si pater seruus fuerit.

Porro septimo anno ita liber exibat seruus vxore, & liberis in seruitute manentibus, vt alie-

ram, quamcumq; vellet, posset vxorem ducere. Et postea: Quod si dixerit seruus, Diligo dominum meum, & vxorem ac liberos, non egredietur liber; offeret eum Dominus Dijs, id est, adducet eum ad iudices, & Magistratus, quos Deos hoc in loco Scriptura vocat, & applicabitur ad ostium, & postes, id est applicabit eum Dominus ad portam vrbis, vel postem; in portis enim vrbiū, quo homines confluebant, confidebant iudices, & lites, & causas cognoscebant, perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum. id est, in seruitute manebit perpetua ad annum vsque quinquagesimum; iubileum. tunc enim liber exibat etiam cum vxore, & liberis, vt patet Leuit. 25. Hæc lex, dura aliquantulum, & seuera videtur esse, qua serui auris subula perforabatur; sed æquitatis est plena: quoniam plaris faciebat seruus vxorem, & liberos, quam libertatem suam, qua nihil tamen carius post vitam in humanis æstimatur, & habetur, cum amore vxoris; & liberorum seruitutem eligeret. Et ideo voluit Deus, vt hanc pœnam ac dedecus sustineret seruus ille Hebræus auris perforata; vt sic pœnæ grauitate deteritus, seruitutis iugum excuteret, Perforatur auris, tum quia aprior ad hanc pœnam sustinendam auris erat quàm alia corporis pars, cum minus doloris in perforanda aure sentiatur, quàm si alia corporis pars perforaretur: tum etiam quia aures sunt ad audiendum: perforatur igitur seruus in aures, vt intelligeret se dicto Domini audientem periretū futurum. Ex hoc vñ nata est apud Iudæos phras, qua quis dicebat: Perforauit eum aurem, hoc est, eum mihi in seruum perpetuum addixi. In verbis illis Psalmi: Aures autem perfecisti mihi: hebræa lectio sic habet: Aures autem perforasti mihi. id est, Me tuum seruum perpetuum fecisti: quem etiam sensum admittit lectio latina, Aures autem perfecisti mihi, id est, Aprasti mihi aures, quibus videlicet dicto tuo audiens essem, & tua iussa facerem. Et sciendum est, totam hanc legem: Si dominus dederit illi vxorem, intelligi de ancilla ethnica, non Hebræa; nam hæc secundum legem, a anno septimo libera necessariò fiebat, ethnica ancilla non item; poterat autem Hebræus vxorem ducere ethnicam ad Iudæorum religionem conuersam.

Leuitici 25. Lex est huiusmodi: Si inualuerit apud vos manus aduena atq; peregrini, & attentatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe eius, post venditionē potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, & patruus, & patruelis, & consanguineus, & affinis. Sin natus, & ipse potuerit redimere se, supputatis duntaxat annis à tempore venditionis sue vsque ad annum iubileum, & pecunia qua venditus fuit, at iuxta annorum numerum supputata; si plures fuerint anni qui remanent vsque ad iubileum, secundum hos reddet, & pretium: & reddet emptori, quod reliquum est annorum. Quibus aut seruitur mercibus impuatis, non affliget eum violenter in conspectu tuo. Quod si per hæc redimi non potuerit, anno iubileo egredietur cum liberis suis. Hæc ibi, iustissima lex, qua voluerit Deus, vt si Hebræus ad egestatem redactus venderet se ethnico, Hebræorum tamen religionem conuerso, posset redimi à quolibet eius propinquo: seruitus enim eiusmodi propinquis omnibus erat probo & dedecori, & libertati itidem quoad eius fieri poterat, erat patrocinandum

Sed cur septimus annus est recuperanda libertati diuinitus destinatus, & quinquagesimus idem annus? Nimirum voluit Deus, ut seruitus Hebræorum esset ad tempus: eo quod perpetua seruitus grauis nimium est, & acerba, adeo, ut Iurifconsulti dixerint eam esse contra naturam, *Instit. de iure natur. gentium, & ciuili. §. ius autem gentium*: voluit autem, ut septimo quoque anno Hebræi seruitutem euaderent quasi sex annis perfectè seruiert, & septimo, ab omni opere serui cessare deberent. Rursus, quinquagesimum annum libertati destinauit: quia quadraginta nouem anni septem annorum hebdomadas implent, ut quemadmodum post quadraginta nouem dies exactos ab exitu ex Aegypto, populus quinquagesimo die legem accepit, quasi Aegyptiacæ seruitutis iugo iam penitus excusso, sic etiam serui quinquagesimo anno perfectæ libertate donarentur.

Deuteronomij 23. habetur hæc etiam lex: *Non trades seruum domino suo, qui ad te confugerit. Quæ lex locum habebat in seruo Ethnico, qui à Domino suo quærebatur ad necem, vel ad aliquod aliud graue incommodum, detrimentum, & malum. Item Exodi 21. Qui percusserit, inquit, seruum suum, vel ancillam xrga, & vno die vel duobus superuixerit, non subiacet pena, quia pecunia illius est. Intellegitur ea lex de seruis, quos Hebræi ex Gentibus habebant: nam serui, qui Hebræi erant, non erant pecunia dominorum, quia non erant in seruitute perpetua. At verò qui percusserit seruum suum, vel ancillam xrga in manibus eius, criminis reus erit, hoc est, morte condemnatur, vel sensus est: digna poena mulctetur, quia certò constabat, ex plagis siue verberibus, percussione, vel vulnere seruum obijisse. dum verò duos, vel vnum diem verberatus, vel percussus seruus viueret, quia incertum erat an ex vulnere, siue plagis interiret, Dominus liber erat, & immunis à poena. Si autem Dominus seruum videlicet suum ex Gentibus percussit, mutilabat, ipso iure seruus libertate donabatur.*

Leuitici 25. Si Hebræus inopia pressus se vendidisset aduenæ, vel peregrino profelyto, vel alieno ex gente ipsius, poterat redimi, si aliquis propinquus, vel ipsemet pretium soluisset: & in ea redemptione serui, habebatur ratio operæ, quæ in ipsa redemptione æstimabatur, quanti æstimari ex æquo, & bono debebat: pretium autem, & merces operarum deducebatur de pretio redemptionis, & quod æstimata opera serui facta reliquum erat, resolvebatur ab eo ipsi emptori: quod si non resolvebatur, tunc anno iubilæi liber exibat vnà cum filijs suis.

Cap. XVI.

P R A E C E P T A

De parentibus, & filijs.

LEge concedebatur iuxta quorundam sententiam quamuis id ego in lege expressim non video, ut si aliquis pater paupertate premeretur, filium, vel filiam venderet suam. Nam cum apud Hebræos seruus septimo anno manumitteretur, concedebat lex, ut cuique ad extremam inopiam redacto liceret filium, vel

filiam vendere. Immo cuius etiam simili egestate laboranti fas erat seipsum alteri Hebræo vendere, ut declarat liber Leuitici. nam ut supra diximus; seruitus ad tempus tantum erat, septimo enim anno serui libertate donabatur, ac proinde cum Hebræus filius alteri Hebræo vendebatur, potius locabatur, quam vendebatur. Cum item Hebræus alteri se Hebræo vendebat, potius locabat se, id est, operam suam, quam vendebat.

Item Exodi 21. præcipitur patribus, ut filios suos legem ac religionem doceant. *cum dixerint, inquit, vobis filij vestri, Quæ est ista religio? Dicitis eis, vltima transitus Domini est. Deuteronomij 21. Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitum obedire contempserit: apprehendent eum, & ducunt ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentes ad eos Filius noster iste proteruus, & contumax est, monita nostra audire contempnit, comestrationibus vacat, & luxuria atque conuiuij, lapidibus eum obrueret populus ciuitatis, & morietur, ut auferatur malum de medio vestri, & vnusquisque ad diem pertimescat.*

Cap. XVII.

P R A E C E P T A

Circa externos & Peregrinos.

HEBRÆORUM populus bipertitus erat: aut enim constabat ex hominibus externis, qui dicuntur Aduenæ, & ex gentibus suam genus trahebant, aut ex ijs, qui genere erant Hebræi ab Israele originem ducentes, qui dicuntur Indigenæ. Priores illi vocabantur Profelyti, qui ex Gentibus procreati, ab Idolorum cultu ad Dei religionem traducti, & circumcisi, factis Hebræorum cæremonijs, & institutis imbuebantur. *Si quis, inquit, in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phasæ Domini, circumcides ut prius omne masculinum eius, & tunc rite celebrabit, erique suæ indigena terra. Si quis autem circumcisius non fuerit, non reseruetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos.*

Leuitici 19. Homo qui libet de domo Israel, & de alienis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum siue victimam, & ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit eam, ut offeratur Domino, iurabis de populo suo.

Leuitici 24. Aequum iudicium sit inter vos, siue peregrinos, (id est profelytus) siue eius peccauerit. *12. ch. 14. Homo de domo Israel (id est, ex genere Israelis) & de profelytis quicumque aduenæ fuerit in Israel, si alienatus fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo, & reliq. in Actis: iudæi quoque, ait Lucas, & profelyti. Docuit, Christus quantum studium poneretur à iudæis in eo, ut profelytos facerent, id est, ut Gentiles circumciderent, & ad Dei cultum, & religionem converterent, his verbis; *re. rabu Scribae, & Pharisei hypocrite, qui circumcisitis, & aridam, ut faciatis vnus profelytum: cum fuerit factus, facitis eum filium rebeccæ duplo quam vos. 3. Paralipomenon. 30. Filiaritate perfusa est omnis turba Iudæa tan seniorum, & Leuitarum, quam vnusquisque frequentat, quæ venerat ex Israele, profelytorum quoque de terra Israel, & habitantium in Iuda.**

Exod. 12. ita sancitur: *Aduenam non contrisabis, neque offiges eum; aduenam enim & ipsi fuisti.* Et capite sequenti: *Peregrino molestus non eris, scitis enim aduenam animas, quia & ipsi peregrini fuisti in terra Aegypti.* Senlus est: *Nostis quales sint Peregrinorum affectus nam anima hic voluntatem & affectum significat more Hebræo ne sitis eis molesti, satis enim poenarum est, quod sint peregrini, ne addatis eis alias molestias.*

Deuteronomij 23. constituitur, vt Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrent Ecclesiam Domini. Exodi verò 17. omne cogitationis confortium cum Amalechitis prohibetur. *Bellum;* inquit, *Domini erit contra Amalec, à generatione in generationem.* Deuteronomij etiam 23. *Non abominaberis;* inquit, *Idumæum quia frater tuus est, nec Aegyptium, quia aduenam fuisti in terra eius, qui nati fuerunt ex eis, tertis generatione intrabunt in Ecclesiam Domini.* Ergo lex concedebat, vt ex Gentibus quidam tanquam ciues populo Iudæorum adscriberentur post decimam generationem; & ex Aegyptijs, & Idumæis, post tertiam: ex Ammonitis, Moabitibus, Amalechitis nulli vnquam, eo quod hi capitali odio semper Hebræos fuerant persecuti, & illud nunquam deposituri credebantur.

At Iudith. 14. Achior dux filiorum Ammon videns virtutem quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis eius vique in hodiernum diem: quod factum est ob iustitiam eius viri virtutem, & præclara eius merita in Iudæos.

Quod autem Deuteronomij 23. dicitur quis intrare in Ecclesiam Domini, perinde est ac si diceretur, admitti vt ciuis, qui particeps esse possit consiliorum, iudiciorum, honorum, & publicorum munerum. Vnde eodem capite dicitur: *Non intrabit Eunuchus atrium, vel amputatis testiculis Ecclesiam Domini.* Ibidem: *Non ingredietur manzer* (hoc est, de scorto natus) *in Ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationem.* Hinc est quod Esaias consolatur aduenas, & Eunuchos, dicens: *Nō dicat filius aduenæ qui adhaeret Domino: Separatione diuidet me Dominus. populo suo. Et non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum quia hoc dicit Dominus Eunuchus: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & timuerint iudicium meum. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & siliabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Et filius aduenæ qui adhaeret Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius.*

Cap. XVIII.

P R A E C E P T A

De iudicijs.

Apuđ Hebræos, sicut & apud quamlibet aliam Rempublicam benè institutam, erant publica iudicia, quibus & fontes condemnabantur, & absoluebantur in fontes. Porro condemnatio sæpè iudicij appellatione significatur; & Absolutio, iustitiæ nomine. Cum hæc duo simul ponantur, iudicium; & iustitia, sæpè

etiam fit mentio conciliorum, quæ erant in Republica Iudæorum, vt & in cæteris Rebus publicis. Hinc illud Davidis, *Constitor tibi Domine in toto corde meo in concilio iustorum, & congregatione;* & illud eiusdem, *Exalset eum in Ecclesia plebis;* & in castris seniorum laudent eum. Id etiam, *Ideo non refurguit impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.*

Ius populo dicere ac reddere Iudices solebant in portis ciuitatum, quia in ea loca conueniebant, non solum ciues, & incolæ, sed etiam exteri, & aduenæ, Deuteronomij 25. *Si voluerit,* inquit, *lex, accipere uxorem fratris sui, quæ ei, lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interrogabit maiores natu.* Item, Ios. 18. & Ruth. 4. *Respondit populus qui erat in porta, & seniores.* Salomon quoque: *Nō conteras egenam in porta, idem rursus; Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terra.* David item: *Nō confundetur cum loquetur inimicis suis in portas, quasi dicat, cum causam suam aget coram iudice contra aduersarios.* Hinc per metaphoram porta sumitur pro tribunali potestate, iurisdictione. vnde Christus, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, Ecclesiam scilicet meam: ac si diceret. Tota Dæmonum iurisdictione, & potestas, & regnum.

Porro iudicij præerant Iudices, Magistratus, Seniores; quorum conuentus dicitur Senatus. Numerorum 11. *Moyse dixit Deus, Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti.* Delecti à Moyse sunt sex ex singulis tribubus; ac proinde septuaginta duo. quamuis in sacris litteris sæpè dicuntur septuaginta minuto numero relicto. Deuteronomij. dixit Moyse; *Accessistis ad me omnes Principes tribuum; & maiores natu.* Ios. 23. dicitur; *Procurauit Iosue omnem Israel, maioresque natu, & Principes; & ducet, seu vt aliqui legunt, Iudices & Magistratus.* Probabile est fuisse septuaginta duos Senatores, & deinde alios duodecim Principes qui erant duodecim tribuum capita, & ciuitates singulas suos etiam proprios Senatores habuisse, & alios itidem qui erant singularum in quaque tribu familiarum capita. Iudicum 11. *Perrexerunt maiores natu de Galaad, & capite octauo eiusdem libri: interrogauit eum nomine principum, & seniorum Sathob.* Ruth. 4. *Tollens Booz decem viros de senioribus ciuitatis, dixit ad eos:* Cum item Moyse ex toto populo delegisset septuaginta duos Senatores; narratur Exodi 18. *Ex eis electis constituisse principes populi, Tribunos, & Centuriones, quinquagenarios, & decanos. Tribuni, erant quasi Præfecti mille hominum. Centuriones, centum ciuibus præerant: Quinquagenarij, quinquaginta; Decani, decem.* Item Deuteronomij 1. *Constituit, inquit, Moyse, eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Horum verò munus, & officium erat consilij præesse, & iudicij, ac proinde populum isti, & Senatum conuocabant. Erant etiam Scribæ, id est, Iurisperiti, qui legem populo interpretabantur. Alij verò Scribæ erant, qui scribendo, operam suam Magistratibus, Senatui, & populo præstabant. Erant enim Regum, Principum, Magistratum, vel Iudicum Scribæ, qui tanquam ministri acta referrent, & scripto mandarēt: quos ex tribu Leuitica fuisse, ostendit primus liber Paralipomeno cap. secundo, vbi monitores, & Scribæ ex tribu

Leui nominantur: item Tribuni, Centuriones, & Scribæ nominantur.

Diuina itaque præcepta Magistratibus, Principibus, Senatoribus, Iudicibus data sūt. Primò, Exod. 23. *Non suscipies vocem mendacij.* (hoc est, Non admittes rumorem, testimoniū falsum) *nec iunges manū tuam: vt pro impio dicas falsum testimonium.* Senilius est: Non adiunabis causam improbi falso testimonio, nec munus accipies, quo iudicium perueritas Ibidem: *Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero denies, vult dicere, Non sequeris multitudinem ad malefaciendum: & in lite, iudicio si plures innocentem condemnauerint, ne eorum sententiam sequaris, sed paucorum, qui innocentem absoluerit conantur, ne à vero desectas.*

Deinde, *Ne accipias munera,* quæ etiam excæcāt prudentes, & subuertunt verba iustorum. Item, vt causas tam actoris, quàm rei expendant, & examinent, antequam sententiam ferant, semoto omni personarum respectu, ne quid benevolentia, gratia, vel fauor, ne quid item odium officiat. Item, *Ne in iudicio, etiam pauperis misericordia moueantur: ne scilicet habeant rationem & respectum personæ, etiam pauperis, & licet multo fauore Deus vbique pauperes prosequatur, non vult tamen ratione, & causa pauperis, iudicium corumpi, ergò multò minus causa diuitum, & potentum: mendacium fugies, hoc est, falsam sententiā nō feres. Alloquitur enim ibi Iudicem Deus *Insonitè & iustum non occides, quia auersor impij.* Senilius est, Innocentem, & absolutum suffragijs, & sententia aliorum non condemnabis: non enim sinam inultum iudicem, qui innocentem morte damnabit.*

Præterea, de testibus audiendis, lex præscribit hæc, *In ore duorum, aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium.* vult dicere: Testimonio duorum, aut trium interficiatur, qui reus est mortis: vnus tantum testimonio nemo capitis poena mulctetur.

Deuteronomij 17. *Non stabit testis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinorosi fuerit, sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.* Significat, testimonium non est recipiendum, quale cumque tandem illud fuerit scelus hominis, qui accusatur: sed testimonio duorum vel trium testium stabilis erit, & firma accusatio, & actio, & causa. Et additur lex de falsis testibus iudicio seuerissimo vindicandis: nimirum, vt falsus testis poenam rationis sustineat; Animam pro anima, hoc est, vitam homicidæ, pro vita ademptam: ac si dicat, tali poena punietur, quali poena affectus fuisset, in quem dixit falsum testimonium, si conuictus fuisset. Reddet oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede; vt ceteri pertimescant, & à falso testimonio ferendo deterreantur.

Apud Ioannem cap. 7. indicat Nicodemus legem præcipere, vt nemo iudicetur, nisi prius eius audita causa, & cognito eo, quod fecerit. Deuteronomij 25. lex fertur de sententiâ ferendâ, his verbis: *si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint Iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt; quem impium concinnabunt impietatis: & in artem qui peccauit, dignum viderint plagis: prostiterunt*

& coram se facient verberari. Pro mensura peccati, vt & plagarum modus, ita duntaxat, vt quadragesimum numerum non excedat: ne scdè laceratus ante oculos habeat frater tuus. hoc est, ne pluribus plagis percussus, coram te moriatur frater tuus tanquam vile & abiectum animal.

Cap. XIX.

P R A E C E P T A

De diuersis pænis in improbos constitutis.

Deuteronomij 25. statuitur, vt sit poena grauitate delicti: Porro in lege illa veterem multa erant poenarum genera fontibus irrogata: prima poena mortis: erat autem quadruplex necis genus. Aut enim fontes patibulo siue cruci affigebantur, aut lapidibus obruebantur, aut igni exurebantur, aut iugulabantur.

Leuitici 21. *Sacerdotis filius si deprehensus fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, summus exuret.*

Leuit. 20. *Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem eius, scelus operatus est, vnius dræbit cum eo, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* Genes. 38. Iudas iussit nurum suam comburi, eo quod cognouerit virum filium, & postea patrem.

Leuit. 24. maledicus in Deum siue ciuis, siue peregrinus, lapidibus obruitur. Deuteronomij 17. qui Diuinum cultum, & honorem Sol. Lunæ, vel Pellis, vel alicui rei cuius creatæ desert, eadem poenam perfoluit. Deuteronomij 21. vxor à viro conuicta violata ante matrimonium virginitatis, & ob id odio habita lapidibus obruitur. Puella itidem alicui desponsa, & ab altero in ciuitate corrupta, vna cum eo lapidatur: puella quidem, quia clamore non se defendit cum posset, in ciuitate existens; violator verò, eo quod cum in ciuitate virginem alterius sponsam stuprasset, infamiam, & ignominiam magnam inferret, & per audaciam crimen admitteret: in agro violata ab alio, poenis poenam non sustinet, sed violator capite mulctatur, quoniam in agro cum sola puella esset, clamare non potuit, & stuprator virginis occasione infamiam fecerat, nec tam grauer deliquerat. Adultera deprehensa in adulterio, lapidibus opprimitur, vt colligitur Deuteronomij 22. & constat Ioann. 8. & Num. 15. qui ligna in die Sabbati collegerat, idem mortis genus sustinuit. Tertio quoque Regum capite 21. maledictum Deum, & Regem eadem poena punitur Leuiticorum 20. vir siue mulier, in quibus Phitonius siue diuinationis fuerit spiritus, eidem lapidationis subiaceat poena. Qui item idola coluerit, & qui filios suos Dijs Gentium immolauerit, vel Magos, aut ariolos consuluerit Leuiticorum 20. Lapidibus subiicitur. Ibidem habetur: *Qui dormierit eam cum matre sua, vel cum vxore sua, vel cum matre uxoris sue, vel cum femina mensuris patiente, vel cum vxore, vel cum matertera, vel cum sorore filia patris sui, vel filia matris sue, vel cum iumento, morte capietur: & si dicit, vna cum quo reo nefariam habuit.*

Pœna itaque mortis irrogatur criminibus contra Religionem Deo debitam commissis: Item, maledictio, & contumelia in parentes, libidinis avertæ peccato, incestui, homicidio, per industriam patrato. Nam exodi 22. sic habetur: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, hoc est, vel insidias: coniunctio, & more Hebræo sumitur pro coniunctione, vel, ab aliarum meo avellens enim, vt moriatur, quasi dicat; Qui sciens, & volens occiderit alterum, nusquam sit tutus, sed etiam ab altari, quo confugerat abstrahatur, & capitali sententia condemnatur.*

Exodi 22. *Si effringens fur domum, siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, per cussor, non erit reus sanguinis, quod si orto iam sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur; sensus est: Nocturnum furem imputat licet occidere, diurnum non item: fur enim nocturnus magis est Reipublicæ perniciosus: Item, Exodi 21. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur.**

Pœna talionis certa quædam crimina puniuntur proximè dicto loco Exodi 21. vbi legitur hic: *Qui percusserit, & mors eius subsecuta fuerit, reddet animam pro anima (id est, vitam pro vita) oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adusionem pro adusionem, vulnere pro vulnere, sinuorem pro sinuore. Pœna item quadrupli, vel dupli, vel etiam quintupli irrogatur certis quibusdam furti generibus. Exodi 22. Is qui furatus fuerit bouem, & occiderit; reddere quinque pro vno cogitur: & qui furatus fuerit ovem vnâ, pœna quadrupli puniatur (videlicet, vt soluat quatuor pro vna:) qui verò furatus fuerit quamlibet aliam rem præter hominem; duplum reddere iubetur.*

Sed cur furanti bouem, quintupli pœna constituitur, furanti ovem, pœna quadrupli; furanti verò aliam rem quampiam; pœna dupli? Respondet Glossa ordinaria: Exodi 22. *Ex boue, quinque fructus, & comoda præueniebant bos enim tunc immolabatur; erat etiam bos, ouera deferti, pascit nos caribus lac præbet, & pellem diuersis vsibus inferiunt; ac proximè vno pro boue quinque reddebantur; vt quinque damnosior, quæ retulimus, compensatio fieret, fructus verò quatuor ex oue percipiuntur: erat enim ouis apta ad sacrificia, ad cibum, lac item præbet, & lanam; & idcirco pro vna oue quatuor soluebantur; vt quatuor ovibus redditis, quatuor damna fures compensarent.*

Verùm S. Thomas 1. 2. quæstione 105. articulo 2. ad 9. respondet, pœnas criminibus irrogari non solum pro gravitate delicti, sed etiam vt deterreantur improbi à maleficijs. Et quia boues difficilius custodiuntur, & liberius vagantur in agris quam oves, & facilius abiguntur, & abducuntur, quò fur voluerit; ideo grauiori pœna in bouis furem animaduertitur: Rursus, quia oves facilius, & diligentius quam boues custodiuntur, sed non tam facile, quam ceteræ res, cum in agris pascantur, & frequentius etiam soleant furto abduci; ideo in fures eorum, pœna quadrupli, ac in fures aliarum rerum; dupli pœna est constituta. In lege veteri fur simplex mortis reus non erat, quia vita hominis pretiosior est rebus; at nunc fures iure communi, & statutis municipibus suspenduntur, quoniam pas-

sim innumeri fures sunt, vt igitur deterreantur homines à furto, merito capite puniuntur.

Pœna verberum, alijs leuioribus, & minoribus delictis irrogatur. Deuteronomij 25. *siu autem eum, inquit, lex, qui peccauit dignum viderint plagis, prosterneat (crimini Iudices), & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit, & plagarum modus, ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant; ne scilicet laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. Hinc Hebræi morem illum in suam gentem induxerunt, & diligenter obseruauerunt, vt cum aliquem fontem verberarent, in eum triginta noem tantum plagis animaduertent, ne terminum quadragenarij numeri à lege constitutum, & præfixum transirent, ad quem morem proculdubio Paulus alludens: *quingies, inquit, quadragenas, vna minus, accipi.**

Pœna seruitutis duo tantum crimina puniebantur: nempe (vt dicitur Exodi 21. Deuteronomio 15.) Quando septimò remissionis anno Hebræus, qui seruus erat, nolebat beneficio legis vt, ac libertati pristinæ restitui: eique proinde irrogabatur pœna, vt perpetuæ seruituti esset addictus, quæ tamen seruitus vsque ad annum quinquagesimum durabat, diuinæ quoque legis præscripto, voluit Deus ne seruitus apud Hebræos esset perpetua; immo etiam, vt magni duceret quisque libertatem suam; nec ei vxorem, nec liberos, nec vllam rem aliam pretiosam, & caram anteponeret.

Item, Exodi 22. si fur nihil haberet, quod restitueret creditori suo, seruus fiebat, & venundabatur.

Pœna exilij in lege veteri, consuetudine non erat. At Deuteronomij 19. & Numerorum 35. Qui percusserat proximum suum nescius, ac nullo in ipsam odio concepto, ad vnâ vrbium refugij confugiebatur, & ibi manebat vsque ad summi Sacerdotis obitum: tunc enim ei fas erat ad suos redire: sic interim ira in ipsum concepta sedabatur, & dissidij, & odij occasio tollebat.

Pœna exilij in eos fuit constituta, qui aliquem casu occidisset, per errorem, siue imprudentiam. Exodi 21. *Qui autem, inquit, non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, constituam tibi locum, in quem fugere debeat Deuteronomij 19. & Numerorum 35. præcepit Deus, vt ex vrbibus quæ Leuitis assignabantur, sex constituerentur, tres ultra Iordanem, tres citra Iordanem tanquam asyla siue perfugia, hoc est, tanquam loca sacra, in quibus à vindice tuti esset is, qui occidisset quempiam per imprudentiam, vel errorem. Hi enim homicidæ fortuiti, quandiu erant in vna illarum vrbium, necari non poterant à propinquis volentibus vlcisci necem eius, qui fuerat per errorem occisus, quare tutò profugiebant eo, & ibi commorabantur vsque ad obitum summi Sacerdotis. Erant vrbes leuitarum, vt perfugia essent, veluti loca quædam sacra, & vt homicidæ leuitarum consuetudine, conuicti, & exemplo, & monitis, ac consilijs meliores euaderent: sciant Dei ministri tales se esse debere, quibus facile, & tutò improbi committantur, vt eos ad meliorem vitæ frugem conuertant.*

Vrbes autè illæ distabant ab se inuicè æqualiter. In loco verò, vbi patratu fuerat homicidium, discu-

2. Cor. 11.]

discutiebatur causa, ad quem locum ex vrbe perfugij accersebatur homicida, qui si volens ac sciens occiderat, statim sententia Magistratus, capitis damnabatur: si vero per imprudentiam eadem patrauerat, ad urbem, vnde vocatus fuerat, nullo affectus damno ac tutus remittebatur, & non solum in vrbe, sed intra vrbis terminos poterat euagari, & mortuo summo Pontifice, ad Patriam reuersus, ad omnia munera, & officia, & ceteri, admittebatur. Et Numerorum 35. cōceditur, vt propinquus interimere possit impune homicidam statim vt eum deprehenderit extra fines vrbis perfugij. Si interfector ait Moyses, extra fines vrbium, quae exulibus deputatae sunt, fuerit inuentus, & percussus ab eo, qui vltor est sanguinis, absque noxa est, qui eum occiderit, debuerat enim profugus vsque ad mortem Pontificis in vrbe residere. Postquam autem ille abierit, homicida reuertetur in terram suam. Et paulò ante: Propinquus occisus homicidam interficiet, statim vt deprehenderit eum. Sensus est: Liberum sit propinquo occidere homicidam statim vt in ipsum incurreret, extra vrbes tamen perfugij, voluit Deus, vt propinquus iusto suo dolori, vindicta inimici satisfaceret. Item, vt homicida crudeliùs necaretur ab inimico vltore; vt saltem metu quisque à cædibus abstereretur. Et potest Res publica, vel Princeps ob atrocitatem criminum plures ministros ad puniendos fontes constitutere. Nec propterea sequebatur, vt propinquus homicidam interficeret propria auctoritate, sed legis. Ceterum cur præcepit Deus, ne homicida ante obitum Summi Pontificis, ad suos rediret præsertim cum inde fieret vt optandæ mortis tâti Sacerdotis homicida occasionem arriperet. Diuinæ voluntatis videlicet, & sententiæ fuit, vt ad tempus homicida exularet nō in perpetuum, vt interim inimicitia dissidia, odia, & iræ sedarentur, ac deponerentur. Deinde etiam vt exilij tempus esset incertum, vt spes & amor concupitæ libertatis homicidam suspensio, sollicito & anxio animo detineret: nec homicida ab exilio liberabatur vsque ad mortem Pontificis, & pro pace, concordia, salute, & vita omnium precari, & ideo execrari, & detestari debebat homicidia etiam inuoluntaria: nec erat vlla occasio optandæ mortis Summi Pontificis, quia eius, quoniam Deus ipse qui legem tulerat, singulari providentia omnem optandæ captandæque mortis occasionem submouebat. Sed quid si ille in vrbe perfugij alterum hominem casu, & per errorem perimeret? tunc liberum erat illi perfugium ad alteram perfugij urbem.

Hebræi quædam alia sanè memoratu digna, de his sex vrbibus perfugij tradunt, sed ex Scripturis ea minimè probant vel confirmant. Aiunt illi, vias, quæ ad eas vrbes dirigebant omni ex parte fuisse planas, & æquas, quò expeditiùs, & commodiùs esset iter ad illas: & in biuis aut triuis stipitem erectum fuisse, in quo scriptum erat, quæ esset eundum, vt fugientem dirigeret in eam viam, quæ ducebat recta ad urbem perfugij.

Quæstio verò est, an sex tantum, an nouem vrbes perfugij essent: nam Deuteronomij 19. & Numerorum 35. Scriptura sex tantum vrbes commemorat. Ceterum Catholici quidam interpretes nouem fuisse contendunt, tres quidem vltra

sex verò citra Iordanem, alioqui ab se inuicem æqualiter minimè distant. Et cum terra Chanaan latior esset, & maior, quam terra vltra Iordanem; difficile creditu videtur, vt nō fuerint plures vrbes huiusmodi in terra Chanaan. Quod ergo (inquiunt) Scriptura refert sex tantum videlicet totidem citra Iordanem; quot vltra; id locum habebat, quandiu Iudæi vniuersam terram olim à Deo patribus promissam citra Iordanem non occupabant; cum autem postea ceperant, tres alias vrbes refugij cæteris addiderunt: quod completum esse testantur tempore Salomonis. Nouem fuisse colligitur ex capite 19. Deut. vbi legimus, idcirco præcipio tibi, vt tres civitates æquales inter se spatij diuidas: quas aiunt esse distinctas à sex illis, quas Numerorum 35. Dominus iussit constitui. Ego certè ex scripturis nō video quomodo nouem colligantur. Nam Numero 35. sex iubet Dominus designari, & Deute 4. tres vltra Iordanem. Moyses ante obitum suum constituit Bosor, Ramoth, & Golan deinde Iosue 20. alie tres citra Iordanem sunt designatæ, Cades, Sichem, & Cariatharbe, nulla alia legitur constituta: & quot Deuteronomij 19. dicitur, idcirco præcipio tibi, vt tres civitates æquales inter se spatij diuidas intelligitur de tribus civitatibus vltra Iordanem designandis; nec refert, quod eas Deute 4. Moyses iam ante designauerat: nam Scriptura per repetitionem, idem sæpe commemorat.

Præterea Deuteronomij 28. multæ maledictiones tanquam pœnæ conijciuntur in eos, qui legi non paruerint, contra verò benedictiones pijs legis cultoribus promittuntur. Maledictionis verò nomine, eo capite intelligitur incommoda, aduersa & mala; benedictionis verò, munera & præmia diuinitus conferenda. In his autem numerantur vbertas fructuum ventris fecunditas, vitæ temporalis longitudo, pax, tranquillitas, securitas animi, & alia huius generis bona, non quia pijs legis cultores cum vera fide, obedientia, & charitate in Deum non forent celestia bona consecuturi, sed quòd rudes, & imperfecti bonorum temporalium fructu, quasi eia quadam allecti, ad Diuinæ legis obseruantiam pertraherentur. Hinc est, quòd in lege sæpe promittitur terra lactis, & melle manauerat enim ea terra, in quam introducti sunt Hebræi, liberati ex Aegypto, abundans pecoribus, ex quibus lac, & apibus, ex quibus mel colligebant: abundabat oliuis, vitibus, armenis bouum, & agris vberimis, ex quibus oleum, vinum, frumentum, & butyrum, & alia ad vitæ vsus necessaria percipi poterant; & ideo Propheta promittebant frequenter copia olei, vini, & frumenti. Moyses itaq; Deut. 32. dicebat: Constituit enim (populum scilicet Israeliticum) super excelsum terram, vt concederet fructus agrorum: vt fugeret mel de petra, aleosque de saxo durissimo; Butyrum de armento, & lac de ouibus; in rupibus nimirum, & locis petrosis oliuæ nascantur, & mel apes conficiebant: vnde mel ex petris, & oleum ex saxis sugere, & colligere videbantur.

Præterea, ob certa quædam crimina lex iubebat ipsa etiam animalia rationis expertia perimere, non quia vllam animalia culpam contraxissent; sed vt eorum Domini in ipsis puniretur, quia animalia non custodierant diligenter, ac vt

improbi in ipsa etiam animalia odium conciperent, ac proinde à peccando detererentur. Exod. 21. Si Bos, inquit, eorum percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedatur carnes eius. Quod si bos eorum percussit solitus esset, & Dominus eius admoneretur, nec tamen includeret eum, & occideret aliquem, & bos lapidibus obruebatur, & Dominus eius occidebatur. Postremò lex etiam continetur Numer. 5. de vxore viro adulterij suspecta, quam lex iubet certo quodam ritu examinari, & examinatum, vel condemnari, vel absolui: lex autem sic habet. Vir, cuius vxor errauerit, maritumque contemnerit dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiverit, sed lateat adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro: si spiritus zelotypie concitauerit virum contra vxorem suam, que vel polluta est, vel falsa suspitione appetitur, adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partem farinæ hordeaceæ: non fundet super illam oleum, nec imponet thui: quia sacrificium zelotypie est, & oblatio inuestigat adulterium. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino: assumetque aquam sanctam in vase fictili, & paniculum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discoperiet caput eius, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypie: ipse autem tenuit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta conticit, adurabitque eam, & dicit. Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non tibi nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta contigit: Sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubisti cum altero viro, his maledictionibus subiacebis. Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo tuo, putrescere faciat femur tuum, & tu meus uerus tuus distrampatur, ingrediantur aque maledictæ in uentre tuum, & uero in uentre putrescat femur. Et respondebit mulier. Amen. Amen. scribetque Sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta contigit, & dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, tollet sacerdos de manu eius sacrificium zelotypie, & eleuabit illud coram Domino, imponetque illud super altare: ita duntaxat ut prius pugillam sacrificij tollat de eo, quod offertur, & incendat super altare: & sic potum det mulieri aquas amarissimas. Quas cum biberit, si polluta est, & contempto viro adulterij rea, pertransibunt eam aque maledictionis, & inflatio uentre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. Ista est lex zelotypie. Si declinabit à viro suo, & si polluta fuerit, maritusque spiritum concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, & fecerit ei Sacerdos iuxta omnia, que scripta sunt, maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam. Hæc ibi.

Sciendum est, c. 1. 2. & 3. de purg. vulga. damnari purgationes vulgares, quibus quidam ad ostendendam innocentiam suam, cum alicuius criminis infamia laborarent, super ignitos carbonibus nudis pedibus incedere volebant: aut candens ferum manibus atrectare, aut per feruentem aquam transire: & nihilominus Deus permittit Iudæis uiris, ut cogere similibus purgationibus vxores, quæ ipsi nomine adulterij suspectæ erant, suam innocentiam ostendere: Hoc permittit Deus Iudæis, ut imperfectis hominibus. Duo sunt mala, quæ omnem Rempublicam pertur-

bare solent, videlicet homicidium, & adulterij; quibus duobus malis obuiam ire uoluit in hac parte Dominus: & ideo permittit uiris, ut vxorum innocentiam explorarent, ne eas facili, & temere ex suspitionibus adulterij necarent: & vxores maximum vitæ discrimen subire uoluit, ut eas ab adulterio deterreret, cum nosset, scelus suum posse facili deprehendi. Item, docetur hac lege, Deum uoluisse, ut multæ foemine sine culpa penam, & tormentum sustinerent, sed non sine premio: nam permittit hoc loco innocentes vxores aliquando adulterij infamia laborare, aquas amarissimas bibere, sed cõperta innocentia noua prole donari. Discimus quoque, grauiamala esse perferenda, ut malam suspitionem ex proximorum animo euellamus. Significatur etiam hac lege, tristem esse debere peccati præteriti recordationem coram Domino, iuxta illud, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & ideo noluit Deus, ut in hac oblatione offerretur oleum, aut thus, aut sal, cum alioqui Leuit. 2. in omni oblatione sal, oleum, & thus esset offerendum: oleum exhilarat, corroborat, lenit, tranquillat: thus quoque suo odore delectat, in sacrificijs suffitum gratissimum præbet: Sal condimentum est cibi, sapore palatum excitat.

Caput XX.

De septimo quoque anno, qui dicitur annus remissionis.

Leuitici 25. Lex promulgatur huiusmodi: Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo uobis, sabbatizet terra sabbatum Domini, (id est, quiescat quiete quadam Domino dicata) sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis uineam tuam, colligesque fructus ex ea: Septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini. Agrum non seres, & uineam non putabis. Quæ stione gignet humus, non metes, & uvas primitiarum tuarum non colliges quasi uindemiam: annus enim requietionis terra est: Sed erunt uobis in cibum, tibi, & seruo tuo, ancillæ, & mercenario tuo, & aduena qui peregrinatur apud te. Hæc ibi lex mādāt. Non igitur mecentur segetes, sed leuiter duntaxat amputabuntur spicæ, & fructus agrorum, uinearum, & oliuarum, & aliarum arborum, communes erunt omnibus ob pauperum subsidium.

Exodi 23. Anno septimo dimittes (terram) & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui: & quicquid reliquum fuerit, eadem bestia agri. Ita facies in uinea, & in oliueti tuo, & ne solliciti essent Hebræi, vel an xij, vel remissi ad beneficentiam, Leuitici 25. præscribitur: Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam uobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum.

Deinde serui Hebræi libertate donabatur eodem anno septimo. Exodi 21. Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Eodem quoque anno omnia debita remittebantur. Deuteronomij 15. septimo anno facies remissionem, que hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, vel fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. A peregrino, & aduena exiges.

Cinem & propinquum repetendi non habebis potestatem. Et ne avari à mutuo dando abstinerent; ibidem subiicitur: *Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, Appropinquat septimus annus remissionis, & averti: ut oculos tuos à paupere fratris tui, nolens ei quod postulat, mutuum commodare, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* Ante septimum igitur annum licebat cuique repetere à debitore, quod mutuo dederat: accedente septimo anno, nihil in perpetuum fas erat repetere: & propterea cautiore erant Hebræi in mutuo dando, & in repetendo diligentiores.

Anno item septimo liber Deuteronomij, iussu Domini, legebatur. Deuteronom. 31. *post septem annos, anno remissionis in solemnitate Tabernaculorum, convenientibus multis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Israel audientibus eis, & omni populo congregato. Voluit Deus, ut omnes legem audirent, quod docerentur quid facere, quidve fugere, & cauere deberent.*

Dubium quæstionis est, quomodo septimus annus computaretur? an ab emptione serui, aut à debito contracto, an potius ab altero septimo anno? Numerabatur à septimo anno, ita ut omnibus esset vnus, & idem annus septimus: nam ab eo anno, quo ingressi sunt Hebræi in terram à Deo promissam, computare cœperunt annos per septenarios, & in illo primo anno cœptus est primus septenarius, Leuit. 25. *quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizet terra sabbatium Domini, sex annis feret agramentum, & septimo anno sabbatizetis terræ. Quamobrem quod propior erat annus septimus, eò minoris serui vendebantur, & eò pauciores inueniebantur, qui mutuo darent: nã avari à mutuo dando erant alieniores.*

Caput XXI.

De Anno quinquagesimo, quem lex Moysis Iubilæum appellat.

Leuitici 25. *Lex est talis: Numerabis quoque mihi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ coniunctæ faciunt annos quadragintano- uem, & clanges buccina mense septimo; Septimo die mensis propitiationis in vniversa terra vestra, sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tue. Ipse enim est Iubilæum. In hoc anno possessiones olim venditæ, ad veteres dominos sine pretio redibant. Ibidem, Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque redibit ad familiam pristinam, quia Iubilæus est, & annus quinquagesimus. Hinc fiebat, ut quò magis instaret annus quinquagesimus, eò minoris agri, vineæ, atque oliueta venderentur. Ibidem: Quanto plures anni remanserint post Iubilæum, tantò crescit, & pretium: & quantò minus temporis numeraueris, tantò minoris, & emptio constabit: tempus enim frugum vendet tibi, ac si dicat, venditor non vendidit tibi ipsam rei substantiam, sed tempus fructuum colligendorum. Deinde, hic annus erat perfectæ libertatis: nam vsu veniebat interdum, ut seruus Hebræus septimo anno ad libertatem pristinam non rediret, quia eam contenebat; & nihilominus quinquagesimo anno veller, nollet,*

libertatem recuperabat cum vxore, & filijs. Exodi 21. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Quod si dixerit seruus, Diligo Dominum meum, & vxorem, ac liberos, non egrediar liber; offeret enim Dominum Dni, & applicabitur ad ostium, & postea, perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum vsque ad annum quinquagesimum. Rationem huius legis iam supra reddidimus.*

Hoc loco quæri solet, An quinquagesimus annus numeraretur à die, quo quis possessionem vendebat? Minime: nam sicut septimo quoque anno, altera annorum hebdomada numerari incipiebat, ita finito quinquagesimo anno, alij quinquaginta anni incipiebant computari. Quare totum tempus apud Hebræos in septenarios annos, & quinquagenarios diuidebatur, ita tamen, vt semper vterque numerus integer esset. Primus annus quinquagesimus successit ab ingressu in terram à Deo promissam, vltimo septenario hebdomadæ annorum, & vnus annus remissionis alterum consecutus est: deinde annus primus secundi quinquagenarij, qui numerari incipiebat, vt fieret secundus Iubilæus, fuit secundus octauæ annorum hebdomadæ, atque ita deinceps in reliquis.

Quæri etiam solet vnde dictus sit Iubilæus annus? Quidam opinantur deductum esse hoc nomen à Iubal, primo musicorum instrumentorum auctore; Alij verò, à Iobel, quod Hebræis significat cornu arietinum, vel ipsius sonitum: & dictum esse Iubilæum, quòd tali cornu eo anno clangere Hebræi: nam cum eo anno quinquagesimo perfectæ libertas esset debitorum, possessionum, & seruatorum, remittebantur debita, possessiones restituebantur, serui libertate donabantur, ideo in maxima totius populi frequentia, & celebritate buccinis clangebatur: atque id fiebat anno quadagesimo nono mense septimo, in decima die eiusdem, quo celebritas expiationis colebatur; vt notum esset omnibus, annum proximè sequentem esse Iubilæum. Et ideo dicitur: *Sanctificabisque annum quinquagesimum, id est, populum præparabis ad celebritatè anni quinquagesimi: nam sanctificare in sacris literis, aliquando idem est, quod præparare.* Vnde apud Isaiam Dominus: *Ego mandavi, inquit, sanctificatus meus, hoc est, Medis, & Persis, quos præparauit, vt deleant imperium Chaldæorum. Erat hic annus typus, & figura gratuitæ remissionis, & liberationis peccatoribus annunciandæ per Euangelium Christi Domini.*

P R A E C E P T A.

Caput XXII.

De ijs, quæ lege veteri immunda censentur. & primum de cibis immundis, siue de ciborum delectu.

Leuitici capite vndecimo, & Deuteronomij decimoquarto prohibuit Deus certos ci- bos, alios verò concessit. Permisit quidè iudæis, vt vesce-

vt vescerentur ex animantibus terræ quadrupedibus: his verbis: *Omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus, comedetis: quicquid autem ruminat, aut ruminat quidem, & habet vngulam, sed non diuidit eam: sicut camelus, & cetera, non comedetis illud.* Ac deinde numerat aliquot animalia tanquam immunda, à quibus esset abstinendum: quæ sunt, Charogryllus, camelus, & lepus: quæ ruminant quidem, sed vngulam non diuidunt. Et porcus, qui vngulam diuidit, sed non ruminat. Nam quæ vngulam diuidunt, at non ruminant, non comedetis. Inter Auctores controuersia est, quale animal sit Charogryllus. Quidam existimant esse cuniculum, alij porcum spinosum, nonnulli herinaceum: quod probant ijs verbis Dauidis: *Petra refugium herinacij,* nam idem nomen ponitur vtrobique. Postea inter immunda animalia reponit mustelam, murem, crocodilum, Mygale, chamæleontem, stellionem, lacertam, talpam. Item, generatim immundum est animal, quod sine pedibus ventre progreditur, & reptile dicitur, quod serpit super terram.

Sanctus Thomas, prima secunde questione 102. articulo sexto, ad primum putat, causam huius esse, partim quia carnes animalium habentium vngulam, non tamen diuisam, sunt sicci humoris, ac proinde non aptæ ad esum: partim, quia carnes animalium habentium vngulam diuisam, sed non ruminantium, solent raptò viuere, ac proinde sunt animalia rapacia, & carniuora, & idcirco immunda. Item, cum non ruminant, solent cibos integros, non concisos deuorare. Cibi itidem ex animantibus, quæ vel reptando, vel serpendo gradiuntur, eo quod sint corporibus noxijs, vel immundi, lege prohibentur. Eadem ratione mures, & alia id genus animalia rejiciuntur, nam hos omnes cibos natura ipsa hominum refugit, & detestatur.

Præterea, inquit ille, aliorum animalium carnes vetantur, quia immundis cibis nutrirî solent, tameñ huiusmodi carnes non sint humano corpori noxiæ. Et propterea iubet Deus ludæos abstinere à carne suilla, quia porcus volutatur in cæno, & luto, & comedit quicquid in locis immundis inuenit. Aliorum verò animalium carnes prohibentur, quia sunt corporibus noxiæ, & earum esum ipsa hominis natura, (vt de reptilibus dictum est,) fastidit ac respuit. Ex piscibus verò, concessit eos, qui pinnulas habent, & squamas: eos verò prohibuit, qui squamas aut pinnas non habent. Ex volucris venit carnes earum edere, quæ sunt rapaces, & voraces. Et recensuit aquilam, gryphem, halæctum, miluum, vulturem, struthionem, noctuam, Iarum, accipitrem, bubonem, mergulum, ibim, cygnum, onocrotalum, porphyriorem, herodionem, charadriam, vpupam, vespertilionem. Sed inter mundos cibos ex volucris memorat bruchum, atracum, ophiomachum, & locustam. Porro gryphus, animal est Indicum, pennatum, & quadrupes, omni ex parte leoni, alis verò, & facie aquilæ simile, equis vehementer infestum, Plinius libro decimo, capitulo quadragesimo nono, antèrîus rubrum est, à tergo nigrum, albisque alis.

Halæctus, volucris est: huius nulla mētio apud Aristotelem, Aelianum, Plinium: nisi comprehendatur sub decem accipitrum generibus, quæ Aristoteles habet libro nono cap. trigesimo sexto, de historia animalium.

Larus avis est aquatica, colore fuluo, magnitudinem columbæ non multum excedens. Quidam fulicam interpretantur: teste Suida, Avis est mirum in modum rapax, & vorax, quæ ab Aristotele Gavia, appellatur lib. 8. cap. 3. & apud Plin. lib. 10. cap. 32.

Mergulus, idem qui mergus: de quo multa est mentio apud Aristotelem, lib. 8. cap. 3. Plinius lib. 10. cap. 32. dicitur esse avis sic dicta, quod se in aquam cibum captans assidue immergat, teste Varrone, lib. 4. de lingua latina.

Ibis, duplicis est differentiæ: alia apud Pelusium, nigra in Aegypto, de ea sunt multa in Aristotele lib. 9. cap. 26. Alia ciconiæ non absimilis apud eundem lib. 15. cap. 10.

Onocrotalum, alij vertunt Pellicanum, eius nullam mentio apud Aristotelem. Plinius lib. 10. cap. 47. ait esse volucem similem Olorij valde rapacem, & voracem.

Porphyrio, forma & pulchritudine omnes aues excedit. Aristoteles lib. 8. cap. 8. Aelianus libro 14. cap. 35.

Herodionis nec Aristot. nec Plinius, nec Aelianus meminere. Quidam putant esse falconem.

Charadrius, avis est magnitudine par turturi, colore luteo, fluente & nemora colens, Suidas in *stipponalle*, ait, huic aui inesse vim medicam, vt illius aspectu facile sanetur qui laborat ictero, siue regio morbo. vide in Chilliad. Charadrium imitans.

Attacus, nec apud Aristotelem, vel Plinium nec apud alios legitur.

Ophiomachus itidem nescitur, quæ avis sit. Mygale, nonnulli Eritium intelligunt.

In hac lege de ciborum delectu illud voluisse Deum quidam aiunt, vt ea animalia, quæ pro Dijs à Gentibus habebantur, passim comederentur: sues verò, lepores, & cuniculos immundos voluit Moyses esse, quia hisce vescebatur Aegyptij, cæteris autem tanquam Dijs suis, parebant. forsitan Moyses suillæ carnis, & leporis atque cuniculi esum interdixit, quia Maiores suos has carnes cognouerat non comedisse, & quod Maiores in delectu ciborum, more, & vsu obseruarunt, ipse lege constituit atque præscripsit.

Item, lege cavit, (de qua Genes. 9. Leuit. 17. Deuterion. 12.) ne ederent sanguinem animalium; & ideo abstinere, lege cogebantur Hebræi ab esu animalium, quæ suffocata, vel strangulata erant, eo quod vnâ cum carnibus sanguine edere oporteret, si hæc comederentur. Leuit. 19. lex est: *Non comedetis carnem cum sanguine: quare non tantum fuit legis præceptum, vt abstinerent à sanguine, sed eadem ab omni animali suffocato, strangulato, & à bestijs discepto. Leuit. 17. Anima, hoc est, homo, qui comederit vorticinum, vel captum à bestia, tam de indigenis, quam de aduenis, lauabit vestimenta sua, & semetipsum aqua. Voluit Deus, vt ab omni rapina auertamur. In hoc tamen aliud præceptum continebatur, vt abstinerent, scilicet ab esu suffocati animantis. Prohibuit verò Deus vsu sanguinis*

Cic. li. 2. de natu. Deorum. Plin. lib. 8. c. 7.

vt ab omni specie crudelitatis, & ab iniurijs, & cædibus abstinerent. Cuius legis ratio Leuit. 17. redditur: *quoniam anima*, inquit, *omnis carnis, in sanguine est*, quasi dicat, quia spiritus vitalis siue vita animantium, anima sumitur pro spiritu vitali, aut vita, & caro sumitur pro animali, est in sanguine; hoc est, nutritur, & sustentatur à sanguine, nam sanguis est corporis ac vitæ alimentum in animantibus: perinde est, ac si diceret: sicut lychni ignis est in oleo, id est, sustentatur, & nutritur ex oleo; sic spiritus vitalis, siue vita animantis in sanguine consistit, quare qui edit vel fundit sanguinem animalis, fundit, vel deuorat vitam eius. Et subiungitur ibidem: Et ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, vt si diceret, Præcipio, ne comedatis sanguinem animalis, quia volui, vt peccata vestra sanguine animalium expietis, & vitam vestram eo sanguine redimatis; quare sanguis animalium non nisi ad altare meum, & per sacerdotem, & tanquam victima pro vestris peccatis fundendus est. Prohibebantur itaque Iudæi edere sanguinem animalium, quia eum sibi Deus ad sacrificia referuauerat, & ne occasione vlla inducerentur ad edendum sanguinem animalium immolatorum, generatim præcepit, ne vllum sanguinem animalium comederent, præcidi oportet omnem peccandi, & perfringendi legem occasione.

Similiter etiã interdixit vsu adipis Leuit. 3. quoniam adipem sibi Deus referuauerat ad sacrificia.

Item, Exod. 23. & Deuter. 14. lex est ista: Nô coques hoc dum in lacte matris suæ, hoc est, Non offeres mihi hoc dum ministerio Sacerdotum postea coquendum, quandiu fugit lac matris. Alij sic: Non offeres mihi hoc dum macerandum vna cum matre lactante, quod etiam præceptum eodem spectare constat, ad absterrendos scilicet Iudæorum animos ab omni specie crudelitatis, iniuriæ, & cædis. Voluit itidem Deus, vt hoc lus iam ad ultus offerretur quasi iam certò victurus.

Caput XXIII.

De hominibus qui in veteri lege immundi censentur, & de rebus itidem alijs immundis.

Impuri, & immundi homines in lege Moysis prohibebantur ab ingressu, & aditu in templum, quique excluderentur à sacris oblationibus, & sacrificijs: Qui itidem ab aliorum consortio separabantur, & immundi dicebantur dupliciter, vel per se, vel ex alio, nimirum tactu rei immundæ.

In primis Leuit. 13. Lara est lex, qua immundi habentur ij, qui sunt lepra infecti: nomen autem Hebraicum, quod latinus interpret in lepram conuertit, non solum significat lepram, sed generatim labem, & maculam corporis contagione alios afficientem. Vnde Chaldeus paraphrastes transfert in Scabiem. Iudicium, quo lepra cuiusque iudicabatur, erat Sacerdotum. Sed cur potius ad Sacerdotem, quam ad alium quemuis

pertinebat: nam Medicorum est morbos cognoscere, & diiudicare: & Principum etiã, contagione morbi infectos ab aliorum cœtu, & conuictu secludere. Respondeo, id iudicium esse sacerdoti relictum, vt lepra, & alia quavis corporis labe hominem contaminatum à sacris excluderet: nam sicut sacerdotum est ad sacra dignos admittere, sic etiam indignos prohibere, & impuros certis cæremonijs lege præscriptis mundare. Manebat autem leprosus extra castra septem diebus. *Quæritur* cur septem diebus? Respondeo quia voluit lex, vt integra vna hebdomada, quæ septem dierum circulo concluditur, à castris, & proinde aliorum consortio esset exclusus. Item, septenario perfectio significatur, vt igitur leprosus septem dierum intervallo penitus curaretur à lepra, iubebatur extra castra septem dierum spatio commorari.

Secundò, Leuitici cap. 12. *Mulier si suscepto semine* (hoc est, concepta prole) pepererit masculinum, immunda erit septem diebus (hoc est vna hebdomada) iuxta dies separationis menstrua hoc est, iuxta numerum dierum, quibus immunda habebatur ob menstruum sanguinis profluuium, & die octauo circumcidetur infantulus: ipsa verò trigesima die manebit in sanguine purificationis suæ (vnde quadraginta diebus immunda censetur) sin autem feminas pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Ratio huius legis videtur cum ipsa natura congruere, tradunt Medici ex Hippocrat. in libell. de carnibus, & lib. de partu septimestri, & ex Aristot. lib. de historia animalium septimo, cap. 3. semen intra vterum femine susceptum, si ad septem dies formari non ceperit, effluere & euanescere. Infans quoque recens natus si septem dies compleverit, octauo die extra periculum vitæ constitutus censetur; & ob hanc causam, teste Aristotele libro septimo de historia animalium, capitulo vltimo, septimo die, videlicet exacto infanti nomen imponitur, quasi iam certò victuro. Rectè igitur lex constituit, vt quæ masculinum pepererit mulier, septem diebus habeatur immunda: quia licet frequenter non nisi vsque ad tertium, vel quartum diem soleat menstruum profluuium pati, aliquando tamen natura id prorogat vsque ad septimum diem, nam si magis prorogetur, morbus est, nõ naturæ cursus, Rectè itidem octauo die circumciditur infans tanquam iam, & non antea extra vitæ discrimen constitutus: domi autem manet mulier quadraginta diebus: quia iuxta Medicorum placita, sicut infans ad octauum diem perueniens, victurus certò creditur; sic diem attingens quadragimum, incipit roborari; & confirmari. Et ideo quadragesimo die mater iubetur eum in templo offerre, quasi iam robustum effectum, at mulier pariens foeminam, duplicato dierum numero domi reclusa manet: quia foemina masculo debiliior est, vt pote frigidior, & humidior, ac ideo recens nata non creditur certò victura, nisi decimum quartum diem exegerit: nec robustior facta, nisi octogessimam diem attigerit.

Tertiò, Leuitici 15. immundus habetur vir, qui patitur feminis fluxum.

Quartò, Ibidem, Mulier quæ menstruo proflu-

uio labo-

uio laborat, immò quæcunq; ob morbum id patitur, septem diebus habetur immunda.

Quinto, Numeror. 19. Omnis qui tetigerit cadaver hominis, ossa eius, vel sepulchrum interempti vulnere, vel alio modo extincti, immundus censetur septem diebus. Itē, **Leuit. cap. 11.** Quicumque tetigerit cadaver animalis, etiam mundi, vel vulnere occisi, vel à bestia discepti, vel senio, aut morbo confecti, immundus putatur. Numeror. etiam 19. Omnis qui immundum aliquid tetigerit, immundus habetur. Omnis itidem, qui tetigerit aquas ex-piationis, hoc est, aquam, qua immundi respergebantur, ut mundi redderentur. **Leuitici cap. 11.** Qui tetigerit aliquid animal etiam vivum, ex ijs, que reputat sue serpunt, immundus erit. Ratio huius legis erat, quia hæc animalia sunt hominibus noxia, cum venenum effundant. Item, **Num. 19.** Omnis qui ingreditur tentorium, in quo existit mortuum, & vniuersa vasa, que ibi sunt, polluta habentur septem diebus.

Præter homines, res quædam aliæ immundæ quoque censebantur. Et hoc etiam dupliciter, vel per se, vel contactu hominis immundi. Per se, res ea impura habebatur, quæ suo tactu hominē immundum reddebat.

Leuit. cap. 14. lex continetur de ædibus immundis. Sic enim dicitur: *Cum ingressi fueritis terram Chanan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepra in ædibus, ibi cuius est domus, nunciatus Sacerdoti, & dicit, Quasi plaga lepra videtur mihi esse in domo mea.* Porro lepra in domo, erat macula, parieti hærens, eo quod lapis putresceret, vel labem aliquam, & maculam quoquomodo contraheret. Ibidem dicitur: *Qui intraverit domum, (videlicet labem, vel macula infectam) quando clausa est, immundus erit vsque ad vesperam: & qui dormierit in ea, & comederit quippiam (hoc est, vel comederit) lauabit vestimenta sua, id est, immundus habebitur, donec abluerit vestimenta, post solis occasum.*

Leuit. cap. 13. Lata est lex de veste lanea, siue linea immunda, quæ sic habet: *vestis lanea siue linea, que lepram habuerit in stamine, siue subiegmine, aut certe pelle, vel quicquid ex pelle confectum est, si alba, vel rufa macula fuerit, infecta lepra repubiatur, ostendetur huic Sacerdoti. Lepra in veste erat labes, vel macula in panno ex qualibet causa contracta, siue vestis esset lanea, siue linea, siue pellicea, siue esset in stamine, vel sub tegmine laneo, vel lineo, vel pelliceo.*

Numeror. 19. Lex datur de vase immundo. *Vas, inquit, quod non habet operculum, nec ligaturam desuper, hoc est, super quo alligatum nõ est operculum immundum erit.* Ratio huius legis erat, quia tale vas cum patulum esset, immunda solebat excipere, & proinde, ut expositum pluribus incommodis, habebatur pro impuro.

Leuit. cap. 11. Omnis cibum quem comederis, si fusa fuerit super eam aqua, immundus erit. Sensus est: si incibus alioqui mundum ceciderit aqua, ex vase scilicet immundo, eo quod exceperit morticinum animal, immundus reddetur.

Subiungitur in lege: *Et omne liquens, quod bibitur de vniuerso vase immundum erit.* Significatur que omnis potus qui bibitur ex vase immundo, sit immundus. Ibidem: si aliquid ex morticinis immundis, cadebat in aliquid aliud, id immundum reddebat, non tamen si in fontes, vel cisternas, vel in alias aquarum congregationes incideret, nec itē

si in semen iam terræ mandatum. Secus verò, si caderet in semen aqua perfusum, & præparatum ad hoc, ut terræ mandaretur.

Leuit. cap. 15. Omne stratum, in quo dormierit homo, cui semen fluxit, immundum erit, & vbiunque sederit. Si quis item hominum tetigerit lectum eius, vel sederit, vbi ille sederat, immundus erit. Idem statuitur de ijs, qui tetigerint mulierem menstrua patientem. Sed quid verba illa toties inculcata significant; immundus erit vsque ad vesperam? Item, illa, *Lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperam.* Respondeo: ijs, qui immundi reddebantur tactu rei immundæ, impuri manebant vsque ad solis occasum, vult dicere lex: toto eo die, quo immundum tetigerant, immundi erant: at post solis occasum, lauabantur ipsi, & eorum quoque vestimenta immunda tactu facta.

Porro ceremoniæ, quibus immunda purgabantur, continentur **Numer. cap. 19.** & **Leuit. c. 14.** Si verò, qui immundi erant per se, non tactu rei immundæ, iubentur **Num. 5.** extra castra eijci, & commorari, videlicet, lepra infecti, siue marres essent, siue foeminae. Item, viri, quibus semen fluxerat, videlicet ex morbo, ægritudine, vel alia qualibet corruptione corporis inuoluntaria, nõ autem qui ex concubitu, siue congressu, vel per quietem nocturnam, vel sua sponte semen nefarie emittebant: nam illi patiuntur fluxum feminis, ut corporis morbum, & ægritudinem, hi nõ item. Item, viri siue foeminae in vniuersum causa siue tactu funeris, siue hominis mortui immundi erant. *Præcipe, inquit, filijs Israel, ut eijciant de castris, omnem leprosum, & qui semine fluxit, pollutusque est super mortuo.* Leprosus eijciebatur, ne alios inficeret. Item, vir qui feminis fluxum ex aliqua corporis ægritudine corruptione inuoluntaria patiebatur, ne tactu ipsius alij immundi passim redderentur.

Deuteronom. 23. Lata est lex hæc: *quando ingressus fueris contra hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala, hoc est, ab omni turpi, & immunda re, vel actione, & omni peccato.* Hebræi cum hostibus pugnaturi, solebant Arcam Domini in castra deportare, & per castra circumferre. Vnde Dominus præcepit, ut milites in castris, per quæ Arca Domini circumferri debebat, ab omni immunditia, & turpitudine sese continerent. Item, milites temere, & impudenter multa peccata committunt; vnde fit ut Deus iratus victoriam sæpe denegat. Ideo præcipit, ut ab omni peccato se abstineant, ne suis peccatis victoriã impediunt. Putant milites, cum progrediuntur ad bella, omnia mala impunè sibi licere committere; non sibi temperant à cædibus, non à rapinis, & violentiis, stupris, & id genus flagitijs, & idcirco sæpe vincuntur ab hostibus. Monemur itidem, in omni loco munditiam esse seruandam: docemur etiam, in externis, & internis rationem esse habendam Dei vbique præsentis, & cuncta cernentis, qui perpicit occultissima quæque, etiam si hominū oculos fugiant, & lateant.

Ibidem ponitur hæc lex: *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur, priusquam ad vesperam lauetur aqua: & post solis occasum regredietur in castra.*

Item, & alia lex: *Et abebis locū extra castra, ad quem*

egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in baltheo; vel ex Hebræo, & habebis paxillum cum armis, hoc est, cum ense tuo, cumque sederis, fodias per circuitum, & egesta humo operies, quo reuelatus es, Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, & iradat tibi inimicos tuos: & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat seditatis, ne derelinquat te. Viles profecto, & parvæ videntur hæ duæ leges, sed satis salutare, & vitæ, ob communem militum salutem, ne castra sordibus polluerentur, & inficerentur; ne itidem aliquid esset immundum coram Arca Domini, quæ in castra deportabatur, & per ea circumferebatur. Admonebantur quoque his legibus Reipublicæ rectores, ut sordes extra urbes depellendas sollicitè curarent, ne malus illarum odor civibus noceret. Quòd si corporis immunditiâ iubet Deus abstergi, quanta cura est adhibenda in expurgandis mentis maculis ac sordibus, quæ sunt peccata?

P R A E C E P T A.

Caput XXIV.

De Nazaræis.

Numerorum sexto lex fertur de ijs, qui Nazaræi dicebantur; hoc est, voti religione & vinculo Deo consecrati. Porrò Nazaræi, vel ad tempus, vel in perpetuum totos sese Deo debebant, Diuinoque cultui, & religiosæ vitæ mancipabant, his interdictum erat vsu vini, & corporis delicijs, & voluptatibus: vnde sese abstinebant à ficera, & omni potu ex viuis expresso, seu itidem vuarum recentium, siccarum, & passarum: quare nec ipsos vuz acinos edere poterant, ut omnis illis tolleretur occasio bibendi vinum. Præterea, quamdiu Nazaræorū religione tenebantur, capillos intonsos deferebant, & à funere arcebantur etiam parentum, & fratrum. Si enim vel funeri intererant, vel immundum aliquid tangebant, immundi fiebant. Quod si accideret, ut coram ipsis quispiam subito moreretur, eo ipso polluebantur; ita tamen ut ritu legitimo postea mundarentur. Cum immundi reddebantur causa funeris siue mortis, septimo die debebant cæsariem siue comam radere, & octavo, duos turtures, vel duos pullos columbarum offerre: & ex eo tempore incipiebat rursus numerari tempus Nazareatus sui, hoc est, tempus quo vouerant se futuros Nazaræos. Nam dies, qui pollutionem præcesserant, pro nihilo habebantur. Exacto verò consecrationis tempore, Nazaræorum capilli tondebantur, ac igni exurebantur: hoc enim fuit legis commune præceptum, ut quod supererat ex victima, & hostia immolata, vel qualibet re alia sacrata Deo igni combureretur; videlicet ne posset à profanis hominibus conculcari, vel ab animantibus brutis comedi, vel in vsu conuerti profanos.

Nazaræus Hebraicè idem est, qui latinè separatus, erat enim à cæteris segregatus vitæ sanctimoniam, & vitæ religione, & abstinentia à vino, & alijs corporis delicijs, & intõsa capitis cæsarie siue coma, & diuinis rebus, & operibus ad dictus. Quæ autem erant diuinis vsibus destinata,

separata vocabantur, hoc est, à profanis ministris, & actionibus signo aliquo seposita. Hoc vitæ genus Deus per Moysen multis de causis instituit: Primò, ut præter sacerdotum, essent aliqui ex populo, qui se totos piæ, & religiosæ vitæ, & diuino cultui consecrarent. Deinde, ut aliqui sua sponte arctiori melioris vitæ vinculo obstrictos sese Deo offerrent, & suo exemplo cæteros ad meliorem quoque vitæ frugem allicerent, & inuitarent. Postremò, ut ijs, qui aliquando vino, & reliquis corporis delicijs liberius, & profusus quàm par erat, indulgissent, postea seueriori vitæ generi se dederent. Noluit verò Deus de hoc vitæ instituto præceptum dare, sed consilium, ut cuique liberum esset se Deo Nazaræorum voto obligare.

Sed cur præcepit Deus, ut Nazaræi comam intonsam deferret? Teste Cyrillo in eo capite, hoc præcepit Deus, quia apud Gentes hoc erat in more positum, ut qui Dijs ipsorum Gentilium consecrabantur, capillos, & barbam raderent. Hæc ille. Item, quia cæteri Hebræi comam tondebant ornatus gratia, vnde oportuit, ut Nazaræi Diuino cultui, & obsequio mancipati, nihil de eo capitis ornatu curarent, quo testarentur se omnem corporis ornatum, & cultum negligere: quem tã sollicitè cæteri curabant.

P R A E C E P T A.

Caput XXV.

De Sacrificijs.

Naturæ lex, & ratio deposcit, & præcipit, ut Deo sacrificia offeramus, quibus peccata nostra expiemus, eum nobis placatum, & propitium reddamus, eius opem inuocemus, gratias pro beneficijs acceptis agamus. Quare Deus per Moysen certa quædam sacrificia cum suis ritibus peculiaribus instituit.

Primò Quaritur, quotuplex fuerit sacrificiorum genus in veteri Hebræorum populo? S. Thomas prima secundæ quæst. 102. artic. tertio ad octauam, omnia sacrificia legis veteris ad tria genera reuocat; ad hæc nempe, Holocaustum, Hostiam pacificam, & Hostiam siue sacrificium pro peccato. Ex Leuitico à capite primo vsque ad septimum omnia sacrificiorum genera colliguntur, vnum genus erat, quo tota victima comburebatur, sacro igne, & combusta exhalabat fumum ascendentem in cælum: quod sacrificiū Hebræicè dicitur, *Holah*, *ed*, quòd totum animal igni exustum, in fumum sublime petentem resoluatur. Græci vocant, *ἅλω καυστήρ*, Holocaustum, vel Holocaustoma, quasi totum combustum: quod nomen retinuit semper Latinus interpres. Hoc sacrificium offerebatur ad testandum Diuinæ Maiestatis honorem, imperium, & supremum dominatum in omnia; Et ideo totum sacro igni consumebatur: honor enim Deo debitus, nulli alteri potest iure deferri; ac propterea victima, qua hunc honorè offerens testabatur, tota merito consumebatur igni, quia in totum Deo debebatur: & idcirco tota sublime petebat, quasi omni ex parte cælesti igne succensa, ut cum hoc sacrificium

offerimus,

offerimus, intelligamus, & testemur nos totos in honorē, & cultum Dei consecratos, & obstrictos, & igne Diuini amoris inflammatos esse oportere. De hoc sacrificio agitur Leuit. 1. & 6.

Alterum genus sacrificij Hebraicè dicitur *Mincba*, quod Latinus interpres Leuit. cap. 2. 3. & 7. vertit in Sacrificium, aliquando Libamen, vel Libamentum. Erat enim munus oblatum ex rebus vitæ expertibus, sed ad esum, & potum aptis. Et Leuit. cap. 2. numerantur sex genera rerum, ex quibus constabat, videlicet, simila, hoc est, farina purissima oleo commixta, cum qua etiam simul offerebantur thus, & sal. **Secundò** Panis, hoc est, placenta ex simila cilibano siue fornice cocta. **Tertiò** Panis, id est, placenta in sartagine fricta. **Quartò** Panis, hoc est, placenta in craticula ad ignem concocta. **Quintò**, Spicæ triticeæ maturefcentes igni tostæ. **Sextò**, Triticum ex primis spicis contritum.

Tertium genus sacrificij Hebraicè dicitur, *zebach, selamin*, quod Latinus interpres appellat *Hostiam pacificam*, vel pacificorum, aliquando *Hostiam salutarem*. In eo offerebatur, vt patet Leuitic. 3. victima, hoc est, aliquod animal ex bobus, vel ouibus, vel capris; quod quidem animal gladio iugulabatur: cuius vna pars igni exurebatur, altera cedebat in cibum vsuq; sacerdotis, tertia relinquebatur in escā eius qui offerebat. Hoc porò sacrificiū, aut offerebatur ad agendas gratias Deo pro beneficijs acceptis, quo testabatur offerens gratum animum suum erga Deū, & totum, quod reseruabatur in vsum Sacerdotū, edi debebat eodē die, quo offerebatur: & hoc sacrificium passim in Sacris literis, laudis sacrificium vocatur, quod sponte sua quisque offerre cōsueuerat. Aut offerebatur ad Diuinam opem impetrandam, ratione alicuius beneficij obtinendi, votiua vel spontanea oblatione. Et totum, quod cedebat in Sacerdotum escam, comedi poterat, vel eodem die, vel proximè sequenti: reseruari tamen in tertium diem nequibat. Leuit. 7.

Quartū genus sacrificij Hebræis vocatur *Chatub*, quod latinus interpres reddidit *Hostiam pro peccato*, erat animal, quod macabatur pro peccato alicuius sciēter admissio, cuius vna pars igni absuuebatur, altera seruabatur in cibum Sacerdotis offerentis, quando erat hostia, immolata pro peccato Principis, vel priuati hominis, nam erat vñū sacrificium, quod offerebatur pro peccato summi Sacerdotis: alterum pro peccato Principis, vel Magistratus: tertium pro peccato totius populi: quartum pro peccato priuatorum hominum, vt postea dicam.

Quintum genus sacrificij dicitur Hebraicè *Afasim*, quod latinus interpres Leuit. 7. transfert in *Hostiam pro delicto*, hoc est, animal immolatum pro peccato alicuius nō sciēter, sed per errorē, vel imprudētiā commissio: Cuius sacrificij, vnam partem deuorabat ignis: alteram verò sibi in cibum Sacerdotes sumebant.

His omnibus sacrificijs commune nomen erat Hebraicum *Corban*, quod latinus interpres semper vertit siue in donū, siue in oblationem: significat enim generatim tum sacrificia prædicta, tum reliquas quaslibet oblationes, etiam si circa materiam ipsam, quæ offertur, nulla actio sacra fie-

ret. Vnde cum in Scripturis iunguntur sacrificiū, & munus, vel sacrificium, & oblatio, priori vocabulo, significatur oblatio rei, per aliquam actionem sacram mutatæ, nempe, vel contritæ, vel macatæ, vel exultæ, vel cum alio commistæ, vel aliquo conspersæ liquore, vel sale: posteriori vocabulo significatur oblatio rei nulla ratione mutatæ, quia nihil in ea per actionē sacrā fiebat.

Secundò Queritur, quot genera animalium, in sacrificijs Iudaicis offerebantur? **Respondeo**: ex quadrupedibus mundis tria tantum genera animalium sacrificari lege potuisse, sacrificia etenim offerebantur ex bobus, vel ex ouibus, vel ex capris: ex volucris verò mundis, duo tantum genera erant sacrificijs apta: aut enim turtures, aut pulli columbarum offerebantur. voluit verò Deus sacrificia offerri ex animantibus, mundis quidem, & quæ sunt nostris vsibus deputata, & ex quibus multa ad vitam nostram necessaria percipimus; videlicet, vt ex his, quæ ad vitæ vsus habemus, aliquid detraheremus, & Deo reseruaremus: voluit etiam, vt ex prædictis quadrupedibus, vel volucris sacrificia offerrentur, vt tum pauperes, tum diuites sacrificia possent offerre: habent enim etiā pauperes, vel boues, vel oues, vel capras, vel turtures, vel columbas: voluit itidem Deus ea animalia immolari, quæ in potestate hominum essent, & quæ facilius pararentur; & ad significandum aliquid aliud essent aptiora, & quæ essent pariter mitiora, & vitiora cæteris.

Sed cur edixit Deus oblationem animalium vt intelligeremus, sanguine animalium immolatorum, quo peccata hominum expiantur, vitam nostram redimi; peccata siquidem cum grauius sunt, mortem promerentur: animalia itaque macabantur, quorum morte offerentes suam vitam redimebant: & ideo ex quadrupedibus, quæ macabantur animantibus, Deus sibi sanguinem reseruauit, quia sanguine peccata expiabantur. Itē, adipem reseruauit sibi, quod commodius victimæ carnes igne sacro cremarentur: adeps enim pinguis est, & propterea optimum est ignis alimentum, & esca, quo adoleri victimam oportebat. Porro volucres nō diuidebantur, vt reliquæ victimæ, quia paræ erant, & ideo commodè secari non poterant: nec volucris Leuit. 1. ferro iugulabatur, vel cadebatur, sed vngue. Pro eo, quod Hieronymus vertit: Et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, in Hebræo habetur: *Et vngue secabit caput eius, aut etiam retorquebis*. sic enim volucres occidi solent.

Tertiò Queritur, quinsnam ritus in holocausto offerendo solebat adhiberi legis præscripto? In primis, victima, immaculata esse debebat, hoc est, animal integrum, cui nullum corporis membrum deesset, & in quo nihil deforme cerneretur, hoc est, cui nullum corporis vitium inesset, nam quod Deo offertur, vt ipsa naturalis ratio postulat, debet esse perfectum, & optimū, quodque nulla reprehensione notari queat.

Manum capiti victimæ imponebat is, qui offerebat, quasi deprecaretur iram Dei, peteretque, ne in suū, sed in caput victimæ totā conuerteret. Hoc item animal cadebatur, vel de bobus, scilicet vitulus; vel de ouibus, vt agnus, vel ex capris,

hocedus, vt constat Leuit. 1. Agnus autem, vel hocedus, anniculus debebat esse, vitulus maior esse poterat teste Iosepho. Anniculus intelligitur, qui annum non excefferat.

Ignis, quo victimæ, vel quælibet aliæ res oblatæ adolebantur, sacer erat, qui mirabiliter de celo datus fuerat Leuit. 9. neque enim sacrificia Deo accepta fuissent, nisi igne cælitus demisso absumpta: sicut nec opera nostra grata, & accepta sunt Deo, nisi igne Diuinæ charitatis succensa, atque inflammata.

Pellis immolati animalis Leuit. 7. ad Sacerdotem pertinebat, in eum finem scilicet, vt ex ea vestimenti genus conficeretur: neque enim pellis erat ad sacrificium apta, sed ad vestes conficiendas. Et sanguis fundebatur per crepidinem altaris holocaustorum, & decurrebat per parietes ipsius altaris, quo nimirum significabatur, peccatis Deum offensum fuisse, & ideo mensam eius, quod erat altare, pollutam peccatis, hostiæ sanguine mundari, quæ alioqui nostro sanguine purgari deberet. Offerebantur quoque ex volucris mundis, vel duæ turtures, vel duo pulli columbarum; vt pauperes, quibus facultas non erat offerendi vitulum, vel agnum, vel hocedum, haberet, quod offerre possent. Porro turtures, non pulli turturum: & ex columbis, non columbæ, sed sed pulli columbarum offerebantur: quoniam in turturibus plures sunt, & aptiores iudicantur grandiores, quàm pulli: contra in columbis, suauiores, & meliores sunt pulli.

Cineres mactatæ victimæ, qui ex sacrificijs in immo altari subsederant, igni iterum exurebantur, ne aliqua carnis, vel adipis particula relinqueretur, sed in cineres penitus redigeretur, & in locum mundissimum extra castra projiciebantur, quia, quæ ex sacris victimis supererant, noluit Deus, vt in profanos vsus conuerterentur, vel ab immundis conculcarentur. Eodem ritu ex volucris immolatis vesica turturis, vt immunda, & plumæ, quia sacrificio inutilis erant, reponerentur in eodem loco, in quo cineres seruabantur. Aues verò cum alis confringebat Sacerdos, nec partem vnâ separabat ab altera, sed simul cū alis suis adolebat sacro igni in altari holocaustorum: sic enim auis solet tota simul cremari, non secta neque diuisa, vt reliqua animalia igni torrentur, siue aduruntur.

Quarto Quæritur, qui ritus esset in hostia pacifica? Poterat hæc hostia offerri ex bobus; item ex ouibus, vel capris eodem ritu, quo ex bobus, licebat offerre marem, vel foeminam, quia cum non esset necessarium, vt erat sacrificium pro peccato, vel delicto, sed voluntarium, nec totum in Dei cultum, & honorem fieret, vt holocaustum, sed priuatam etiam offerentis utilitatem respiceret, eius arbitrio relinquebatur, vt pro studio, & affectu piæ, & religiosæ voluntatis plus minusue, hoc est, marem, vel foeminam offerret. Aues non offerebantur, quia necesse non erat vt pauperes ad sacrificium animalia darent, cum possent ex rebus inanimis offerre: nam vt cōsta Leuit. 7. poterant offerri panes ex similia oleo conspersi, id est, commixti.

Item Leuit. 2. præcipitur: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet.* Quidam existimant,

hoc in vniuersum esse præscriptum, ita vt fuerit generale præceptum, siue mandatum. Cæterum iuxta subiectam materiam, hoc in loco debet intelligi: placentæ siquidem, siue maiores, siue minores, aut in libano, hoc est fornace coctæ, aut in sartagine frictæ, aut in craticula vsulatæ, azymæ esse debebant, nam ab his solet abesse fermentum, ne eas corrumpat; alioqui apud Iudæos quotidiani panes quibus vescerantur, ex quibus primitias, & decimas offerebant, fermentati erant. Exdem in super placentæ Leuit. 2. absque melle, ex legis præscripto offerebatur, quoniam sacro igni adoleri debebant: at non commode igni mel exuritur, & ideo ibidem habetur: *Omnia oblatio, quæ offertur Domino absque fermento fiet, nec quicquam fermenti, & mellis adolebitur in sacrificijs Domini, & fermentum solet massam corrumpere, & deliciae iidem, & voluptates animam emolliunt, enervant, & corrumpunt.* Et mox: *Primitias tantum eorum offerenti, ad munera super altare non imponuntur in odorem suauitatis.* Sensus est: Ex fermentatis panibus, & ex melle primitias offerentis; nihil tamen ex ipsis exhibebitis, vt super altare igne aduratur. Placenta oleo commixta, vel vsuta offerebantur, quia absque oleo comedi non solent, nec absque oleo placet. Item, offerebatur thus vnâ cum ipsis placetis, ne oblatio odore careret, immò potius, vt placenta essent odoratissima, & suffitum gratissimū præberent. Sal quoque cum ipsis panibus offerebatur, ne cibus vacaret sapore: infulsum est, quod si ne sale comeditur, sal condimentum est cibi, sapore palatum excitat.

Quinto Quæritur, quid est, quod Leuit. 7. traditur, videlicet, cum immolabatur hostia pacifica ad laudandum Deum pro gratijs agendis: quod sacrificium laudis appellatur, eadem die carnes victimæ edi debebant, nec in crastinum quidquam referuari poterat: sed cum sacrificium fiebat votiuum, vel spontaneum, poterant eodem die comedi, & die proximè sequenti, at in tertium diem nihil referuari licebat. Respondeo, sacrificium laudis fuisse pro beneficio recens accepto, ac ideo carnes statim comedere oportebat, vt ea cum animi iucunditate ederentur, quæ comitari, & consequi solet recens acceptum beneficium, ne si actio gratiarum differatur, paulatim illa elanguescens euanescat & diffuset. At sacrificium votiuum, vel spontaneum, ad rem aliquam à Deo obtinendam pertinebat, & ideo voluit Deus, vt carnes, vel eodem die comederentur, vel referuarentur in crastinum, vt imperandi, quod petebatur à Deo beneficij, desiderium, quoad eius fieri posset, magis efferuisceret. Solent enim dona statim adepta vilescere. Nec tamen quicquam ex sacrificio erat reiiciendum in tertium diem, ob corruptionis periculum, & incommodum. Præterea, ex tali sacrificio offerens comederat, quod non fiebat in hostia pro peccato, aut delicto, quia hoc erat sacrificiū necessarium, & debitū ad peccata expianda. Nec est vlla ratio, cur quispiam ex suo peccato comodum reportet: immò, quia peccauimus, in merore, & luctu agere poenitentia debemus, non epulari, non conuiuari: sed illud erat spontaneū sacrificiū ad gratias agendas, pro beneficio diuinitus oblato, & accepto, & ob id iucundè, & alacriter comederatur.

Sexto Quaritur, Quo ritu, & cæremonia, Hostia pro peccato immolabatur? Respondeo: aut erat hostia pro peccato summi Sacerdotis, aut pro peccato Populi Principis, aut priuati hominis, & vnaquæque hostia diuersis ritibus, & cæremonijs immolabatur.

Caput XXVI.

Hostia pro peccato summi Sacerdotis.

Pro peccato Pontificis, maclabatur vitulus ex bobus. Leuit. 4. Et eam hostiam immolabat, teste Philone, summus Sacerdos: quamuis Abulesis solitam. Quicquid senserint isti, capiti ipsius vituli manum imponebat summus Sacerdos, qui pro suo peccato offerebat. Cædebatur vitulus extra tabernaculum in altari holocaustorum, quod erat ante ostium tabernaculi. Deinde, cratere excipiebatur pars aliqua sanguinis, & inferebatur in tabernaculum: & versus velum, quod pendeat ante Sanctum Sanctorum, aspergebatur septies, hoc est, perfecte, quia peccatum Pontificis grande censebatur, & ideo magna, & perfecta indigebat expiatione. Eademque ratione vitulus, qui est hircus, & oue maior, immolabatur. Eodem sanguine tingebantur cornua altaris Thymiamatis, & eorum reliquum sanguinem effundebat Sacerdos ad basim, hoc est, iuxta basim altaris holocaustorum. A deo omnis, & renes, & retilum, quod est super eos, incendebantur in altari holocaustorum: pelles, & omnes carnes cum capite, pedibus, intestinis, & fimo, efferebantur extra castra, & mundo in loco exurebantur. Locus mundus quærebatur, quia id requirebat vitulus, qui erat Deo immolatus. Porro extra castra exurebantur, ad significandum, peccatum Pontificis, ita esse igni totum exustum extra castra, ut nihil in posterum populo nocere posset. Lapsus enim Sacerdotis, non est sine offensione populi; & ideo extra castra vitulus incenditur, ut nihil populum ledat; & ut qui populum offendit, excludatur à populo suum peccatum poena debita expiaturus. Nihil ex hac victima comedebatur, quoniam erat immolata pro tam grandi peccato Pontificis.

Caput XXVII.

Hostia pro peccato Principis.

Cædebatur hæc hostia videlicet hircus ex capris, id est, tener & optimus, & manum capiti eius Princeps imponebat. Princeps verò intelligebatur, siue Militæ Dux, siue Præfectus, vel caput totius ciuitatis, populi, vel familiae: Nō extra castra incendebatur hæc hostia, nec sanguis eius inferebatur in tabernaculum, quem admodum in priori, & sequenti sacrificio: quare extra tabernaculum sanguis aspergebatur, & eo tingebantur cornua altaris holocaustorum, non altaris incensum: non enim peccatum Principis erat tam grande, quam erat peccatum summi Sacerdotis, aut totius populi.

Caput XXVIII.

Hostia pro peccato Populi.

Leuit. 4. hæc hostia eodem ritu, & cæremonia, quæ victima pro peccato Pontificis, immolabatur; & ideo extra castra tota incendebatur in loco mundo, quia erat pro peccato totius populi; & propterea capiti victimæ seniores populi manum imponebant, quasi totus populus iram Dei deprecaretur, & auerteret à se.

Peccatum populi erat, cum omnes, vel maior populi pars peccasset. De his duabus hostijs intelligitur illud Pauli ad Hebræos scribentis: *quorum enim animalium inferitur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra, quod quidem ex Leuit. 6. sumptum est, vbi legitur: Hostia enim, quæ caditur pro peccato, cum sanguis inferitur in tabernaculum testimonij, ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.* Sanguis igitur aspergebatur versus velum pendens ante Sanctum Sanctorum, & cornua altaris Thymiamatis tingebantur, & reliquus totus sanguis fundebatur iuxta basim altaris holocaustorum.

Leuit. 16. legem Deus tulit, ut Sacerdos duos hircos à populo suscipiat pro peccato expiando, & vnum arietem in holocaustum, & mittat sortem super vtrumque hircum, vñ pro eo, qui maclandus erat pro peccato, alterum pro eo, qui erat abiiciendus in montem. Et cum maclauerit hircum pro peccato, inferat sanguinem eius intra velum, ut aspergat, & expiet sanctuarium ab immunditijs filiorum Israel. Et postquam mundauerit sanctuarium, tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum alterum viuum, & postea vtraque manu super caput eius cõstretur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum: quæ imprecaus capiti eius, emittat illum per hominem ad id paratum in desertum: & portabit hircus omnes iniquitates eorum in solitudinem. Ex hac lege alter hircus immolabatur pro peccato: alter viuus quasi peccata populi portans, in solitudinem mittebatur, hoc est peccatorum poenas luebat pro populo. Magna profecto Dei benignitas, qui poenas, quas populus pro peccato soluere debebat, in caput hirci transferebat; & ut eas à populo remoueret, in solitudinem hircum abiici iubebat. Adumbratus est Christus, in quo, ut ait Isaias, Dominus posuit iniquitatem omnium nostrum, hircus dicebatur peccata populi portare, quia eo in solitudinem abiecto, peccata expiabantur, & dimittebantur.

Caput XXIX.

Hostia pro peccato priuati hominis.

Hæc victima Leuit. 4. maclabatur eodem ritu, quo victima pro peccato Principis: nisi quod poterat offerri minor hostia, videlicet mas vel femina ex capris. Comedebat Sacerdos, qui offerebat, ex hoc sacrificio. nam Leuit. 6. legitur: *Sacerdos, qui offert, comedit eam, victimam scilicet, Sacerdotè intelligit, qui ea hebdomada sa-*

Heb. 13.

cris

etis operabatur. Cum etiam dicitur: *Omnis masculus de genere sacerdotali, vescetur de carnibus: non domesticos illius sacerdos intelligit, sed sacerdotes omnes ex illa familia sacerdotali, quæ secundum ordinem vicis suæ ministrabat ea hebdomada, quamvis pars melior & maior ad offerentem sacerdotem pertineret, qui propterea dicitur eam comedere, quia præcipuam partem edebat.*

Nam Leuit. 7. eodem modo loquitur Scriptura de hostia pro delicto, cum ait: *Omnis masculus de genere sacerdotali in loco sancto vescetur his carnibus.* Et post pauca: *ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinet.* Sic enim hæc intellexisse videntur Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 13. & Philo. Hostiam porro, quæ non cremabatur, Sanctum Sanctorum nominat Scriptura, hoc est, valde sanctum sacrificium: Sicut nos, res valde sanctas, dicimus sacrosanctas. Et ideo in loco mundo & sancto comedebatur, hoc est, in atrio tabernaculi, & sanctum esse oportebat, quicquid eam tangebatur.

Caput XXX.

Hostia pro delicto.

CAedebatur hæc victima pro peccato per errorem, vel ignorantiam admisso vel erat pro delicto facta per ignorantiam iuris, contra ceremonias legis, ut si quis vteretur oleo sacrae unctionis, vel thymiamate Deo dicato, vel ederet sacros cibos, quibus vesci solis sacerdotibus licebat. Vel erat pro quolibet alio delicto per ignorantiam iuris. Leuit. 5. prope finem legitur: *Anima, si prauaricans ceremonias (id est, Homo qui ceremonias violauerit) per errorem, offeret pro delicto arietem immaculatum de gregibus (id est, teneurum, integrum, & optimum) qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus sanctuarij: ipsiusque, quod intulit damnum, restituat: & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo.* Et Leuit. 6. iubetur qui deliquit per errorem, offerre arietem ex grege, iuxta mensuram æstimationemque delicti: quorum verborum sensus est: Maiorem, aut meliorem arietem, pro vt granior, leuior que culpa delicti fuerit, offeret. Et teste Iosepho, is, qui peccauerat, sacerdotem adibat, cui suum peccatum confitebatur, vt ipsius arbitrio arietem eligeret, quem offerret pro delicto. Quod verò in vulgata editione dicitur: *Coniuncta delicti (scilicet anima) reddet omnia, ita intelligitur, conscientia sui delicti reddet omnia.* Vescabantur itaque Sacerdotes ex victimis immolatis pro delicto, aut pro peccato priuatorum hominum. Vnde apud Oseam legimus, sacerdotes peccata populæ mei comedent. Significat: Sacerdotes alii & viuere solent ex hostijs oblati à popularibus, & macatis pro eorum peccatis & delictis.

Si quæras, quodnam erat iuge sacrificium? Respondeo: Numeror. cap. 28. hanc legem contineri: *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis: Agnos immaculatos duos quotidie in holocaustum semper. Vnum offeretis mane, & alterum ad vespertinam, decimam partem ephi simile, quæ confersa sit oleo purissimo, & habeat quartam partem Hin per agnos singulos in sanctuario Domini: alterumque agnum similiter offeretis*

ad vespertinam iuxta omnem ritum sacrificij matutini, & habentiorum eius. Hæc ibi: Porro ephi erat apud Hebræos rerum aridarum mensura, & erat pars decima Cori, qui erat mensura maxima rerum aridarum. Continebat ephi tria sata, & capiebat decem Ghomor: nam Exod. 16. Ghomor dicitur pars decima ephi. ephi vero continebat Cabos fere viginti; si mensuras Hebraicas reducamus ad Latinas antiquas, & Romanas, & Hispanicas, quæ modo sunt in vsu. ephi capiebat tres medios Latinos, decimam partem vnius Rubbij Romani, quinque Hispanicas celemines. Hin erat apud Hebræos mensura liquidarum rerum, erat decima pars Bati, qui erat maxima mensura liquidorum, capiebat Hin duodecim Logim, Log verò continebat vnum Sextarium Latinum antiquum. Vnde Hin continebat duodecim sextarios. Sextarius capiebat sex cyathos. Sextario æqualis est mensura Romana, italicè dicta foglietta, cui fere responderet mensura Hispanicè vocata quartillo, quæ est mensura minima liquidorum. Vocabatur iuge sacrificiū siue holocaustū, item sempiternū: matutinū idem & vespertinū, quia quotidie offerebatur. Hoc autem sacrificium publicis impensis fiebat, vt tradit Iosephus: nec erat dies, quo non offerretur. Nam & si festi dies incidere, quibus alia victima immolaretur, vt Sabatum, Neomenia, & dies Azymorum, ita tamen illæ cedebantur, vt iuge sacrificium non intermitteretur.

Si iterum roges, cur Deus præcepit Deuter. 23. ne offerretur pretiū scortis, aut canis in templo, Non vult Deus turpia lucrare, ne scortum occasionem haberet sui peccati; si ex mercede eius aliquid offerretur in templo, vt gratum & acceptum Deo. Item, canis erat animal immundum, vile, abiectum, & impudicum.

Vltimò quæri potest, an veteris legis sacrificia gratiæ & sanctitatem conferrent, & peccata delerent. Ratio dubitatio legis est, quoniam Leuit. 1. sæpe de holocausto legitur, illud esse sacrificium, quo Dominus placabatur, & eius odor esse suauissimum, eoque peccata offerentium expiari: & idem Leuit. 2. & 3. frequenter reperitur. Leuit. item 4. non semel, aut iterum apertè dicitur: *Rogabitque pro offerente sacerdos, & propitius erit ei Dominus, & dimittentur ei peccata.* Adde, quod hæc sacrificia offerrebantur cum fide, spe, charitate, & obedientia in Deum, ergo erant illi gratæ & accepta. Item, Ecclesia petit à Deo, vt sacrificium Missæ, quod facit & offert per ministrum sacerdotem, sit Deo acceptum, sicut accepta fuerat sacrificia Abelis, Melchisedechi, & Abraham: at non minùs grata fuerunt Leuitica sacrificia, quàm illa priora. Postremò, Leuit. 18. & Ezech. 20. habetur: *cultores legis victuros in eis, id est, ex eis, & per ea.* Magister Sententiarum in 4. distinct. 7. existimauit, ea sacrificia, etiam cum vera fide, spe, & charitate in Deum facta, nullam habuisse vim, gratiæ, & iustitiam conferendi; ac solum fuisse diuinitus constituta ad excitandum obedientiæ & pietatis studiū, & ad obeunda virtutis officia, in quibus se veteres illi Iudæi exercerent, vt ab idolorum cultu auerterent, deniq; vt typi & figuræ essent sacrosancti sacrificij per Christum offerendi, eo quod tota illa verè lex, nihil aliud erat nisi

Iose. lib. 3.
antiq. c. 10.

Osea 4.

Gen. 4.
24.

vmbra

vmbra & figura nouæ: ac Paulus sæpè ostendit, iustitiam, gratiam, & remissionem peccatorum non fuisse ex lege. Idem quoq; Apostolus: *Omnia, inquit, in figura contingebant illis.* Augustinus quoque docet vetera Sacramenta promississe tantum & significasse, noua verò salutem dedisse.

Sed hæc opinio communi consensu Theologorum rejicitur ex ea parte, qua negat nihil gratiæ ea sacrificia dedisse, etiam cum fiebant ex fide, obedientia, & charitate in Deum: nam opus cum vera fide, & charitate factum, est Deo acceptum & gratum. Hugo S. Victoris videtur sensisse, ea sacrificia & typos ac figuras fuisse sacrificiorum, quod postea Christus instituit & obtulit, & gratiam quoque dedisse, quia erant sacrificia diuinitus instituta, & cum fide & charitate offerantur. Hugonis hæc sunt verba: *Si quis Sacramenta priuata effectum sanctificationis habuisse negauerit, non mihi rectè sentire videretur.* Rursus: *Medicamenta Sacramentis nona legis, illa prioris temporis Sacramenta significabant, vt eadem essent salus & his, qui rectè fide signa futurorum in illis venerari sunt, & his, qui in illis effectum salutis percipiunt.* Sic ille. Item, vana sunt medicamenta, quæ sanitatem non conferunt: sed sacramenta sunt diuinitus instituta, vt medicamenta & remedia contra peccatum. Hæc etiam opinio à Theologis refellitur in 4. Sentent. dist. 1. quatenus significare videtur, ea sacrificia per se instar Sacramentorum, sanctitatem & gratiam contulisse, cum tamen Paulus egea & infirma vocet elementa.

Est igitur constans Theologorum omnium opinio, ea sacrificia vi sua & substantia gratiam minimè dedisse, nec peccata deleuisse, eo quod ea non fuerunt instituta, vt gratiam darent, sed vt eam per Christum conferendam significarent, & vt per ea offerentes, Christi Domini fidem profiterentur, qui in illis sacrificijs tanquam typhis & figuris adumbrabatur. Negandum igitur non est, in illis sacrificijs gratiam dari virtute & merito Christi, qui in illis typicè significabatur, sed non ipsorum sacrificiorum vi, conditione, & efficacia: ac propterea Paulus ea docet fuisse infirma & egea, videlicet quia per se non ad gratiam conferendam, sed significandam, & ad Christi fidem profitendam offerantur. Et hoc fortassis est, quod Magister Sententiarum, & Hugo tradiderunt.

Sciendum tamen est, in Leuitico sæpe, immundities legales vocari peccata, quæ tamen sæpenumero omni culpa carebant. Immundi enim habebantur leprosi, & ij, quibus semen fluebat, & foemine menstrua patientes, & Nazaræi, in quorum præsentia quis morte subita corripiebatur, & qui immunda aliqua, veluti morticina, ac similia tangebant, in quibus tamen sæpe nulla inerat culpa. Et nihilominus huiusmodi immunditiæ peccata vocabantur, & ideo iuxta legis præscriptas caremonias dicebantur à suis peccatis mundari, nempe à legalibus immunditijs. Nam quemadmodum ex legis præscripto, immunditiæ contrahebantur, ita & legis quoque virtute collabantur. Immundus enim quis erat, quia prohibebatur ab ingressu in templum, à sacrificijs offerendis, à vescendo ex sacris victimis, à coetu & consortio cæterorum. Cum verò, iuxta

legis ritum purgabatur, itaquam mundus factus, ad hæc omnia admittebatur.

Ad id verò, quod ex Leuitico & Ezechiele obiectum est: Respondeo, illis sacrificijs Deum placari, non quidem ipsorum virtute, sed merito Christi, quem cum vera fide, & charitate offerentes typicè profitebantur. In illis autem & per illa vivebant offerentes, videlicet virtute veræ fidei, obedientiæ & charitatis, cum quibus victimas offerebant.

Caput XXXI.

De diebus sacris & festis apud Iudæos.

Ratio ipsa postulat, vt certi quidam dies fieri & festi instituantur, tum, vt in eis honorem & cultum Deo debitum tribuamus: tum etiam vt conueniamus simul, & Dei verbum audiamus, & simul etiam sacras ac diuinas leges & iuradiscamus, ideo Moyses iussu Dei certos dies sacros constituit.

Primo Queritur, quot, & qui legis præscripto fuerint dies festi Iudæorum. Leuit. 23. numerantur illi dies, inter quos primo loco nominatur dies Sabbati. *Hæc sunt, inquit, seræ Domini, quas vocabitis sanctas. Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia Sabbati est, vocabitur sanctus.* Quid nomine Sabbati significetur, & Græcumne, an Hebræicum vocabulum sit, alio in loco dicemus. Genes. 2. redditur ratio, quare voluerit Deus, vt Sabbatum religiosè coleretur. *Benedixit, inquit, diei se primo, & sanctificauit illum, qui in ipso cessauerat ab omni opere suo.* Deuteronom. 5. additur alia causa. *Memento, quod & ipse seruieris in Aegypto, & eduxit te Dominus Deus tuus in manu forti, & in brachio extenso. Ideo præcepi tibi, vt seruares diem Sabbati.* Sensus est: vt scilicet Iudæi beneficiorum Dei memores essent, cuius benignitate fuerat mirabiliter effectum, vt ab operibus, quibus in Aegypto premebantur, liberi essent & immunes. Exodi 35. lex fertur, qua iubentur ab omni opere cessare die Sabbati, non licebat eis eodem die cibos coquere, aut alio modo parare; & ideo die præcedenti apparabantur. Ibidem præcipit lex ne ignem accendant; & hoc ideo, ne si ignis accenderetur, occasio arriperetur cibos coquendi. Exod. 16. sexta die colligebant Hebræi mensuras duplices Mannæ, ne Sabbato colligerent, nec computrescebat, vt alijs diebus, cum plusquam quod illi diei satis erat, colligebatur. Quod cum nunciaretur Moysi, dixit: *Hoc est, quod locutus est Dominus; dies Sabbati sanctificata est Domino: cras, quodcumque operandum est, & que coquenda sunt, coquite: quicquid reliquum fuerit, & que mane reponite. Nefas itidem erat Sabbato iter facere, nisi brevissimum.* Exod. 16. habetur: *Maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egredietur de loco suo.* Id quantum esset, ex Scripturis certò non constat; nisi quod Actuum cap. 1. scriptum est: *Tunc reuersi sunt Hierusalem, à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Hierusalem, Sabbati habens iter.* Origenes & Oecumenius intelligunt vnum milliare, quod bis mille cubitos habeat. Beda, Glossa, & Lyranus, iter mille passuum esse volunt. Quidam iuniores con-

Orig. lib. 1.
Strom.
Oecumen.
Act. 1.

tendunt

tendunt esse iter duorum millium passuum. Origenes inde suam sententiam confirmat, quod cum in terram à Deo promissam, per solitudinem peterent Hebræi, tanto interuallo tabernaculum & arca foederis castrorum ordinem præcedebat, & tanto interstitio tentoria figebantur: quo spatio licebat his, qui castrametati erant, ad tabernaculum Sabbato accedere. Et Iosu. 3. legimus. *Sitque inter vos & arcam spatium cubitorum duorum millium.* Sed Hieronymus ad Algafiam scribens: *Præterea, inquit, quia iustum est, ut diebus Sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, neque egrediat, neque ambulet de loco, in quo habitat. Si quando eos, iuxta litteram capimus arctare, ut non iaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant. Si velint præcepta seruire, solent respondere, & dicere, Rabbi Akiba, & Simon, & Hillel, magistri tradiderunt nobis, ut his mille pedes ambulemus in Sabbato.* Hæc ille. At hoc iter breuius est, quam iter mille passuum: nam mille passus, quinque millia pedum proculdubio continent. Probabile valde est, quod Hieronymus ait, iter Sabbati esse spatium duorum millium pedum, quod paulo plus est tribus stadiis: stadium enim, vinctingintique passus habet, & montem Oliueti ab Hierosolyma quatuor ferè stadiis abesse tradit Brocardus his verbis: *Ultra torrentem Cedron, in latere Aquilonari montis Oliueti, est mons alius altus, quatuor stadiis distans ab Hierusalem.* Nec multum discrepat Origenes, dicens, Sabbati iter quod facere licebat Iudæis, esse spatium duorum millium cubitorum, hoc est, ter mille pedum: cubitus enim pedem cum dimidio continet.

Secundò quæritur, quado primum apud Hebræos Sabbatum sanctè & religiose coli coeperit? Quidam existimant, à Moyle institutum esse Sabbati cultum, quando iussu Dei legem promulgauit, aut statim post exitum ex Aegypto. Alij tamen arbitrantur, Sabbatum ab ipso mundi exordio coli coeptum à Maioribus, non quidè lege, sed more & cõsuetudine, ex quibus Hebræi genus traxerunt: sed in Aegypto defuisse Iudæos Sabbatum colere, & ideo Mosen Sabbati cultum vsu & more inchoatum, & à posteris obliuioni traditum, restituisse. Sed de hac quæstione supra disserui. Quid verò intellexerit Lucas nomine Sabbati secundò primi, & quot modis Sabbatū in sacris literis sumatur, suo loco inferius explicabo, in expositione tertij præcepti Decalogi, in libro 14.

Vnum illud est maximè notandum ex eo, quod Dominus die septimo cessauerit ab omni opere, quod fecerat, sacras literas frequenter numero septenario vti, quoties perfectum aliquid, plenum, & consummatum, vel requiem significare volunt. Hinc in lege præceptū est, ut septies certæ quædam res, vel homines immundi expurgentur, septies altaria, vel parietes sanguine vitæmarum aspergantur, hoc est, perfectè. Hinc etiam Eliseus, Naaman leproso consilium dedit, ut se in Iordane septies ablueret. Hinc etiam institutus est in lege septimus quisque annus: quinquagesimus itidem annus tanquam libertatis & remissionis. Leuit. 25. Septenarius igitur numerus in sacris literis est plenitudinis & perfectionis, teste Hieronymo in Iob. Hinc septies idè

est, quod sapius Luc. 17. si septies in die peccauerit in te frater tuus, & septies in die conuersus fuerit, remitte illi. Matth. 18. non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies, hoc est, non tantum septies, sed etiam sapissimè. Gen. 4. septuagies septies dabitur de Cain, de Lamec verò septuagies septies; id est, si Deus dixit se, grauius puniatur eum, qui occiderit Cain, multò grauius est enim puniendus, qui interfecerit Lamec, qui neminem interemit.

Caput XXXII.

De Neomenia, siue Calendis.

Primus cuiusque mensis apud Hebræos celebris erat, non quod in eo perinde, ac in die festo ab operibus necessariò cessaretur, sed quod Deus certis sacrificijs solemnè ritu coleretur. Hebræi vocant hunc diem, caput, siue initium mensis: Septuaginta Interpretes semper Neomeniam: Latinus interpres, nunc Neomenias, nunc Calendas appellat. Dicitur porò Neomenia, quasi nouus mensis. Menses verò cum Luna incipiebant, & cum eadem terminabantur. Et dies primus mensis idem erat, qui primus dies Lunæ. Et quemadmodum septimo quoque die hebdomadæ Sabbatum colebatur, vt in memoriam reuocaretur beneficium acceptum à Deo, quo vniuersa sunt ex nihilo facta; sic etiam primo quoque die mensis Deo sacrificia offerebantur, vt memores essent beneficij, quo Deus omnia gubernat. Quemadmodum etiam Deus sibi offerri voluit primos fructus rerum de terra nascèrium, ita & primos quosque dies mensium sibi referuauit. Denique, vt Deum precibus, & sacrificijs, sibi placatum redderent Hebræi ad ipsos menses feliciter inchoandos. Numeror. 28. Lex est: *In kalendis (id est, in mensium exordijs) offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos septem immaculatos, & tres decimas similes oleo confersa per singulos arietes, & decimam decimam, id est, singulas decimas similè ex oleo in sacrificio per agnos singulos.*

Tubis etiam canebatur Numer. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canent tubæ super holocaustum, & pacificis victimis, & sint vobis in recordationem Dei vestri.* Hinc Dauid: *Bucinas, inquit, in Neomenia tubæ, in insigni die solemnitate vestra.* Quæret aliquis cur Leuit. 23. Neomenia non numeretur inter sacros dies festos. Respondet Abulensis, Neomeniam non esse diem festum, in quo quis lege cogèretur ab operibus seruilibus abstinere. Esse tamen diem solemnem & celebrem, in quo lex iubeat certum sacrificium solemnè ritu immolari. Vnde apud Isaiam ait Dominus: *Neomeniam & Sabbatum, & festiuitates alias non feram: iniqui sunt cæcus vestri, Calendas vestras, & solemnitates vestras odinit anima mea.*

Caput XXXIII.

De Paschate.

DE nomine Pascha, duo quæri solent. Vnum, sit ne Græcum nomen, an Hebraicum: Al-

Hier. epist.
121. q. 10.

Brocar in
de scr. Ter-
ra sancta.

4. Reg. 5.

terum, unde dictum sit nomen, Tertullian. lib. contra Iudeos, cap. 10. Irenæus lib. 4. cap. 13. Nazianzenus epist. de Paschate, significare videntur esse nomen Græcum; alij sentiunt esse vocabulum Hebraicum. Sed verius est quod alij tradiderunt esse Chaldaicum, quamvis ab Hebraico deductum, quo sunt Hebræi vsi, postquam ex Babylone in patriam redierant. Erymologiam & significationem nominis, Tertullianus, Irenæus, & Nazianzenus ex Græco deduxerunt, Græcam vocem eam arbitrati, à verbo *πάσχα*, quod pati significat, eò quòd illo die passus est Dominus. Unde quod Moses dixit Exod. 12. Est enim Pascha Domini, putat Dominicæ passionis prædictionem fuisse. Vt sensus sit: Est passio Domini, quia eo die moriturus, siue passurus sit Dominus. Hi patres mysticè sunt nominis Paschæ etymologiam interpretati. Verùm etymologia petenda est ex lingua Hebraica, quoniam ab ea Chaldaei Paschæ nomen sibi deriuauerunt. Paschæ igitur nomen, significat transitum, quia verbum Hebraicum *Pasch*, transire significat. Adhuc tamen dubiè est quæstionis, quem transitum designet. Augustinus, & Nazianzenus existimant significari transitum illum, quo Hebræi ex Aegypto in terram olim Patribus promissam commigrarunt, vel quo mare rubrum traiecerunt. Sed verius est, quod ait Hieronymus, designari transitum illum, quo Angelus Domini in Aegypto transiens domos Hebræorum agni sanguine signatas, Aegyptiorum domos primogenitorum cæde funestauit.

Leuit. 23. Lege sancitur: *Mense primo, quartadecima die mensis, id est vespere Phasæ Domini est.* Hæc celebritas instituta est, vt Hebræi in memoriam reuocarent illud beneficium insigne, quo Dominus primogenitos Aegyptiorum occidendo, domos Hebræorum non tetigit, quarum postes & superliminaria sanguine mactati agni tincta fuerant. Et quoniam id accidit decimaquarta luna primi mensis; ideò præcepit Deus, vt singulis annis eodem die, Iudæi immolarent agnum, & comederent. Nomen accepit hæc celebritas, Phasæ, quòd significet Hebræis transitum, vel saltum; scilicet quia Angelus Domini Hebræorum domos, agni sanguine asperfas intactas relinquens, primogenitos Aegyptiorum necauit. Legimus in Exodo: *Et cum dixerunt vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis eis: Victimam transitus Domini est, quando transiuit domos Israel in Aegypto, percussit Aegyptios, & domos vestras liberauit.* Quod verò in Hebræo scribitur *Pesch*, Latini interpres in veteri Testamento id fecit per *pascha*, scilicet Phasæ. Nomen verò Pascha, quo vsi sunt Septuaginta Interpretes, Euangelistæ, & Apostoli, Chaldaicum est, nam post reditum à Babylonicis exilio, Iudæi Chaldaica nomina viurparunt. Quod enim Hebræi dicunt *Pesch*, Chaldaei addita ad suam litteram, dicunt *Pesch*, vel *Pascha*. Et hoc nomine, vt dixi, vsi sunt Apostoli, & ab eis acceptum Græci & Latini retinuerunt. Unde Lucas: *Veni autem, inquit, dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, id est, Paschalem agnum.* Et hæc de nomine Paschatis, & de mense, & die Paschalis celebritatis.

Secundò Quæritur, quæ hora decimaquarta Lunæ primi mensis immolabatur agnus paschalis? Exod. 12. sic est: *Immolabitque hæc uniuersa multitudo filiorum Israel ad vespere.* Pro his verbis Hebræa lectio habet: *Tunc duas vespere.* Sed quænam sunt duæ vespere diei? Lyranus & Abulensis vnâ vespere inchoant à prima hora pomeridiana, quia tunc sol incipit decidere, & vergere in occasum: secundam verò vespere inchoant à solis occasu. Sed huic sententiæ obstat illud Deuteronomij: *Immolabitque Phasæ vespere ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto.* Et ante hæc dictum fuerat: *Quoniam in isto die eduxit te Deus tuus de Aegypto nocte.* Et in Exodo: *Et edent carnes nocte illa assas igitur, & azymos panes.* Alij vespere vnâ intelligunt totum illud tempus, quod est interiectum inter solis occasum, & tenebras obscuræ noctis, cum amplius radij solares non videntur. Et secundam vespere inchoant ab ipsis noctis tenebris, ita vt agnus statim ab occasu solis parari coeperit, & postea occisus, & ad ignem assatus comedi cœptus sit appetentibus noctis tenebris. At hoc in alijs non placet, quia creditur difficile videtur, vt in tam breui tempore agnus pararetur, iugularetur, pelle exueretur, exenteraretur, & assaretur. Sed quid si Iudæorum quisque ante solis occasum, agnum curauerat parandum? Cur paratum iam agnum, iugulare, pelle exuere, exenterare, & ad ignem torreficere, statim post solis occasum non poterant? Quæ probabilis est prædicta sententia. Alijs placet, primam vespere statim post nonam incipere, id est, post tertiam horam pomeridianam: secundam vespere intelligi totum illud tempus, quod est inter solis occasum, & ipsas tenebras noctis: ita vt agnus pararetur in toto eo tempore, quod est inter nonam horam, & solis occasum, quod tribus horis constat, & ad solis occasum ederet, vel paulò post. Et hæc opinio est valde probabilis.

Tertiò Quæritur, an typicus agnus immolaretur ad vespere, quæ lunâ decimaquarta primi mensis terminabat, an verò ad vespere, quæ eandem lunam inchoabat. Ratio quæstionis est, quia certò constat eum immolari ad vespere decimaquarta luna. Sed quia vnusquisque dies habet vespere, qua incipit, & vespere, qua finitur & desinit, ideò dubium maximè est, an mactaretur agnus, incipiente decimaquarta luna ad vespere, an potius desinente eadem luna ad vespere; hoc est, An immolaretur agnus ad vespere, qua claudebatur luna decimatertia, & incipiebat luna decimaquarta, an verò ad vespere, qua terminabatur luna decimaquarta, & incipiebat luna decimaquinta. Duæ sunt opiniones, vna est, quam probant ac recipiunt Doctores omnes Scholastici; agnum immolari ad vespere, qua finiebat luna decimaquarta, & incipiebat luna decimaquinta. Sic Hugo S. Victoris, Lyranus, Abulensis; quod videntur accepisse ex Hieronymo, Ambrosio, Anselmo, & Beda, & alijs patribus. Et certè hæc opinio videtur ex ipsis sacris litteris colligi. nam Iudæi eodem tempore nunc agnum immolant, quo eorum patres in Aegypto immolarunt. Sic enim Exodi 12. legimus. *Ei habebi-*

Dent. 16.

Exod. 12.

S. Tho. 2. 2. q. 46. q. 9. ad 1. Abul. & Lyra. in Exod. 12.

is hunc diem in monumentum, & celebrabit eam solem-
nem Domino, sed Hebræi ex Aegypto egressuri pos-
teriori vespera Lunæ decimæ quartæ immolaue-
runt, quoniam decima quinta luna primi mensis
exierunt, ut scriptum est Numeror. cap. 38. & il-
lud mane, quo egressi sunt, proximè consecutum
est vesperam, qua agnum immolarunt. Sic enim
ibi legimus: *Profecti de Ramesse in mense primo, in quin-
ta decima mensis primi, altera die à Phasè, filij Israel in ma-
nu excessu, & Angelus Domini media nocte percussit pri-
mogénitos Aegyptiorum, ut scribitur Exodi 12. Factum
est, inquit Moyses, in medio noctis, percussit Dominus
omne primogénitum in terra Aegypti. Ergo illa nox
fuit, quæ proximè consecuta est vesperam, qua
fuerat agnus typicus immolatus. neq; enim He-
bræi integrum diem ab agno immolato in Aegy-
pto manserunt; & hæc est opinio cõmuni Theo-
logorum consensu recepta.*

Altera sententia est quorundam iuniorum af-
ferentium, è quibus sunt Oleaster Leuit. 23. in
illis verbis: *Et affligetis animas vestras nono die
mensis. Stella in Lucam cap. 12. in illis verbis:
Venit autem dies azymorum, agnum Paschalem ma-
ctari ad vesperam, qua incipiebat luna decima-
quarta, & terminabatur luna decimatertia. Id
probant primùm auctoritate Iosephi ita scribē-
tis: Illucescente verò quartadecima luna, omnes ad exitum
animati sacrificabant, & sanguine domos lustra-
bant. Vel ut alij vertunt: Cum autem inflaret de-
cima quarta dies. Eodem item auctore, celebritas
azymorum per octo dies continuos solemniter
colebatur. Sed hæc celebritas finiebatur lu-
na vigesima prima, ergo consequens est ut in-
ciperet in luna decima quarta incunte: nam
alioqui, si exeunte decima quarta luna, & inci-
pente decima quinta inchoabatur celebritas a-
zymorum, durare non poterat nisi per septem
dies. Deinde, Leuit. 23. legimus: *A vespera vs-
que ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra, ergo cele-
britas Paschatis, quæ luna decima quarta coleba-
tur, celebrari incipiebat à vespera exeuntis lu-
næ decimatertia, vsque ad vesperam, quæ finie-
batur luna decima quarta, & incipiebat luna de-
cima quinta. Item, quia Hebræi dies numera-
re solent à vespera diei præcedentis, vsque ad
vesperam diei subsequēntis, iuxta illud Moysis:
Factum est vespere & mane dies vnus, hoc est, facta est
nox, & dies civilis ab ortu solis vsque ad occa-
sum: & fuit vnus dies naturalis, scilicet vigin-
tiquatuor horarum. Præterea, apud Ioannem
legimus: *Ante diem festum Paschæ, & quæ sequun-
tur, ergo vespera illa, qua Dominus cum Di-
scipulis agnum paschalem comedit, erat initi-
um decimæ quartæ lunæ, & finis decimatertia.*
Alioqui enim si erat finis lunæ decimæ quartæ, &
initium decimæ quintæ, falsò dixisset Ioannes,
ante diem festum Paschæ: nam edebatur agnus
ad solis occasum, sed ab occasu solis in luna de-
cima quarta incipiebat dies festus Paschæ, de
quo Ioannes: Ergo in ipso festo Paschæ Domi-
nus lauit pedes discipulorum, non ante diem festum.
Postremò, quia Ioannes de ea die, qua
Christus cruci affixus est, ita scribit: *Erat autem
Parasceue Paschæ, hora quasi sexta; & postea inferi-
us: Erat enim magnus dies ille Sabbati. Ergo in fe-
ria sexta, qua passus est Dominus adhuc durabat***

continuata per eam luna decima quarta, & dies
festus azymorum, qui luna decima quinta cole-
batur, nondum aduenerat. Denique, quia alioqui
si feria sexta, qua Dominus est in crucem subla-
tus, dies festus & sacer erat, quomodo Iudæi non
solum illi perdidit, & impij, sed etiam alij piij &
religiosi, tam multa opera eo die factitauerunt, quæ
nefas erat in die festo facere?

Hæc quæstio mihi valde dubia profectò vide-
tur, quoniam ex vna parte est communis Theo-
logorum sententia, typicum agnum immola-
ri vespera posteriori lunæ decimæ quartæ: &
est etiam constans Patrum opinio, Christum
Dominum, iuxta legem mysticum agnum com-
medisse ad vesperam feræ quintæ, quæ erat ves-
pera lunæ decimæ quartæ, & feria sexta cruci af-
fixum fuisse, quæ erat luna decima quinta, & pri-
mus dies festus azymorum, secùdum B. Ambrosi-
um in epist. 83. ad Episcopos per Aemilianum constituto: vbi de
Christo loquens: *Ipse ergo, inquit, qui legem locutus
est, postea veniens per virginem nouissimis temporibus eam
consummavit, quia venit non legem saluare, sed implere,
& celebravit Pascha hebdomada, in qua fuit quartadeci-
ma luna, quinta feria. Denique ipsa die, sicut superiora do-
cent, Pascha cum Discipulis manducavit; sequenti autem
die, hoc est sexta feria, crucifixus est luna quindecima,
Sabbato quoque magno illo sextadecima fuit, ac per hoc se-
ptimadecima luna resurrexit à mortuis. Hæc ille: Et cer-
tè negari non potest, quin communis fuerit Pa-
trum sententia, Christum Dominum fuisse in cru-
cem actum, in die festo & solemniter Paschatis,
& in sexta feria. Origenes Tract. 36. explanans
illa verba Matchæi cap. 27. Per diem autem solem-
nem consueuerat Præles. Arbuzor, inquit,
propter istum diem festum Iudeorum, in quo Barabæus ad
vram electus est, Christus autem neglectus, Dominum di-
cere per Prophetam: *Teiunia, & serias, & dies festos
vestros odit anima mea. Et quia magis solemnitate ag-
gere voluerunt, cum latrone dimisso, quam cum Christo.*
Idem homil. 23. in lib. Numerorum. Perierunt
omnes festiuitates eius, & dies solennes eius, quoniam
in loco sancto, & in die solemnitate eius Dominum meum
Iesum Christum occiderunt. Tertullianus lib. contra
Iudeos, cap. 10. disputans, docet, solennes eorum
celebritates fuisse in luctum conuersas, quia in
die solemniter Paschatis, & primo azymorum
sol occidit in meridie, & tenebræ factæ sunt
per vniuersam terram. Eodem modo loquitur
Eusebius lib. 10. demonstrationis Evangelicæ cap. 6. Cle-
mens quoque Romanus in Constitutionibus Apostoli-
cis lib. 5. cap. 14. de Iudæis sermonem habens: *In ipso
inquit, die suo festo Dominum comprehendentes, ut per-
ducerent ad exitum, quod scriptum est: Posuerunt signum,
in medio solemnitate sue non cognouerunt. Epiphanius
contra Audianos hæresi 70. habet hæc verba: Dicunt
enim iidem Apostoli: quando illi (Iudæi) conuincen-
tur, vos teiunantes pro ipsis lugere, quoniam in die festi-
uitatis Christum crucifixerunt. Chrysostomus homil.
87. in Mattheo, scribens: Per diem autem solennem;
postquam Pilatus, inquit, cogitando, legem quamdam te-
nerebat, quæ solemnitate ex condempnatis aliquem condonare
iudebat, turbis persuaferunt Pontifices, ut Barabæum carcer
vna peterent voce. Et mox: Præposuerunt itaque illi non ter-
bis seruatori, nec rationem temporis aliquam habuerunt,
quod sanctum erat atque solenne. Cyrillus Hierosoly-
mitanus catechesi 13. loquens de morte Domini, et**

Iolemi-

Ioseph. lib. 2.
Anti. c. 13.

Ioan. 13.

Ioan. 19.

solemnitates Iudæorum esse in luctum conuersas, quia in primo die azymorum & solemnium mulieres ipsorum plangebant & flebant, & Apostoli occultari dolebant, quando passus est Dominus. Socrates lib. 5. histor. Eccl. cap. 21. dicit, feruorem azymorum tempore passum fuisse, cum celebre apud Iudæos ageretur festum. Vt ostenderent illi, quod Iudæi in diebus festis se cæde & sanguine polluerunt. August. Tract. 57. in illud Ioan. Proximum autem erat Pascha Iudæorum: Illum diem, inquit, festum (scilicet Paschæ) cruentum habere Domini sanguine voluerunt: illo die festo occisus est agnus, qui nobis eundem diem festum suo sanguine consecrauit. Glossa ite Interlinearis, ac ipse etiam Augustinus, dum ea verba Psalmi explicant, Gloriam sunt qui oderunt te, in medio solemnitate tua: Tunc, inquit, euer-
sa est Hierusalem, quando solemnitas agebatur Paschalis, in qua crucifixum Dominum. Scribit etiam Beda, in lib. de ratione temporum, cap. 46. Nam quod Dominus decimaquinta luna, feria sexta, crucem ascenderit, & una Sabbatorum, id est, die Dominica, surrexerit à mortuis, nulli licet Catholicis dubitare, ne legi, quæ & agnum Paschalem decimaquarta die primi mensis, ad vesperam immolari præcepit, pariter & Evangelio, quod Dominum eadem vespera captum à Iudæis, & verè sexta feria crucifixum, ac sepultum prima Sabbati resurrexisset perhibet, videatur incredulus. Eandem sententiam habet Glossa ordinaria in Math. 27. Anselmus in Math. 27. S. Thom. in catena aurea Math. 27. Alcuinus, Rabanus, quos citat S. Thomas in catena aurea, & Theologi omnes, ut ait Sotus. 4. d. 9. q. 1. a. 4.

Ex quibus perpicitur, Patres sensisse Christi Dominum fuisse in die festo, & solemnium Paschatis in crucem sublatum, & in luna decimaquinta, & sexta feria hebdomadæ. Et videtur hæc sententia ex ipsis Euangelij deduci. Nam eo die, quo passus est Christus, condonata est vita Barrabæ ob honorem & cultum diei festi. Necessè autem habebat, ait Lucas, dimittere eis per diem festum, unum. Marcus: Per diem autem festum solebat eis dimittere unum ex vinculis. Matthæus: Per diem solemnem consueuerat præter populo dimittere unum ex vinculis, quem voluissent. Non est ergo Christus cruci affixus in luna decimaquarta, & in die profesto siue profano. Audacter sanè, ne dicam temerè, ille scripsit, qui Græcos dixit & Latinos hæc in parte à verò aberrasse. Contendit ille: in sextam feriam, qua passus est Christus, diè festum azymorum non incidisse, nec lunam decimaquinta, sed decimaquartam, quæ incipit à vespera feriæ quintæ, in qua Dominus cum Discipulis typicum agnū, iuxta legis præscriptum comedit: sicut etiam cæteri Iudæi in eadem vespera comederunt. Et durauit, inquit, luna decimaquarta continuata per feriam sextam, usque ad vesperam illius, in qua cepit luna decimaquinta, & diès sabbati, & primus diès festus azymorum. Quare feria sexta diès profanus fuit, non sacer, nam alioqui quomodo Iudæi, inquit, in illo diè opera fecerunt, quæ diebus festis non licebat illis facere, comprehendentes Christum, ad tribumalia varia Magistratum, & Iudicum ducentes, accusantes, testes supponentes, angariantes Simeonem Cyrenæum: Et quomodo Iudæi, etiam pij & religiosi, si diès festus erat, Christum cruce deposuerunt, aromatibus condierunt, sepulture mandarunt? Quo modo religiose foemine aromata emerunt,

cum tamen statim siluerint appetente vespera, ob diem sabbati festum.

Mihi in hac re nullo modo videtur discedendum à communi Theologorum sententia, ne receptam communi consensu opinionem suo loco leui ratione moueamus; videlicet, agnum typicum immolari ad vesperam lunæ decimaquartæ exeuntis & desinentis, non appetentis & ineuntis. Et Christum Dominum in eadem vespera cum Discipulis agnum Paschalem comedisse, & feria sexta, quæ erat luna decimaquinta, & diès primus azymorum festus, passum fuisse. Ita tamen hanc sententiam veram existimo, ut partem alteram oppositam, aliquantulum probem. Neque enim probo id, quod alius recentior scriptor dixit, toto cælo aberrasse, & foedissimè deceptos esse, qui secundam sententiam docuerunt. Rem ille exaggerauit. Nam negari non potest, quin aliqui ex Patribus apertè fateantur Christum in crucem actum luna decimaquarta in sexta feria hebdomadæ. Nam ut omittam Græcos id habentes, suam opinionem fortassis sequutos, quam in præsentia omnino relinquimus. Iulianum in Math. cap. 25. in illis verbis: Vespera autem facta discumbebat cum duodecim, Theophylactum in Math. cap. 27. super illud: A sexta autem hora tenebræ factæ sunt, Epiphanium in Heresim Tessarescedecariarum, hoc idem fatetur Auctor quæstionum veteris & noui Testamenti q. 106. Orosius lib. 7. cap. 4. Ansel. in illis verbis Math. cap. 27. Altera autem die, Scio iuniores quosdam horum Patrum sententiam interpretari, ita ut ad priorem opinionem trahant. Ergo iuxta aliquorum Patrum sententiam consequens est, ut Christus Dominus agnum comederit feria quinta, ad vesperam lunæ decimaquartæ ineuntis, & continuatæ per feriam sextam. Deinde etiam, quia Patres illos, qui testantur Christum Dominum Crucifixum & passum in luna decimaquinta, & agnum comedisse in luna decimaquarta, & in die itidem festo mortuum & sepultum fuisse: interpretari commodè, aut saltem non malè possumus, ita ut eorum mens & sensus esse videatur, in luna decimaquarta inchoata, non completa Dominum coenasse, & in luna decimaquinta in crucem sublatum, appetente videlicet luna decimaquinta, quæ incipiebat à vespera sextam feriam claudente: Pariter etiam mortuum fuisse in die festo azymorum, quia passus est in sexta feria, à cuius vespera incipiebat diès festus azymorum. Est enim verisimile, Patres, cum Græci fuerint, vel Latini, locutos in hac parte fuisse Græcorum more, vel Latino- rum, non Hebræorum: diès enim supputasse videntur à parte diè, siue incipientis, siue desinentis: nam coenauit Dominus feria quinta ad vesperam. Et quia tunc incipiebat, iuxta secundam opinionem luna decimaquarta, verisimilè dici potuit coenasse luna decimaquarta, in crucem actus est feria sexta: quam (etsi per eam luna decimaquarta, iuxta eandem secundam sententiam continuabatur) merito Patres lunam decimaquintam vocare potuerunt, quia à vespera illius diè incipiebat luna decimaquinta. Pari quoque ratione diem festum, & sacrum dixerunt illi Patres, quasi à vespera illius diè incipientem, ac

Francol. de
tép. hora-
rū Canon.
c. 67. n. 10.

Epistola 7.
3. 11.

proinde verum etiam est quod scribit Dionysius Areopagita in epistola ad Polycarpum, & in altera ad Apolloniam, & testatur etiam Origenes tractat. 35. in Mathæum, lunam fuisse plenissimam; quando Christus pendebat in cruce. Ita ut post eius passionem lux lunæ statim minui cœperit. Luna erat plenissima, à vespera illius diei incipiebat, iuxta prædictam secundam opinionem, luna decimaquinta, id est, plenissima. Et verisimile est olim Hebræos ex Aegypto decimaquarta luna post mediam noctem appetente diurna luce exiisse, & toto eo die iter facientes in Socoth peruenisse. Exod. 12. & Numeror. 33. legimus: *Profecti de Ramesse mense primo, quindecima die mensis primi, altera die à Phase filij Israel in manu excelsa: ut intelligamus luna decimaquarta ad vesperam, hoc est, incipiente, & ineunte luna decimaquarta ad vesperam typicum agnum immolasse, & ad solis occasum comeditse, & post exactam mediam noctem, appropinquante luce orientis solis exiisse, iter fecisse toto eo die, & ad vesperam lunæ decimæ quartæ desinentis, incipiente luna decimaquinta, ad Socoth peruenisse.* Et quod scriptum est: *Profecti mense primo quindecima die mensis primi,* intelligatur: appetente siue incipiente iam decimaquinta die non decurrante. Hæc dixi, ut ostenderem probabilem esse secundam sententiam, non ut primam communi consensu Theologorum approbarem, rationibus confutarem, nam primæ sententiæ patroni, id quod apud Ioannem dicitur: *Ante diem festum.* Et alibi: *Erat Parasceue Pasche:* & quod omnes Euangelistæ prodiderunt, diu, qua in ligno crucis Dominus pendit, Iudæos multa opera fecisse, quæ in diebus festis interdicta esse videntur, ita interpretantur, ut vim nullam Scripturis meo iudicio asserere videantur: sed facile & commodè scripturas ipsas concilient, ut in alio loco plenius ostendam, cum de tertio Decalogi præcepto lib. 14. disputabo. In præsentia primam opinionem communi consensu, ut dixi, Theologorum comprobata arbitror amplectendam.

Ioan. 13.
Ioan. 19.

Quartò queritur, quinam fuerint ritus typicum agnum immolandi apud Iudæos? Legimus Exodi 12. *Decima die mensis huius tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas. Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumat vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.* Erat autem agnus absque macula, masculus, anniculus. Iuxta quem ritum tolleret hædum, & seruatiis eum usque ad quartadecimam diem mensis huius: immolabitque hædum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Hæc ibi:

Quod iubet Deus agnum decima die tolli, ut decimaquarta immoletur: illius tantum temporis præceptum fuisse videtur, qua Iudæi erant ex Aegypto egressuri; non ut postea fieret teste Abulensi: nam cum sæpe de agno maclando verba fiant in lege, nusquam hoc præcipitur. Tunc autem hoc fieri oportuit, quia cum Hebræi paraturi essent, quæ ad tam longum iter erant necessaria, & confestim exituri essent, non possent agnos commodè habere præfertim

anniculos, & sine macula, nisi ante iam paratos. Dices, non posse vnum agnum magnæ familiaritæ sufficere. Respondeo, satis esse, quia non ad satietatem comedebant, cum postea cenare consueissent. Si quis agnum habere non poterat, licebat illi eius loco hædum accipere, masculum tamen, anniculum, & sine macula. Et propterea dixit: *Iuxta quem ritum accipietis hædum.* Sed fas non erat aliud animal immolare pro agno. Et ideo quod scriptum est Deuteronomij 16. *Immolabisque Phasæ Domino Deo de ouibus, & de bobus;* non de agno Paschali intelligitur, sed de hostijs pacificis, quæ in singulis diebus azymorum immolabatur, iuxta legis præscriptum, Num. 28.

Quintò queritur, quo ritu agnus typicus ederetur à Iudæis? Præcipitur Exod. 12. ut soli Hebræi ex eo ederent: alienigenæ non poterant, nisi prius circumciderentur.

Ibidem quoque: In vna domo comedetur, nec offeretis de carnis eius foras, nec os illius conuertetis. Hoc præcipitur, quia erant confestim exituri, ac ut omnis occasio tolleretur huic & illuc euagandi. *Ossa* itidem citò confringi non possunt, quod festinatius conueniebat. *Et edent carnes nocte illa assas igni.* Nimirum carnes assæ citius apparantur, quam elixæ, quare magis festinantibus conueniunt. & azymos panes. Quia statim egressuris per tempus nõ licuit eos in fermento parare. Et Deuterono. 16. habetur: *Septem diebus comedes absque fermento.*

Sciendum est ex Iosepho lib. 2. Antiquit. cap. 13. iuxta vnâ versionem, iuxta aliam verò cap. 15. celebritatem azymorum, per dies octo continuo peragi ab Hebræis solitam: cum tamen Exod. 12. & Deuterono. 16. præceptum sit, ut per dies septem, panes azymi comedantur. Diuersa est supputatio, sed utraque vera: nam à die festo primo azymorum, qui luna decimaquinta colebatur, usque ad vigesimam primam lunam numerantur septem dies, sed à luna decimaquarta, in qua agnus comedeatur cum azymis panibus, usque ad lunam vigesimam primam, octo dies computantur. Atque hinc etiam est, ut Euangelistæ diem primum azymorum lunam decimam quartam appellent. Et primo die azymorum, aiunt Mattheus, & Marcus, quando Pascha immolabant: Lucas verò, *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.*

Sequitur in Textu: *Cum lactucis agrestibus.* Hebraica lectio solum habet: *Cum amaritudinibus.* Vnde Lyranus & alij iuniores non lactucas agrestes, sed herbam quamlibet amarâ intelligunt. Verùm Septuaginta veterunt: *Cum lactucis agrestibus.* Lactucam agrestem amarâ gustatui esse Dioscorides refert. Hoc nimirum herbarum genus significabat amaritudinem, in qua Hebræi versari erant in Aegypto, duram in operibus lateritijs seruientes seruitutem: ut memores pristinæ calamitatis & miseriz, unde eructi fuerant, gratias agerent Deo liberatori.

Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum igni, sed assum tantum igni: quamvis fugam & exitum ex Aegypto Hebræi maturaturi erant, noluit tamen Deus, ut aliquid crudum ex agno comederent

Matth.
Marc.
Luc. 22.Diosc.
cap. 17.

decent

derent, quia non erat ad cibum aptum; nec elixum, quia remoraretur eos. Obijcies illud ex Deuteronomio: *Immolabis Phasē vespere ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto, & coques & comedes.* Respondeo, verbum Hebraicum, quod Latinus interpret reddidit, *coques*, esse ambiguum & anceps, & significare vtrumque, coquere scilicet & assare. Vnde, *coques*, eo in loco, idem est quod *assabis*.

Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitur. Pendente hæc verba ex proximè præcedentibus, *Non comedetis ex eo cradum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni* (& sequitur) *caput cum pedibus eius & intestinis vorabitur*, significat: Nec pedes, nec caput abscondatis, vt fieri solet, nec aliter hæc ad escam paratis: sed similiter ossa igne comburentis. Educebantur verò intestina, laudantur, & abluta ipsi agno imponebantur, vt flammis torrerentur, & cum reliquo corpore ederentur.

Nec remanebit ex eo quicquam vsque mane. Si quid residuum fuerit, igne comburentis. Id est ossa & nervos igne statim consumite, ne quid superfit in diem sequentem. Quod si quippiam aliqua die causa superfluerit, sine mora die proximè sequenti comburite. Noluit Deus, vt ex agno, qui fuerat ipsi consecratus, quicquam remaneret, ne vel ab hominibus conculcetur, vel ab immundis animantibus deuoraretur, foedaretur.

Sequitur: *Sic autem comedetis illud: Renes vestros accingetis, & calcamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes; Est enim Phasē, id est, Transitus Domini.* Singula mirè profecto ad denotandam festinationem valent. Nimirum, iter facturus quispiam, præcingit renes, aptat pedibus calceos, & baculum in manibus sumit. Communis est omnium sententia, stantes comedere agnum Hebræos consueuisse, sed id, nec in Hebræo, nec in Græco, nec in Latino textu habetur. Videtur esse desumptum ex illis verbis: *Tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes.*

Caput XXXIV.

De diebus festis Azymorum.

Leuitic. 23. scriptum est: *Hæ sunt ergo ferie Domini sancte, quas celebrare debetis temporibus suis. Mense primo quartadecima die mensis ad vespertam Phasē Domini est, & quintadecima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est.*

Hæc ibi, & eadem prorsus, & eodem modo habentur in capite 19. & 28. libri Numeror. & 16. cap. Deuteronomij. Quare decimaquarta dies erat profana, non sacra; aut decimaquinta dies erat festa & sacra. In decimaquarta ad vespertam macabatur typicus agnus, & edebatur, die verò decimaquinta solemnitas azymorum colebatur. Immolatio agni Paschalis decimaquarta die fiebat, vt in memoriam reuocaretur transitus Angeli percutientis primogenitos Aegyptiorum, & domos Hebræorum intactas relinquentis, quod earum postes agni sanguine illite essent. Celebritas azymorum

agebatur in recordationem septem dierum, in quibus post immolationem & esum agni, panes azymos Hebræi comederunt. Et ideo in eodem Leuitici cap. 23. legimus: *Septem diebus azyma comedetis: dies primus erit vobis celeberrimus, sanctissimæ. Omne opus seruille non facietis in eo; sed offeretis sacrificium in igne Domini septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior, & sanctior, nulliusque seruille opus facietis in eo.* Erant igitur dies azymorum septem, si computentur à primo die festo, qui celebrabatur decimaquinta luna, vsque ad lunam vigesimamprimam. Erant verò octo, si supputentur ij. à luna decimaquarta, in qua macabatur typicus agnus, & edebatur cum panibus azymis. Ex septem igitur diebus azymorum, primus erat solemnitas & festus, in quo abstinebatur ab omni opere seruille, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent, vt exprimitur Exod. 12. *Dies prima erit sancta atque solemnitas, & septima dies eadem festiuitate venerabilis.* Ergo nefas erat in ea die seruille opus facitare, ijs operibus exceptis, quæ ad vescendum spectant, qualia sunt, ignem accendere, & cibos coquere, vel alia ratione & modo parare.

Quod igitur scriptum est *Leuit. 23. Dies septimus erit celebrior, & sanctior*, non intelligitur, si cum primo comparatur, sed cum reliquis quinque inter primum & vltimum interiectis: illi namque dies celebres quidem erant & solemnes ob sacrificia, quæ offerebantur in singulis, sed profani erant, non sacri. Fiebant porro sacrificia, iuxta legis præscriptum, Numeror. 28. Sed secundus dies hoc habebat peculiare, quod legimus *Leuit. 23. Altero die Sabbati*, id est, die azymorum secundo (nam primus quia festus erat & sacer, Sabbatum vocabatur) deferrebant Hebræi ad Sacerdotem manipulos spicarum, primitias messis, Sacerdosque vnum eorum coram Domino in altum attollebat, vt ipsi Deo, cui offerebantur, essent grati & accepti. Et eodem die cadebatur agnus anniculus, immaculatus in holocaustum, & offerebatur simila, & vinum, vt eiusmodi munus, sacrificium, & victimam ornaret.

Caput XXXV.

De Iudæorum pentecoste.

Leuitic. 23. legimus: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expirationis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino. In veneratione erat dies hic quinquagesimus, in recordatione videlicet legis diuinitus datæ quinquagesimo die ab egressu ex Aegypto: nam eo die legem accepisse Hebræos, ex Scripturis colligitur. Exod. 19. scriptum est: *Mense tertio egressus Israel de terra Aegypti. In die hac, id est, in die similiter tertio ipsius mensis tertij, venerunt in solitudinem Sinai, quoniam si sumamus quindecim dies ex primo mense, qui numerabantur à decimo sexto die eius mensis, & ex secundo mense viginti nouem cum tribus diebus tertij mensis, sunt quadraginta septem dies, quibus si addan-**

tur isti tres dies? Respondeo, cum dicitur: *Mense tertio egressus Israel de terra Aegypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai.* diem hanc sumit Scriptura pro eodem die. Ita ut sensus sit: Venerunt mense tertio eodem die, hoc est, tertia eiusdem mensis die: ergo perueniunt die quadragesimo septimo, & tertio deinde die sequenti, Moyses legem accepit. Ergo data est lex die quinquagesimo ab egressu ex Aegypto. Quo fit, ut hæc celebritas dicta quoque sit hebdomadarum, quia ab altero die post primum festum diem azy-morum computabatur septem hebdomadarum plena, quæ quadragesima nouem dies conficiunt, & die statim proximè sequenti celebritas Pentecostes agebatur. Erat autem hæc celebritas vna de tribus, in quibus omnes viri singulis annis venire Hierosolymam lege cogebantur, ut patet ex Deuteronomio.

Deut. 10.

Caput XXXVI

De die festo Tubarum.

Leuitici quoque cap. 23. de hac celebritate legimus: *Mense septimo, primo die mensis erit vobis sabbatum memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur sanctum. Mensis septimus apud Hebræos, qui magna ex parte nostro Septembri respondet, magno in honore erat, quippe qui quatuor dies festos, & sacros continebat, videlicet Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, Coetus, siue Collectæ. Quænam admodum igitur septimus quisque hebdomadæ dies, sanctus erat, sic mensis quoque septimus erat magna veneratione celebris. In primo die colebatur celebritas Tubarum. Opinantur Hebræi, eiusmodi festum diem coli in memoriam illius beneficii, quo Deus Isaac de gladio patris eripuit, & arietem, eius loco immolandum substituit: & ideo eum diem celebrari cornibus arietinis. Quod certè illi ex sacris literis firmo argumento non colligunt, nec satis efficaci ratione demonstrant. Ego potius crediderim, eum diem festum esse institutum, ut tubarum clangore, ad celebritates venturas, scilicet Expiationis, & Tabernaculorum, quæ illo mense celebrabantur, cum iucunditate populus prepararetur. Ibidem præcipitur: *Omne opus seruile non facietis in eo: & offeretis holocaustum Domino.* Numerorum verò 29. legimus sacrificia, quæ eo die offerre oportebat: erant enim duplicia, alia propria ipsius celebritatis Tubarum, alia ipsi cū cæteris Neomenijs communia.*

Gen. 22.

Caput XXXVII

De die festo Expiationis.

De hac celebritate, scriptum est etiam in Leuitico sic: *Decimo die mensis huius septimi, dies Expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino.* Tradunt Hebræi, quod etiam Catholici interpretes scriptum reliquerunt, festum hunc diem esse institutum, quia eo die putatur diuinitus dimissum peccatum, quod populus Hebræus, in colendo vitulo ex aureo confa-

Leuit. 23.

tili perpetravit. Creditur enim Moyses decima die mensis septimi de monte descendisse cum secundis tabulis, in signum culpæ condonata, quod Hebræi magis traditione quadam, quam Scripturæ auctoritate comprobant. Et quia hic dies dicatus Deo erat, & sacer ad peccata per poenitentiam expianda; ideo præceptum est, ut in eo animas suas affligerent, hoc est, ieiunium sponte susciperent, quo vna cum precibus & sacrificijs coniuncto, Deus placatus, peccatorum veniam largiretur. *Affligetis animas vestras.* Phrasis est Hebræa; id est, ieiunij vos ipsos macerabit. Vnde Isaias in persona Iudæorum loquens: *Quare ieiunamus, inquit, & non aspexisti? humiliamus animas nostras, & non respicisti? Et respondit Dominus: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & reliqua.* Dauid quoque: *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Ieiunium autem eo die agebatur à vespera diei noni exeuntis vsque ad vesperam decimi desinentis, Et affligetis, inquit, animas vestras die nono mensis. Ac ne intelligeretur, suscipiendum esse ieiunium in periculo ipsius diei decimi; ob id in Hebræo dictum est: *Affligetis animas vestras in die nono mensis ad vesperam, id est, ab occasu solis, nono die iam desinente, vsque ad solem occidentem in ipso decimo die.* Omne opus seruile in eo. Id est, in tempore diei huius. Et Numerorum cap. 29. de victimis offerendis, scriptum est, *offeretis holocaustum Domino in odorem suauissimum, vitulum de armento vnum, & arietem vnum, agnos oviculos immolatos septem.*

Ezai.

Isai.

Psalm.

Ezai.

Leuit.

Caput XXXVIII

De celebritate Tabernaculorum.

In Leuitici & Numerorum libro ita habetur: *A quintadecima die mensis huius septimi, erunt feria Tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus. (id est, erit vobis sacer) omne opus seruile non facietis in eo, & septem diebus offeretis holocausta Domino. Hæc celebritas erat magna apud Iudæos, & vna ex illis tribus, in quibus omnes masculi ter venire Hierosolymam singulis annis debebant, ut patet ex illis verbis Deuteronomij: *Tribus vicibus, inquit, per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, in solemnitate azy-morum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum.* Dicta est autem hæc celebritas in Hebræo, *Hag Husucot*, id est, celebritas Tabernaculorum: in Græco *ἑορτὴ σκηνῶν*, quod idem est. Dicitur etiam *Σκηνῶν*, hoc est, structura Tabernaculorum, videlicet à faciend & figendis tabernaculis, non autem, ut quidam dixerunt commune & publicum epulum. Hæc autem feria agebantur ad recolendum*

Leuit. 23.

Numer. 29.

Deut. 16.

Leuit. 23.

benefici-

beneficium, quo Hebræi ex Aegyptiaca seruitute liberati, & per solitudinem deducti, quadraginta annis in tentorijs habitauerunt, & ideo per septem dies colebantur. Non tamen omnes illi dies erant festi & sacri, ne vniuersus populus, & præsertim pauperes tot dierum festorum numero grauarentur. Erant tamen singuli celebres, quia quotidiè ex præscripto legis certa sacrificia solemniter & cæremonia fieri, & offerri oportebat. Sed quam ex materia eiusmodi tabernacula conficiebantur à Iudæis: Abulensis q. 24. in *Leuitic. cap. 25.* testatur ex ramis arborum fieri solita; quoniam in deserto, inquit, Hebræi non habitauerunt in domibus, sed in vmbra culis sub arboribus. Probabilius mihi videtur, talia fuisse tentoria, qualia esse solebant apud veteres, & qualia populus Hebræorum habuit in vsu iter per solitudinem faciès, videlicet è lignis, & linteis, & pellibus confecta, vt commodè æstus, frigus, ventos, & pluuias arcerent. Ligna primum figebantur, quæ domicilium constituerent, & deinde pellibus extrinsecus tegebantur. Horum tabernaculorum artifex erat Paulus, teste Luca: *Erant autem, inquit, (Paulus scilicet, Aquila & Priscilla) scenopædioria arborum.*

Porro de holocaustis & victimis, quæ singulis diebus exdebantur, præscribitur Numerorum cap. 29. At quibus in locis tabernacula figebantur. Cum Iudæi per solitudinem patriam suam petebant: Respondeo, ea in deserto tendebant: postea verò cum in patriam peruenerent, ea figebant extra muros, vel in ipsis domorum tectis, vel in locis extra urbem patèntibus. Præterea lex iubebat *Leuit. 23. Sumetisque vobis die primo fructus arborum pulcherrimos, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & letabimini coram Domino vestro. Quod Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 10. hunc in modum interpretatur: Et simul cum gratiarum actione sacrificare: manibus interim gestantes ramos myrti, & salices, palme, & mali persicæ. Hæc ille. Arborem pulcherrimam videtur Scriptura appellare malum cyream vel persicam, & arborem densarum frondium, myrtum. Voluit Deus, vt hunc diem festum cum læticia & iucunditate Iudæi celebrarent prædictarum arborum ramos in manibus gestantes, quò recordarentur se de sterili solitudine in terrâ fertilem, & vberem, aquis irriguam, iuxta quam versantur salices, & optimis arboribus abundantem, translato fuisse. Dubia tamen quæstionis est, an totos dies septem cum læticia & iucunditate prædicta celebrarent, an solum primum diem. Moyses Aegyptius, & Iosephus loco citato, Petrus Comestor in *Hist. Scholast. in lib. Numeror. cap. 47.* testantur eam celebritatem per integros septem dies peragi solitam. Abul. verò q. 28. in *Num. censet* primo tantum die durare.*

Caput XXXVIII

De die festo cænis, siue collectæ.

Eodem *Leuitici* libro legimus: *Dies quoque octauus (videlicet qui proximè sequitur septem dies Tabernaculorum) erit celeberrimus*

atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino. Est enim cænis aque collecta. Omne opus seruile non facietis in eo. Agebatur igitur hæc celebritas die vigesima secunda septimi mensis post septem dies Tabernaculorum exactos. S. Thom. 1.2. q. 102. art. 4. ad 10. ait, dictum esse cænis siue collectam, quia in ea colligebantur è populo, quæ erant necessaria ad impensas cultus diuini. Petrus Comestor: *Quia colligebantur, inquit, ea, quæ erogabantur in vsu pauperum, vel in alios vsus communes. Lyranus putat, pecunias tunc colligi solitas in sumptus sacrificiorum, vel aliorum, quæ in templo fiebant. Abulensis: quia colligebantur pecuniæ, vel ad reficienda ea, quæ in templo corruerant, vel ad noua vasa aurea, & argentea, & vestes, & alia id genus emenda. Mihi verisimilius videtur, collectam dici, quia relictis Tabernaculis, in vnum populum colligebatur ad gratias Deo agendas precibus & sacrificijs, eo quod post longam quadraginta annorum peregrinationem tandem in Terram Patriam promissam omnes salui & incolumes peruenerunt. Feriæ igitur Tabernaculorum à Iudæis colebantur, quibus illi peregrinationis annos in memoriâ reuocabant. Dies festus collectæ proximè celebrabatur, vt recordarentur beneficii, quo absoluta & confecta peregrinatione, simul omnes Terram summis votis expetitam & precibus efflagitam tandem obtinuerunt. Conueniebant verò, ad hoc scilicet, vt diuina audirent & discerent. Simili de causa dies azymorum extremus, dies festus, cænis, & collecta dicebatur, quia in eo populus cogebatur, vt rebus sacris & diuinis interesset, & Dei præceptis & legibus informaretur.*

Caput XXXIX.

De die ignis calitis dati.

Libro secundo Machab. cap. 1. ita legimus: *Facturi igitur quinta, & vigesima die mensis Casleu, purificatione templi, necessarium duximus significare vobis, vt & vos quoque agatis diem Scenopægias, & diem ignis, qui datus est quando Nehemias edificato templo, & altari, obtulit sacrificia. Nam cùm in Persidem ducerentur patres nostri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, accepti ignem de altari, occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus, & in eo conuerti sunt cuncti, vt omnibus ignotus esset locus. Cum autem præterissent anni millei, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis, nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem. Et sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, & iussit eos haurire, & offerri sibi, & sacrificia, quæ imposita erant, iussit Sacerdos Nehemias, aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant supposita. Itaque hoc factum est, & tempus affuit, quo Sol affulsit, qui prius erat in nubilo, accessus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. Hæc ibi:*

Hic ignis, de quo Scriptura loquitur, sacer erat è cælo datus, quo vno uti in altari fas erat ad sacrificia, de quo in *Leuitico*: *Ignis autem in altari meo semper ardebit: quem nutries Sacerdos subijciens ligna manè, per singulos dies: quem ignem, cœlestem scilicet, Nadab & Abiu negligentes, aliumque ignem adhibentes, igne diuinitus lapsa deuorati & absumpti perierunt. Hic igitur ignis semper in tabernaculo, & in tēplo seruatus est,*

In *hist. lib. Num. c. 47*Abul. q. 28
Et 27. in c.
Leuit. 23.

Leuit. 6.

Leuit. 10.

doneo templum à Chaldæis est igne exustum, & Iudæi in Babylonem captiui abducti sunt. Et de hoc igne intelligitur locus libri Machabæorum proxime allatus. Porro dies hic dati ignis, siue festus, siue celebris tantum fuit, ex lege Moysis non colebatur: Immo recentiores Iudæi dicunt, in templo secundo semper coelestem ignem descendisse super sacrificia. Nimirum isti, libros Machabæorum minime, vt canonicos & sacros habent, nec agnoscunt.

Caput XL.

De Encænijs.

Præter dies festos Moysis lege præscriptos, colebant Iudæi diem sacrum vigesimum quintum mensis noni, & hic erat dies festus Encæniorum. De quibus apud Ioannem sic legitur: *Fasta sunt Encænia in Hierosolymis, & hyems erat.* Sunt autem Encænia, dies dedicationis templi: Græci namque ἑνεανίας dicunt, quod Latini, renouare, vel dedicare. Templum Iudæorum ter est dedicatum: primo, cum est constructum à Salomone: Secundo, cum est iterum ædificatum post reditum à captiuitate Babylonica: Tertio, cum ex parte dirutum & pollutum à Gentibus sub Antiocho Epiphane, mandatum & dedicatum est tempore Iudæ Machabæi, de quo ita proditum est in libris Machabæorum.

Et ante motum surrexerunt, quinta & vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragésimi octauis anni, & obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum nouum, quod fecerunt secundum tempus, & secundum diem, in qua contaminauerunt illud Genes. In ipsa renouatum est in Cantico, & citharis, & citharis, & cymbalis. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia. In huius igitur beneficii memoriam colebantur singulis annis Encænia, non autem in recordationem primæ aut secundæ dedicationis, nam post ea, quæ attulimus statim sequitur: *Et statuit Iudas, & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, à quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio.*

Fiebant porro Encænia diebus octo, quia dies octo Iudæi in illa dedicatione templi lætissimè consumplerunt. Voluerunt autem tot dies in dedicatione consumere; memores celebratis Tabernaculorum, quam Iudæi per octo dies magna cum lætitia colebant. Sic enim secundo Machabæorum libro scriptum est: *Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum Tabernaculorum, recordantes quod ante modicum tempus diem solemnem Tabernaculorum in montibus, & in specianti more bestiarum egerunt. Propter quod iherosolymis & ramos virides, & palmas proferebant eis, qui prospera mundare locum suum. Sic ibi. Quare verisimile est primum, & octauum diem Encæniorum fuisse festos & solemnes; ceteros non item, sed celebres tantum, ob sacrificia, quæ in illis offerri solebant.*

Caput XLI.

De Sacerdotibus Leuiticis.

Tribus totam Leuiticam Deus sibi consecrauit, vt in Tabernaculo, & deinde in templo ministraret, vt in libro Numerorum scribitur: hinc factum est, vt cum recenserentur viri à vigesimo anno, qui possent ad bella procedere, veruerit Deus Leuitas numerare, quoniam non ad militiam, sed ad ministerium in templo erant diuinitus destinati, vt patet ex eodem libro. Erant igitur omnes Sacerdotes, Leuitæ, hoc est, ex tribu Leui, non tamen erant omnes Leuitæ Sacerdotes. Vnde apud Ioannem legitur: *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem.*

Leuitarum ætatem docemur Numerorum 8. qualem esse oportebat: nam à viginti annis ingrediebantur in templum, vt in eo ministrarent, & cum quinquagesimum ætatis annum impleuerant, à ministerio & officio cessabant. Tantum custodiebant, quæ sibi committebantur. Sed Numerorum 4. legitur, Leuitas numerari à trigésimo vsque ad quinquagesimum annum. Ceterum hoc cum primo non pugnat: nam hoc intelligitur, vt à trigésimo anno onera Tabernaculi inciperent deferre, quippe qui erant firmiter viribus: à vigesimo vero quinto anno Leuitæ consecrabantur, vt citò possent priores, & antiquiores sua opera iuuare, ac in eorum locum substitui.

Leuitarum familia, officia, & munera eorundem, in libro Numerorum cap. 3. & 4. describuntur. Sacerdotium soli Aaroni & filijs eius datum est: quorum partes erant victimas & sacrificia offerre, & orare pro populo. Aaron summus Sacerdos fuit, eius filij, minores Sacerdotes erant, Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. Duo priores, vt dixi, coelesti igne perierunt, quod alienum ignem obtulissent, & liberos non reliquerunt. Vnde posteriores duo, Eleazar scilicet & Ithamar, soli cum patre relicti sunt. Eleazar patri successit, & deinde transit ad eius posteros pontificatus: qui omnes referuntur vsque ad exilium Babylonicum, vt est in lib. Paralip. c. 6. Ad primogenitos vero Pontificatus transmittentur: quare minores Sacerdotes fuerunt omnes alij, qui ex alijs filijs Eleazari, & ex filijs Ithamari genus & originem duxerunt. Posterius Moysis numerati sunt inter Leuitas, vt legitur in lib. Paralip. c. 6. & 1. Paralip. cap. 23. quia Sacerdotium datum est Aaroni & filijs eius.

Ritum, quo Leuitæ consecrabantur, habemus in libro Numerorum. Cum Pontifex consecraretur, immolabantur hostiæ, & ad ostium tabernaculi Testimonij lauabatur aqua, & sacris vestibus induebatur, & caput eius perfundebatur copia sacri olei, id est, aromatici liquoris, qui à barba ad oram vsque vestimenti eius defluebat: cuiusque odore totus populus exhilarabatur. Vnde illud Psalmi: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in unum. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.*

Minores

Minores Sacerdotes etiam ad officium Tabernaculi abluebantur aqua, & sacris vestibus induebantur, manusque eorum ungebantur, quae omnia simul cum alijs, in Exodo commemorat Moyses.

Secundo quaeritur, quinam fuerint redditus Levitarum, & Sacerdotum? Respondeo, Leviticam tribum in Terra Patribus a Deo promissa, nullam sortem & hereditatem accepisse; cum tamen aliae singulae tribus, singulas acceperint sortes & hereditates. Habuit tamen ea tribus Levitica quadraginta vrbes cum agris suis ad animalium pascua: ex quibus tredecim sunt Sacerdotibus assignatae: quae causa est, ut non soleat inter tribus duodecim numerari; Sacerdotes enim & Levitae per omnes dispersi erant, ut ceteros omnes praecipis, institutis, & legibus informarent.

Praecepit Deus, ut omnes tribus decimas Levitis soluerent, quibus alerentur. Filij autem Levi, Deus, inquit, dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio, quo seruiunt mihi in Tabernaculo faderis. Ex his vero decimas Pontifici pendebant. Praecepit, ait, Levitis atque denuntia: Cum acceperitis a filijs Israelis decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimae; ut repositur vobis in oblationem primitiarum. Senlus est: Ut in hoc etiam pares sitis reliquis tribubus, quae ex laboribus suis offerunt Deo decimas.

Sed dubia quaestio est, an Levitae decimas ex decimis soluerent summo Pontifici, an vero Sacerdotibus omnibus? Lyranus & Abulensis opinantur Summo Pontifici pendere: quia scriptum est de Levitis: Tam de area (hoc est, de frumento, quod colligitur ex area) quam de torcularibus (hoc est, ex vino collecto ex vuis) & vniuersis quorum accipitis primitias offerte Domino & datee Aaron Sacerdoti. Iosephus tamen scribit, decimas ex decimis Levitae soluere Sacerdotibus.

Nam, inquit, dicendum quae sint Sacerdotum propria. Ex quadraginta octo oppidis praecipit Deus, ut Levitae conderent eis tredecim, & decimarum a populo acceptarum decimas penderent. Hieronymus in illud Ezechielis: Et haec sunt primitiae, & reliqua. Decima, inquit, hoc est, decimam partem omnium frugum, Leviticae tribus populus ex lege debebat. Rursus, ex ipsis decimis Levitae (hoc est, inferior ministrorum gradus) decimas dabat Sacerdotibus. Et haec est, quae appellatur secunda decima. Et in Epistola ad Fabiolam de veste Sacerdotali: Aeditui, inquit, & ianitores accipiunt decimas. Et rursus, Decimas decimarum offerunt Sacerdotibus ianiti illis maiores, quanto ipsi maiores populo. Sic ibi;

Et de tertia decima, de qua Deuteronom. 14. legimus: Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quae nascuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & quae sequuntur.

Dubitatur etiam, an populus decimas solueret Levitis tantum, an vero ipsis simul & Sacerdotibus. Abulensis existimat, decimas a populo pendere Levitis, non Sacerdotibus. Sed Ioseph. oppositum tradit his verbis: Et insuper a toto populo decimas annis fructus exigit Levitis simul ac Sacerdotibus co-

ferendas. Et Nehemias: Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis, in decimis Levitarum, hoc est, Sacerdotes filij Aaron simul cum Levitis participes erunt decimarum acceptarum a populo. Et hoc est verisimilius. Vnde illud Numer. 18. Filij autem Levi dedi omnes decimas in possessionem: non significat Levitis tantum datas esse, sed toti Leviticae tribui, quae Sacerdotes & Levitae pariter continebat.

Tertio quaeritur, an Sacerdotes redditis alijs & proventus praeter decimas haberent. Respondeo, habuisse; nam praeter decimas Levitis & Sacerdotibus communes, Sacerdotibus primitiae soluebantur, id est, rerum terra nascentium primi fructus: primitiae vero, necerant plus quam fructuum quadragesima pars, nec minus quam sexagesima. Nam inter hos duos terminos primitias quisque sua voluntate metiebat & soluebat, ut scribit Beatus Hieronymus in illud Ezechielis supra citatum. Et haec sunt primitiae. Pertinebant etiam ad Sacerdotes munera, quae Domino offerebantur, & alia, quae Numer. cap. 18. memorantur.

Quarto quaeritur, quae munia & officia Sacerdotum essent? Num. 18. scriptum est de Aaron, Tu, & filij tui custodite Sacerdotium vestrum, & omnia, quae ad cultum altaris pertinent, & intra vellum sunt, per Sacerdotes admistrabuntur. Si quis externus accesserit occideur.

Sex erant munia Sacerdotum: Primum, sacrificia & victimas immolabant, quae extra Tabernaculum in altari holocaustorum, quod erat in arrio Tabernaculi, & post templum extructum in arrio Sacerdotum, machabantur & incendebantur. Secundum, panes, qui propositionis dicebantur, offerebant super mensam, quae erat in exteriori parte tabernaculi ad Septentrionalem plagam. Tertium, lucernas quotidie mane, & vespere aptabant & coponebant in candelabro, quod erat in eadem tabernaculi parte ad meridianum

latus contra mesam propositionis. Quartum, thymiama offerebant quotidie mane & vesperi in altari aureo, quod erat ante Sancta Sanctorum. Quintum, extra castra vitulam rufam immolabat. Sextum, leprosos & alios immundos expiabant: de lepra cognoscebant, & iudicabant.

Quinto quaeritur, quae essent propria munera & officia Summi Pontificis? Primum solus ille in Sancta Sanctorum introibat ad aspergendum sanguinem hirci, idque semel in anno, in die expiationis: quae celebratur decimo die mensis septimi colebatur. Ingrediebatur itidem in tabernaculum singulis quibusque Sabbatis, Calendis quoque, & diebus festis, teste Iosepho lib. 6. de bello Iudaei. cap. 6.

Sacerdotum porro ministeria obire Levitis minime per legem licebat, quamvis essent consecrati: immo nec fas illis erat altaria, vel vasa sacra contingere. Excubanturque, ait Dominus, ad praecipia tua, & ad cuncta opera tabernaculi: licet duntaxat, ut ad vasa Sanctuarij, & altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos percatis simul.

Ceterum exedificato iam templo, alia fuerunt Levitarum munia, prout David rex constituit, dicens: Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, & habitationem Hierusalem usque in aeternum. Nec erit officij Levitarum, ut ultra portem tabernaculi, & omnia vasa

Ezech. 45.
Exod. 26.
Ibidem.
Exod. 30.
Num. 19.
Leu. 13. & 14.
Leuit. 16.
Num. 18.
1. Par. 23.



ibidem.

etiam ad ministrandum. Sic ibi: Inde factum est, ut numerati fuerint Leuitæ à viginti annis & supra. Et cum iuuenta fuissent triginta octo millia virorum, ex his electi sunt & distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia. Præpositorum autem & iudicum fuere sex millia, quatuor millia ianitores, & totidem psalteres canentes Domino in organis, quæ fecerant ad canendum. Sic ibi: Sed quale ministerium domus Domini fuit, ad quod delecta fuerunt illa viginti millia virorum? Iosephus intelligit eos esse delectos, ut curarent ædificium templi. Abulen. ut Sacerdotibus inferuissent in omnibus, quæ illi præciperent, & in parandis his, quæ opus erant ad sacrificia. Et quia tanta multitudo simul ministrare non poterat; eâ Dauid per familias distribuit, ut omnibus hebdomadis per vices suas inferuissent. Et hoc est quod scriptura refert: Et distribuit eos Dauid per vices filiorum Leui, videlicet Gerson & Caath, & Merari. Seruiebant igitur in vestibus, & in exedris (ubi erant gazophylacia & oblationes.) In loco purificationis (in quo scilicet, erat Mare æneum; & alia vasa in oblationem Sacerdotum, & victimarum disposita, quæ Leuitæ implebât, & euacuabant) in Sanctuario, id est, in loco magis sacro, ut cætores. Diuisit præterea Dauid Sacerdotes, videlicet omnes posteros Eleazari, & Ithamari filiorum Aaron, in viginti quatuor familias; filios Eleazari in sedecim, filios Ithamari in octo; fuerunt enim hi pauciores inuenti: sortito verò vnaquæque familia per vices suas inferuiebat: nã cuius prima fors exijt, descripta est in prima familia, & post hanc secunda, ac deinceps cæteræ vsq; ad vigesimam quartam. Hinc est illud quod scribit B. Lucas: Fuit in diebus Herodis regis Iudææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia (quæ videlicet erat octaua familia in illis viginti quatuor, quas scriptura commemorat, & post:) Factus est autem cû Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vici sue ante Deum. Diuisit quoque Dauid Leuitarum multitudinem in viginti quatuor partes: & idem illi quoque forte diuisi, omnibus hebdomadis per vices suas ministrabant.

1. Par. 23.

1. Par. 24.

Luc. 1.

1. Par. 24.

Caput XLII.

De vestibus Sacerdot alibus.

ERant vestes minorum & maiorum Sacerdotum, id est, Pontificum communes, & erant alie etiam propriæ Pontificum. Extat Epistola Hieronymi ad Fabiolâ de vestibus Sacerdot alibus. Porro quatuor ad vestium materiam seruiebant: Hyacinthum, hoc est, filum ex lanea materia colore hyacinthorum orientalium: Purpura, quæ erat coloris puniceæ, siue mali granati: Coccus bis tinctus, qui rubri erat coloris: Byssus, hoc est, linum Aegyptiû, quod erat tenuissimum & fortissimum, & præstantissimi candoris.

Primò quaritur, quot, & quæ vestes erant communes? Respondeo, quatuor. Prima vestis, erant linea foeminalia, quæ Hebraicè dicitur Michensê. Hæc, inquit Hieronymus, vsque ad genua, & poplites veniebant, & verenda & femora celabant, & superior pars sub umbilico vehementer adstringebatur, ut si quando expe-

מכנסת

diti mastrarent victimas, tauros, & arietes, traherent, portarentque onera, nec si in officio ministrandi cecidissent, & femora reuelassent, pateret quod natura occultauit. Inde prohibuit etiam Deus, ne gradus ad altare fieret, nimirum, ne inferior populus ascendenti ad altare Sacerdotum verèda conspiceret. Hæc ex Hieronymo: Erant autem foeminalia facta è bysso retorto.

Secunda vestis erat tunica ex lino; quæ Græcè dicta est *σάβητος*, hoc est talaris, ad talos vsq; protensa, Hebraicè dicitur *Cheronesh*. Erat quoque byssina, quæ quidem adhærebat corpori tam arctè, & tam strictis manicis, ut nulla omninò ruga in veste appareret, quò sic expediti essent ad ministerium, ut milites ad cursum, ad iacula mittenda, ad pugnam, & prælium, ad enses vibrandû, cum opus in bello est.

Tertia vestis Sacerdotum communis, erat cingulum, quod baltheum, siue zonam appellant, textura ex cocco, purpura, hyacintho, & stamine byssino; ac proinde decorum, & polymita arte distinctum. Hebraicè vocatur *Abanet*. Et hoc baltheo, linea tunica inter umbilicû & pectus stringebatur. Erat autem cingulum latum quatuor digitis, & ex vna parte ad crura dependebat; & cû ad sacrificia cursu & expeditione opus erat, in sinistram humerum retorquebatur.

Quartum genus vestis erat rotundum, pileatum, ut ait Hieronymus, Hebraicè dicebatur *Misnepheth*, quod Græci tiamam vocant, nonnulli gælerum, alij cydarim, & habebat acumen in summo, nec totum vsque ad comam caput tegebat, sed tertiam partem à fronte inopertâ relinquebat. In occipito vitta confictum erat, ne facile laberetur ex capite. Erat byssinum, & sic apprime opertum linteolo, ut nulla eius vestigia extrinsecus cernerentur. Hæc ex Hieronymo.

Secundò quaritur, quot & quæ vestes erant Pontificum, id est, maiorum Sacerdotum propriæ? Erant quatuor, prima dicitur Hebraicè *Mail*, hyacinthina, vsque ad crura protensa, ex lateribus eiusdem coloris manicæ assutas habebat, & in superiori parte qua collo inducebatur, aperta. Vulgo, inquit Hieronymus, *capitulum vocant*. Constat oris firmisimis contextis, ne facile rûperetur. In inferiori parte, hoc est, iuxta pedes, septuaginta duo tintinnabula habebat, & totidem mala punicea iisdem coloribus contexta, quibus cingulum: Inter duo tintinnabula vnum malum punicum erat, & inter duo mala vnum tintinnabulum. Inde fiebat, ut cum Pontifex in Sancta Sanctorum ingrederetur, totus vocalis incederet, statim moriturus, si hæc non faceret.

Alterum vestimentum Hebræi ippellant *Ephod*. Septuaginta Interpretes *ἐπιθήκη*. Latinus interpres, superhumeralis, eisdem coloribus distinctum, quibus cingulum. Et sciendum est, duplex fuisse Ephod, ut Hieronymus annotauit, vnum, quod erat propriû Summi Pontificis, quatuor prædictis coloribus insignitû, & opere textili confectum. Alterum, lineû tantum, quo non solum Sacerdotes, & Leuitæ, sed oes etiam laici & populares utebantur, cû Domino ministrabât. De Samuele qui Leuita erat, ita legimus. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accitissimus*

Ephod

22. Ephod lineo. Et de Saule: *Ieruit in Sacerdotes, & truci-*
clauit in die illo octogintaquinque viros vestitus Ephod li-
neo. & de Dauide, qui nec Sacerdos erat, nec Le-
 24. uita. *Porro David accinctus erat Ephod lineo*, videlicet,
 ve falcaret, & cureret ante arcam Domini. Ni-
 mirum populares hoc vestimenti genere vtebatur,
 quoniam eo commode, & religiose diuino
 cultui inseruiebant.

Tertium vestimentum erat, inquit Hieronymus,
 mensura paruum, sed ceteris longe sacratius, vo-
 catur Hebraice *Hoffen*, hoc est, Pectorale, Græcis
 dictum *Λογίον*, à Latino Interprete, *Rationale*. Erat
 pannus breuis ex auro, & quatuor predictis co-
 loribus contextus, habens magnitudinem palmi
 per quadratum, & duplex, ne facile rumperetur.
 Erant ei intextæ duodecim gemmæ miræ magni-
 tudinis & pretij per quatuor ordines, ita vt in
 singulis tres ponerentur.

In primo ordine, primus lapis erat *Sardius*: qui
 teste Plinio est perlucidus, & ignis specie habes.
 Hic Hebraice dicitur *Odem*, à rubro, siue san-
 guineo colore. Quidam Hebræi interpretantur Ru-
 binus: sed Septuaginta, Iosephus, & Hieronymus
 vertunt Sardium, siue Sardonicum.

Secundus lapis erat *Topazium*, quæ gemma viri-
 dis est auctore Plinio, & præ lata omnibus eius
 coloris gemmis cum reperta est. Hebraice dicitur
Piadach. Omnes interpretantur Topazium.

Tertius *Smaragdus*, qui maximè viridis est, &
 oculorum aciem mirifice recreans, vt potè gra-
 tissimi & iucundissimi coloris, teste Plinio oculo
 implet, nec fatiat. Hebraice dicitur *Bereket*, à
 fulgure. Quidam Hebræi putant esse Chrysolithum.
 Sed Septuaginta, Iosephus, & Hieronymus reddunt
 Smaragdum.

In secundo ordine primus lapis erat *Carbunculus*,
 de quo Plinius ait, principatum tenere inter
 gemmas ardentes, quæ similitudine ignem refe-
 runt. Hebraice vocatur *Noohen*. Hebræi interpre-
 tantur Smaragdum, certè peregrinum est nomen.
 Septuaginta, Iosephus, & Hieronymus reddidè-
 re Carbunculum.

Secundus erat *Sapphirus*, qui cælestis coloris
 est, & punctis aureis collucet, teste Plinio. No-
 minatur Hebraice *Saphir*. Omnes interpretati
 sunt Sapphirum.

Tertius lapis erat *Iaspis*, gemma pulcherrima,
 virèns, & translucens, & maximè firma, de qua
 Plinius ait: Etiam si victa à mulieris, antiquitatis
 tamen gloriam retinet. In Hebræo nomen accepit
 à contuendo, siue percutiendo *Tahalom*. Vnde
 quidam Hebræi dicunt esse adamantem.

In tertio ordine primus lapis erat *Lygurius*,
 quanquam aliqui *Lyncurium* legunt. Plinius de
 hoc lapide ita scribit, *De Lyncurio proxime dici cogit*
Aurorum penuria; quippe etiam si non Elestrum id esset,
gemmam esse conueniant. Fieri autem ex vrina quidè Lyn-
curi, sed egestas, terra prouincis bestia operiente eam, quanti-
um inuideat hominum vsui. Esse autem, qualem in ignis
fucinis colorem: scalpique: nec folia tantum aut stramenta
ad se rapere, sed eris etiam & ferri laminas: quod Diocles
quidam, ac Theophrastus credidit. Ego Ialsum totum id ar-
bitror, nec visum in auro nostro gemmam vllam ea appel-
latione. Sic ille. Lyncurium igitur, gemma non est,
 sed id quod Latine dicimus, succinū vel electrū.
 Lygurius verò, gemma est, & ex genere lapidum

ardentium, cuiusmodi carbunculi sunt. Meminit
 & eius Plin. Hic lapis Hebraice dicitur *Lelem*,
 quidam Hebræi Iaspidem vertunt: sed ferè omnes
 intelligunt Chrysolithum.

Secundus lapis erat *Achates*. Hæc gemma, eodè
 teste Plinio, olim in magna fuit auctoritate, nūc
 in nulla est, & teste Isidoro nigra est, habens in
 medio circulos nigros, & albos iunctos & vari-
 atos. Hebraice vocatur *Sebo*, omnes interpretatur
 Achatem.

Tertius lapis erat *Amethystus*, qui teste Plinio,
 ad vini rubri colorem accedens, priusquam eum
 deguster, in violaceum definit, & fulgor quidam
 in illa purpuræ, non ex toto igneus, sed in vini co-
 lorem deficiens. Hebræum eius nomen est *Acha-*
Lamah: omnes intelligunt Amethystum.

In quarto ordine, primus lapis erat *Chrysolithus*,
 qui aureo colore translucet, Plinio auctore.
 In Hebræo dicitur *Tbarsis*, omnes intelligunt Chry-
 solithum. Græci & Latini, quidam Hebræi
 Smaragdum.

Secundus *Onychinus*, ab humani vnguis simili-
 tudine carni impositi sic dicitur, eodem Plinio te-
 ste. Chrysoliti colorem habet & Sardæ, & Iaspidis.
 Hebraice nominatur *Sabam*, quidam Hebræi
 accipiunt Beryllum, verum Lxx. Iosephus, &
 Hieronymus interpretantur Onychium.

Tertius erat *Beryllus*, viridis gemma, quæ sex
 anguli forma politur, quoniã hebescit, ni color
 eius surdus repercussu angulorum excitetur, vt
 tunc Plinius. Hebraice scribitur *Tajset*. Vnde He-
 bræi intelligunt Iaspidem, at Lxx. & Iosephus, &
 Hierony. interpretatur Beryllum.

Hi duodecim lapides typum & figuram gere-
 bant duodecim tribuum. In primo ordine, iuxta
 quorundam sententiam, primus lapis Sardius re-
 ferebat *Ruben*, qui fuit primogenitus Iacob. Secū-
 dus *Topazius*, *Simeon*; tertius *Smaragdus*, *Iudam*.

In secundo ordine, primus Carbunculus *Dan*,
 secundus Sapphirus, *Nephthali*: tertius Iaspis,
Gad.

In tertio ordine, primus Lygurius, *Aser*; se-
 cundus Achates, *Issachar*; tertius Amethystus,
Zabulon.

In quarto ordine, primus Chrysolithus, *Ephra-*
im; secundus Onychinus, *Manassen*; tertius Beryl-
 lus, *Beniamin*. Sed iuxta aliorum opinionem, in
 primo ordine erant *Ruben*, *Simeon*, & *Leui*: In secū-
 do ordine, *Iudas*, *Issachar*, & *Zabulon*: In tertio or-
 dine, *Dan*, *Nephthali*, & *Gad*: In quarto ordine *Aser*,
Ioseph, & *Beniamin*. Iosephus scribit, literas in his
 omnibus lapidibus sculptas fuisse, referetes sin-
 gularum tribuum Principes, eo ordine, quo nati
 esse noscuntur.

Secundò Quæritur, quidnam significetur illis
 verbis: *Doctrinam & veritatem*, quæ erant in ratio-
 nali summi Sacerdotis: Sciendum est, Dominum
 Moyse præcepisse: *Pones in rationali iudicij, Doctrinam*
& veritatem, que erunt in pectore Aaron, quando in-
gredietur coram Domino; & gestabit iudicium filiorum
Israel in conspectu Domini semper. Vbi Latine legi-
mus, Doctrinam, in Hebræo est Vrim, id est, lu-
 mina, siue splendores, siue illustrationes, siue, vt
 Lxx. manifestationem, aut demonstrationem, quæ
 eandem rem significant: doctrina enim sancta,
 est vitæ nostræ verū lumen, vbi Hieronymus La-

Plin. eod. l.
 cap. 7.
 ליעים
 Plin. c. 10.
 Isid. l. 10.
 Etym. ca.
 10.

שבר

Plin. ibid.
 cap. 9.

אחלמה

Plin. ca. 9.
 הרשיש

Cap. 6.

שחם

Cap. 5.
 ישבח

Ioseph. li. 3.
 antiq. c. 11.

Exod. 28.

ctitè

rinè verit, Veritas. Hebraea lectio habet Thumim, hoc est, perfectiones: quo verbo significatur singularis morum integritas.

Sed illud est in controuersia, vbinam, & quo modo fuerint in rationali Vrim, & Thumim, hoc est, lumina, & perfectiones, siue doctrina, & veritas, verum videlicet litteris Hebraicis Vrim & Thumim; an verò potius aliquid fuerit in illo positum, quod illa verba significaret.

Aug. 9. 17. in Exod.

B. Augustinus hanc ita soluit quæstionem: Quid sibi hoc velit, vel in qua re, vel metallo poneretur super rationale Demonstratio, & veritas (quoniam talia dicit fieri in veste Sacerdotis, quæ corporaliter sunt) inuenisse difficile est. Fabulantur tamen quidam, lapidem fuisse, cuius color siue ad prospera, siue aduersa mutaretur, quando Sacerdos intrabat in Sancta. Sic ille. Iuniores Hebræi, in genuè fatentur ignorare se quidnam designaret illa duo verba Vrim, & Thumim. Quidam tamè eorum opinantur, illis duobus verbis significari ineffabile Dei nomen, quod quatuor litteris constat apud Hebræos. Ita vt cum dicitur, Pones in rationali Vrim & Thumim, sensus sit, scribes in rationali ineffabile Dei nomen, quod intra duos panos rationalis ponebant: per quæ, inquirunt, Scripturam, Deus responsa sua, cum consulabatur, declarabat, hoc est, verba sua luere, & splendore faciebat, & perficiebat postulata. Quidam Catholicorum sentiunt, Vrim & Thumim, non esse aliqua verba scripta in rationali, sed esse duodecim illos lapides in rationali intextos; ac si dicere Dominus voluerit, Pones in rationali, id est, inferes in rationali prædictas duodecim gemmas fulgurantes, ac omni ex parte perfectas. Quod probant, quia vbi Scriptura narrat factum esse in vestibus quicquid Dominus præceperat Moysi, nihil de Vrim, & Thumim scriptum est, quia mirum id ipsum erat, quod duodecim lapides intexti. Deinde, quia cum Iosephus de rationali ageret, nihil de Vrim, & Thumim scripsit: nihil etiã Hieronymus. Sed probabilius mihi videtur, ea verba esse aliquam scripturam in rationali præter duodecim gemmas; quod inde confirmatur, quia postquam Scriptura duodecim lapides in rationali inferendos dixit, adiecit hoc: Pones autem in rationali iudicij Vrim & Thumim, siue doctrinam, & veritatem. Existimo, hæc duo verba in rationali describi, quib' admoneretur summus Sacerdos, eum oportere summa doctrina præditum esse, quæ lumen, siue illuminatio in sacris litteris sæpe dicitur, vitæ ac morum summa integritate, vt alios & verbo doceret, & vitæ exemplo ad virtutem inuitaret, & moueret.

Exod. 29.

Exod. 28.

Tertio Quæritur, cur id vestimenti genus dictum sit rationale iudicij? Quidam volunt, sic dictum, quod summus Sacerdos nunquam dicebatur in re seria & graui, nisi ea veste indutus. Alij verò, inde appellatum volunt, quod contineret iudicium & sententiã Dei, quæ erat, vt summus Sacerdos summa doctrina, & morum ac vitæ probitate fulgeret.

Exod. 28.

Quarto Quæritur, quænam esset quarta vestis propria Sacerdotum/Summi Pontificis proprium erat Iiara, de qua ita legitur: Facies lammam de auro purissimo, in qua sculpsit opere celasoris: Sanctum Dominum: Ligabisque eam vitæ hyacinthina, & erit super Iiaram immittens fronti Pontificis, dicitur Hebraicè Si-

ציר זרה

rabab, Hieronymus sic ait: Hoc super pileolum iunens, & commune omnium Sacerdotum, in Pontifice plus additur, vt in fronte vitæ hyacinthina constringatur, rationeque Pontificis pulchritudinem, Dei vocabulum coronet & protegat. Erat in lamina aurea descriptum quatuor litteris ineffabile nomen Dei, cum ista hac Scriptura: Sanctus Dominus, quæ admoneret Sacerdos, oportere sanctum esse eum, qui sancta Deo sacrificia, vota, & preces offerebat, & qui Deum placatum sibi, & cetera esse cupiebat.

Postremò Quæritur, an Pontifex his omnibus vestibus indueretur, quoties in tabernaculo, vel templo ministrabat Domino. Respondet, sic in Exodo scriptum contineri: vt faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. Postea facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron, & filijs eius, vt sacerdotio fungantur mihi. Vnde perspicitur idem iuris fuisse de sacerdotibus, quod de summo Pontifice: vt enim hic, ita etiam illi sacris vestibus ornabantur, cum sacris eos operari oportebat. Et de tunica hyacinthina legitur: Et vestietur ea Aaron in officio & ministerio, vt audiat sonitus quando ingreditur, & egredietur Sanctuarium. Lyraus tamen & Abulensis excipiunt tempus, quo ingrediebatur summus Sacerdos in Sancta Sanctorum in die expiationis, quo die, inquirunt, his tantum vestibus, quæ erant ipsi cum cæteris Sacerdotibus communes, vestiebatur. Verba scilicet ad Moysen hæc sunt: Loquere ad Aaron fratrem tuum, vt omni tempore ingreditur Sanctuarium, quod est inter velum coram Propitiatorio, quo tegitur arca, vt non moriatur, nisi hæc ante fecerit. Si uultus pro peccato offeret, & arietem in hoc occiderit: tunica linea vestietur, femoralibus lineis verenda celabit; præcingetur zona linea: cidaris lineam imponet capiti, hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cuncti, cum lotus fuerit, induentur. Sed cur eo die aliqui celeberrimo summus Pontifex, his tantum vestibus utebatur? Respondet Abulensis: Quia non leuiter, sed maioris dies erat: in eo siquidem Iudæi corpora sua ieiunio affligebant, & penitentia peccata expiabant.

Exilat

Lyra. 6. Arca. 1. c. 16. 17.

Caput XLIII

De rebus sacris, quarum usus erat in tabernaculo, & deinde in templo.

De arca Testamenti, seu fœderis.

PRIMò quæritur, qualis nam fuerit arca fœderis? In primis arca fœderis, fuit facta ex lignis Setim, quod lignum, teste Hieronymo, est firmissimum, & quod non facile putrescit. Leuisimum pariter, & pulcherrimum.

Longitudo arcæ hæc fuit: habebat duos cubitos & dimidium: Latitudo cubitum & dimidium, altitudo quoque cubitum & dimidium: rãta fuit magnitudo, quanta & decoris ratio, & magnitudo Cherubim, & ea quæ in arca reponenda erant, postulare videbantur.

Cubitum Auctor historiae Scholasticæ, & Abulensis negat fuisse geometricum, vt in arca Noe, sed humanum. Iosephus, quem sequitur Beda, ita scribit: Longitudo arca erat quinq; palmorum: altitudo verò, & latitudo, triu palmorum: palmus verò apud Iosephum continet duodecim digitos. Est autem

Hieron. 6. Arca. 1. c. 16. 17.

Schol. 1. c. 16. 17.

Exod. 25. c. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52.



internallum inter medium digitu, & pollicem: cubitus autem vulgaris & humanus est. Interval- lum a flexu brachij ad extremum medij digiti, & digitos habet vigintiquatuor, & hic est cubitus, de quo loquitur Moses indicans magnitudinem arce. Arca tota cooperiebatur extrinsecus, & in- trinsecus laminis aureis ex auro purissimo: in summo limbum aureu habebat, quem coronam vocant, quo vndique arca cingebatur, & teste Ri- chardo, surgebat in duos, aut tres digitos super operculum: in duobus lateribus longitudinis bi- nos circulos aureos habebat in summitate late- rum ad angulos; in quibus circulis inclusi sem- per erant vctes ex lignis Setim, & operti auro, vt quoties opus esset, aliud facile trasportari pos- set. Sacerdotum enim humeris deferebatur arca. Dicta est autem arca Testamenti & foederis, eo quod in ea & lex poneretur, & per legem Deus suam voluntatem testatus est, & pactum, foedus- que iniuit cum populo Hebraeorum: cuius velu- ti quaedam conditiones fuerunt, vt ipse Deus sin- gularem illius populi tutelam, curam, & guber- nationem haberet, & populus Deo pie ac religio- se honorem, veneratorem, & cultum debitum deferret.

Secundo quaeritur, Quidnam fuerit in arca foe- deris? Multis quaestio hac semper non parum ne- gotij facessit, propter illa Scripturae verba in Regum volumine contenta: In arca autem non erat aliud, nisi duae tabulae lapideae, quae posuit in ea Moses in Ho- reb, quae quidem verba alibi etiam Scriptura com- memorat. Sed B. Paulus plura fuisse in arca testa- tur, ita scribens: Et arcam Testamenti circumiectam ex omni parte auro: in qua erat vna aurea, habens manna, & virga Aaron quae fronduerat, & tabulae Testamenti. Quos quidem duos locos ita nonnulli conciliant, tem- pore Salomonis negant fuisse nisi duas tabulas lapideas legis; cum autem Paulus scribebat, ea omnia fuisse in arca (siue ea fuerint in arca inclu- sa ab Hieremia Propheta, captiuitatis Babylo- nicae tempore arca abscondente, vt Machabeorum libri testantur, siue a Sacerdotibus vnam, & vir- gam sacrorum, tutiorque in loco asseruare vo- lentibus.) Aiuunt quidam alij, ex tota lege nihil aliud fuisse in arca, nisi duas tabulas, diuinam le- gem continentes, vt scribitur in libro Regum. Ni- hilominus tamen fuisse etiam virgam Aaron, & vnam continentem manna, vt scripsit Apolto- lus: haec enim duo, primum illud nequaquam ex- cludit. Rursum alij affirmant, duas lapideas tabu- las tantum in arca fuisse: quoniam etiam caetera in ea erant, quae commemorat Paulus, ad legem ta- men seruandam potissimum facta erat arca. Ly- ranus, Abulenensis, & Caietanus opinantur solas ta- bulas lapideas intra arcam contineri, caetera ve- ro fuisse in capsula quadam lateri arcae ipsius ad- herenti. Quod probare contendunt ex illis ver- bis Deuteron. Tollite librum istum, & ponite eum in la- tere arcae foederis. Alij respondent ita, vt dicant ea omnia fuisse in arca tempore Moysi: Sed cum Sa- lomon templum dedicauit, solas lapideas tabu- las fuisse in arca. Iosep. constanter affirmat, nihil aliud in arca fuisse, nisi tabulas lapideas. Verissi- mus puto esse quod alij tradunt, Paulum no di- cere, illas res fuisse in arca, sed in Tabernaculo: nam in Graeco tabernaculu est foemini generis

συνων. Cum igitur Paulus ait: In qua erat vna aurea, & virga Aaron, quae fronduerat, & tabulae Testameti, il- lud relatiuum, in qua, no refert arca, sed Taberna- culu, foemini similiter generis in Graeco, quod paulo ante praecesserat, & Scriptura, manna, & virgam Aaron in Tabernaculo fuisse dicit, non in arca. Hinc illud Exod. Dixitq; Moses ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi man, quantum capere potest gomor, & reponere coram Domino ad seruandum in generationes ve- stras. Posuitq; illud Aaron in Tabernaculo referuandū. Ali- bi quoque: Refer, inquit Dominus ad Moysen, virgam Aa- ron in Tabernaculu testimonij, vt seruetur ibi. Fecitq; Moy- ses sicut praeeperat Dominus. Et nolite interpretes Lati- nus, saepe casus & genera, quae sunt in Graeco, ser- uare consuevit, tamen si Latinitati no congruant: nimirum ille sensus rationem habere maluit, qua verboru. Cuius rei exempla nonnulla subiiciam. Sap. 5. vbi dicitur: Spiritus Domini repleuit orbem ter- rarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis: In Graeco, Πνευμα, id est, Spiritus, neutrius est gene- ris, & ad illud refertur pronomen, hoc, & sensus est, hic Spiritus Domini, qui cuncta conseruat & continet, ne in nihilum recidant, scientiam, hoc est, notitiam habet vocis; ac si dixisset, Nouit om- nia, quae loquimur. Ioannes quoq; in Apocalypsi de Henoc & Helia loquens: Haec sunt, inquit, duae o- liuae, & duo candelabra in conspectu Domini terree stan- tes, dixit, stantes, non, stantia, conuenienter nomi- ni Graeco, non Latino. Ibidem, Ioanni dicitur, Accipe librum, & deuota illi, & faciet amaricari ventrem tuum: Sed in ore tuo erit dulce, pro dulce, vt respon- deret nomini Latino: Sed interpretes dicere maluit dulce, rationem scilicet habens Graeci vocabuli. Cum etiam dicitur serpenti: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, & ipse, vel ipsa contoret caput tuum. Vbi semen, in Hebraeo ma- culini generis est, cuius rationem habuit inter- pres. Dauid etiam, Calix in manu Domini, vini meri ple- nus mixto, Et inclinabit ex hoc in hoc, videlicet calicem: sed interpretes ita posuit, vt erat in Graeco, vbi est, & ομιχλος. Liber item Sapient. Et scribit (Ioseph Patri- archa) quoniam omnium potentior est Sapientia, Et in E- uangelio: Scitis, quia principes gentium dominantur eo- rum; & in Psalmis, Comprehenduntur in consilijs quibus co- gitant. In quibus locis, casus Interpres retinuit, qui erant in Graeco.

Paulus igitur scribit: Post velamentu autem secun- dum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctoru, aureum habens thuribuloru, & arcam Testamenti circumiectam ex omni parte auro: In qua (videlicet, in quo Taberna- culo, non, in qua arca) siquidem in Graeco est et- iam foemini generis, erant vna aurea, & reliqua quae sequuntur.

Tertio quaeritur, An liber Deuteronomij fue- rit in arca? Pleriq; opinantur fuisse, ijs permoti eiusdem libri verbis: Postquam ergo scripsit Moyses ver- ba legis huius in volumine, atque compleuit; praecipit Leni- tis, qui portabant arcam foederis Domini, dicens: Tollite li- brum istum, & ponite eum in latere arcae foederis. Quidam vero negant in arca fuisse, & Moien quidem aiunt praecipisse, vt inferretur in arcam; sed postea fa- ctum no esse, cum duobus in locis litterae diuinae testentur nihil in arca fuisse, nisi duas lapideas ta- bulas legis. Aliorum est sententia, dicentium li- brum Deuteronomij intra arcam non fuisse, sed lateri eius adhaerentem. Quicquid sit, hic liber

Exod. 16.

Num. 17.

Apoc. 11.

Apoc. 10.

Genes. 3.

Psal. 74.

Sap. 10.

Matth. 20.

Psal. 80.

Hebr. 9.

3. Reg. 8.

2. Paral. 5.

non videtur fuisse in arca, sed in Tabernaculo, indeq. ad locum thesaurorum translatus, ex ædificato iam templo. Scriptum enim alibi est: *Cumq. efferrent pecuniam, que illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias librum legis Domini, per manus Moysi, & ait ad Saphan scribam: Librum legis inveni in domo Domini.* Sic ibi: Hic liber scriptus manu Moysi fuisse perhibetur, & ideo tanquam sacer in Tabernaculo asseruatus.

Quartò queritur, Cuius vsui esset arca foederis? **Respondeo**, ad continendam arcam, totum Tabernaculum extructum fuisse: Arca enim erat velut solium Domini in penetralibus Tabernaculi, vt in aula regia constitutum. In eo solio suam presentiam Dominus adumbratè ostendebat; inde enim responsa dabat. Vnde in sacris literis arca, nõ unquã facies, & gloria Domini vocatur, nimirum adubrata. Arca itè fabricata est, vt in ea Tabulæ legis asseruarentur, vt foederis monumentum.

Quintò queritur, An Arca foederis fuerit postea semper in templo Salomonis seruata. **Scriptura** alicubi perhibet, eam fuisse in templum Salomonis illatam, vbi mansit, quamdiu illud stetit. Iudæis verò captiuis in Babylonè abductis, Hieremias Arcam eduxit, & secum portauit in montem Nebo, & abscondit in spelunca simul cù Altari thymiamatis, & ostium obstruxit, vt scriptura testatur. An verò tempore secundi templi inuenta fuerit Arca, & in locum suum restituta, nihil certi constat. Iosephus affirmat, nihil fuisse in Sancto Sanctorum, cum capta Hierosolyma, templum est deuastatù à Romanis. *Inimè*, inquit, *templi pars, viginti cubitorum erat: discernabatur autem similiter velo ab exteriori, nihilq. profus in eo erat positum.* Auctor Scholasticae historiae refert, Arcam fuisse inter spolia à Romanis in urbem aliam cum Mensa, & Candelabro, & alio in loco eam tradit in Vrbe seruari in templo Lateranensi, ex quo videtur cõmunis traditio manasse, Arcam foederis fuisse in urbem in triumpho Titi deportatam. Abulensis tamen hæc omnia, vt falsa confutat, & quæ in Arcu Titi exculpta est, non Arca, sed Mensa illa aurea est, cuius mentione fecit Iosephus his verbis: *spolia, inquit, alia quidem passim ferrebantur, eminebant autem ea, quæ apud Hierosolymam repperia sunt, Mensa aurea, ponderis talenti magni, & candelabrum similiter auro factum: post hæc autem portabatur lex Iudeorum nouissima spoliolum.* Hæc Iosephus.

Sextò queritur, in quibus locis subsisterit Arca, quamdiu mansit apud Iudæos? **Respondeo**, in primis fuisse vna cum Tabernaculo in Galgalis, quoniã eo loco Hebræi, castrametati sunt. Translata est etiam cum Tabernaculo in Silo, vbi mansit, donec capta est in bello à Philistæis, mansit separata à Tabernaculo apud Philistinios septem mensibus: Restituta à Philistinis fuit in vrbe Cariathiarim extra Tabernaculum, intra quam vrbe erat collis Gabaa, vbi erat domus Aminadab, & in ea domo asseruata est: Indè postea translata est in domum Obededon Gethai, quæ erat Hierosolymis, & ibi mansit tribus mensibus. Et deinde transfuit eam Dauid in urbem suam, quam in monte Sion ædificauerat, in locum, quem ipse præparauerat.

Septimò queritur, Cur Dominus præcepit mortis poena constituta, ne vlli etiam Leuitæ præter

sacerdotes, nudam Arcam tangerent, aut viderent? **Respondeo**, voluisse Dominum, vt Arca tanquam solio, ipsius Dei debitum honorem Iudæi tribuerent, videlicet vt eam piè, & religiosè tractarent, & ideo præcepit, ne nisi inuoluta cerneatur, aut tangeretur à Leuitis. ob eam causam è Bethsamitis multi interierunt, quod nudam Arcam vidissent, vt Regum narrat historia. Mortis verò poenam constituit, vt pœnæ grauitate deterriti præceptum implerent: veruit, ne tangeret, aut viderent, vt omnem occasionem Arcam temerè tractandi præcideret.

Cap. XLIIII.

De Propitiatorio.

PRIMO queritur, Quid Propitiatorij nomine intelligat diuina Scriptura? De hoc legimus ita Dominum præcepisse: *Facies & propitiarium de auro mundissimo: duos cubitos, & dimidium tabuli longitududo eius, & cubitum ac semissem latitudo.*

Secundò queritur, An propitiatorium esset operculum Arcæ foederis? **Quidam** existimant, fuisse tabulam quandam longitudine & latitudine equalè Arcæ, separatam tamen & loco sitam eminentiore, ita vt Deus, aut Angelus, qui ipsius Dei nomine responsa reddebat, in ea insidere, vt in solio aureo, & pedes in operculo Arcæ figere putaretur. Alij verò probabilius opinantur, fuisse operculum Arcæ, eò quòd longitudo eius, & latitudo ipsam Arcam æquarent, & nihilominus non fuisse ex eadè materia, ex qua erat Arca, sed tabulam ex auro solido superpositam Arcæ. **S. Thomas** 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6. dicit fuisse lapideam, nisi codices sint scriptorum incuria vitiat, in tæo Dolo, & Mag. sto potuit memoriae lapsus accideret, hoc dixerim ne quis codicum lectione deceptus erret, aut ne errore suu tanti viri testimonio, & auctoritate defendat. Nam sine corrupti, & vitiat culpa scriptorum codices sint, siue integri, & sine vitio sint, constat manifestò. **S. Thom.** docuisse propitiatorium fuisse tabulam auream: quoniam in Epistolâ ad Hebræos. c. 9. *testi.* sic autem inter duas aurè alas, quibus tangebant se, videlicet Cherubim, erat tabula aurea eiusdè longitudinis, & latitudinis omnino cuius arca, scilicet duorù cubitorù in longitudine, cubiti, & semis in latitudine, & erat supereminens, quæ dicebatur propitiatorium. Sic **S. Tho.** in eo loco citato. **Quæret** aliquis, quomodo in propitiatorio sedere Dominus credebatur, si erat operculum Arcæ? tunc enim opus erat, vt is, qui sedere putabatur, pedes in terra figeret, nõ in Arca? **Respondeo**, Cherubinos super Propitiatorium in loco paulò eminentiore alas expandere, & Dominus super illis sedere credebatur: veluti si quis pedibus in Arca operculo constitutus, vt in scabello, super alis Cherubinoꝝ obrentis insideret.

Tertio queritur, Quare dictum est, eiusmodi Propitiatorium operculum Arcæ? **Sciendum** est, dictum esse hebraicè *Caphoret*, à verbo *Caphar*, quod tegere, & placari significat; & ideo Latine reddi poterat operculum, quòd Arcam operiret ac tegeret. Hieronymus verò in Propitiatorium vertit, quia ibi Dominus Moysi apparet, & cum eo loquens, populo propitiatus reddebat. Vnde

Ioseph. lib. 6.
de bel. iud.
c. 6.

Schol. hist.
in li. Iudæ.
c. 4.

Abu. q. 14.
c. 23. Exod.
Ios. li. 7. de
bello. c. 24.

Ios. 8.
Reg. 5.
ibidem 6.

Ibidè c. 1.
Paral. 13.
2. Reg. 6.

illud: Inde precipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, & alibi, Audiebat vocem loquentis ad se de Propitiatorio, quod erat super Arcam testamenti, unde & loquebatur ei. Ac idcirco Propitiatoriu[m] latine redditur interdum, oraculum, eo quod Dominus consultus inde respondere consueverat.

Cap. XLV.

De duobus Cherubinis obumbrantibus Propitiatorium.

PRIMO queritur, Quo pacto se haberent duo illi Cherubini super Propitiatorium in tabernaculo? Cherubini duo in Tabernaculo fuerunt, & deinde etiam in templo. In Tabernaculo quidem erant aurei ex eodem auro solido facti, ex quo erat Propitiatorium, & vnus eorum erat in vno latere Propitiatorii, alter in altero, mutuo sese respicientes, & suis alis ipsius Propitiatorium vndiq; tegentes: vnus erat ad Meridiem, alter ad septentrionem: Dextera ala vnus alterius sinistram tangebatur: quemadmodum cum duo homines sese intuentur, seseque manibus tenent. At ij Cherubini, quos maiores Salomon fecit in templo, non aurei fuerunt, vt priores, sed ex lignis oliuarum, vt scriptura perhibet his verbis: *Et fecit (rex Salomon) in oraculo duos Cherubinos de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis. Porro lignum oliuæ, nec tēpescit, nec carie, nec vetustate tēporis lædi solet teste Vitruuio. Erant operati hi Cherubini laminis aureis, nec mutuo sese aspiciabant, sed vultus ad domum exteriorem habebant conuersos, hoc est, ad Orientem facies, terga ad Occidentem, & alas quinque cubitorum singulas extensas versus septentrionem: ita vt vna ala vnus Cherubini parietem meridiana[m], altera alterius Cherubini septentrionalem parietem templi contingeret. Alæ verò duæ alæ amborum sese attingebant, quoniam secunda ala vtriusq; ad mediam partem Sancti Sanctorum perueniebat, & tangebatur extremum alæ alterius Cherubini. & ita illis duabus alis tangebatur Arcam cum Propitiatorio, & cum duobus Cherubinis aureis simul, & vtriusque quos fecerat Moses, & in Arca, & Propitiatorio posuerat.*

Secundo queritur, qualis forma, & figura fuerit Cherubinoꝝ? De Cherubinis Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 8. sic scribit: *Operculo vero[m] impositæ erant effigies duæ, quas Hebræi Cherubin appellant. Ea sunt auarantia volucra noua specie, nec vnquam cuiquam hominum visa, que Moses in Deo solio viderat figurata. Alibi idem Iosephus: lib. 8. Antiquit. cap. 2. Hæ cherubice effigies, inquit, quanam specie fuerint, nemo vel conijcere potest, vt eloqui. Receptissima est sententia, eos humana forma, & figura factos fuisse. Nam quodam scripturæ loco ita legitur. Ipsi autem stabant erectis pedibus; facies eorum erant versæ ad exteriorem domum: qua figura videtur fuisse bimius, non alterius cuiusvis animalis: sum tamen, qui dicitur, saltem eos figuram humanam habuisse, vt vulnus quidem humanum, pedes bouinos, pedes leoninum, alas aquilinum haberent. Alij, Rabbinos Iudæorum secuti tradiderunt, vnum Cherubinum pueri formam, alterum puellæ faciem habuisse, quod fabulosum mihi videtur. Hinc est, vt toties in scriptura Dominus super Cherubin sedere dicatur. Qui sedes, inquit Dauid, super Cherubin, manifestare corâ Ephraim,*

Beniamin, & Manasse. Idem quoque, Dominus regnavit, irascantur populi. Qui sedes super Cherubin, moueatur terra. Eandem ob causam currus, in quo gloria Dei apparuit, vt narrat Ezechiel, trahebatur ab animalibus, id est, à Cherubinis sub forma animalium.

Nec dubitandum est, hosce Cherubinos, cælestes spiritus referre, sed forma his corporea est afficta, vt cerni possent: sunt enim sua natura incorporei, & spirituales, nec videri corporis oculis queunt, quemadmodum etiam apud nos Angeli depinguntur: Et sicut nos, tales Angelos pingimus, quales significari, & intelligi volumus: sic etiam Moses, & Salomon tales Cherubinos fecerunt, non quales cælestes illi spiritus sunt, sed quales à nobis intelligi voluerunt. Pingimus Angelos iuuenes, venustos, alatos, vt significemus eos semper ætate vigere, nulla temporum ætate senescere, mirabili naturæ perfectione, & nobilitate præditos, summa celeritate quocunq; velint, se mouere. Ita Moses Cherubinos effinxit, vultu quidem hominem referentes, vt eorum cælestium spirituum rationem, mentem, consilium, & prudentiam significaret. Quod si cum bouinis pedibus effingebantur, vt quidam putarunt, id idcirco erat, vt eorum labor indefessus, & constans semper ac firma virtus in Dei mandatis exequendis denotaretur: veluti etiam in pectore leonino, eorum robur, & fortitudo; & in alis aquilinarum, celeritas designabatur, si tales insculpebantur.

Cap. XLVI.

De Altari Thymiamatis.

PRIMO queritur, Quale & quantum fuerit Thymiamatis altare? De hoc Altari ita legitur: *Facies quoque altare: (ait Dominus ad Moysen) ad adolendum thymiamata, de lignis setim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis (id est, quadratum) & duos cubitos in altitudine: cornua ex ipso procedent. Hoc altare, maius esse non debuit: neque enim factum fuit ad victimas in eo immolandas, sed ad incendendos odores solummodo. Mox ibidem subiicit Scriptura: Vestiesque illud auro purissimo tam craticulam eius, quam parietes per circuitum, & cornua. Craticulam vocat teclum eius; erat enim altare cauum, & super hoc teclum odores imponebantur. Cornua, quidam interpretantur radios quosdam sursum erectos in modum obelisci super quatuor altaris angulos, ita vt surgerent è quatuor lignis, quæ altare ipsum sustinebant. Tale fuit altare Thymiamatis, quod fecit Moses in Tabernaculo.*

Secundo queritur, An præter hoc Altare, Salomon fecerit alterum in templo? Ratio dubitationis est, quia in Historia Regum ita legitur: *Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini altare aureum & mensam. Abulensis putat, alterum altare à Salomone factum fuisse ex cedro, cum tamen altare à Mose factum fuerit ex linguis setim. Alij opinantur, idem Altare fuisse, sed à Salomone magnificentius ornatum. Non enim dicitur Salomon altare fecisse ex cedro, sed altare vestiuisse cedro, quod autem vestitur, non fit, quia ante iam erat, sed tegitur. Et paulò post legitur: sed & totum altare oraculi texit auro. Cum itaque Salomon fecisse perhibetur aureum altare; id verum est, quatenus id auro vestiuit, non nouum extruxit, sed*

Psal. 98.

Ezech. 10.

Exod. 30.

3. Reg. 7.

3. Reg. 6.

amplius, & grandius effecit, & ornauit magnificentius.

Tertio queritur, Quo in loco Tabernaculi Altare Thymiamatis erat? Duæ sunt opiniones. Nā Origines hom. 9. in Leuit. August. q. 173. in librum Exodi. & quidam alij, vt ait Theophylactus c. 9. in epist. ad Hebræos, putant fuisse in parte interiori, quod Sanctum Sāctorum appellabatur. Legimus enim in Regum historia, sed altare oraculi (hoc est, Sancta Sāctorum) texti auro, & in Exodo: Et deprecabatur Aaron super cornua eius semel per annum in sanguine. at qui summus Sacerdos semel singulis annis in Sanctum Sāctorum ingrediebatur. Huc accedit Pauli testimonium ad Hebræos scribentis, in Sancto Sāctorum aureum thuribulum fuisse. Sed Iosephus loquens de exteriori parte Tabernaculi, in qua erat mensa, & Candelabrum; Inter hoc, inquit, & mensam sita erat arcula suffumigatoria. Et alibi, de Templo Sermonem habens, cum de Mensa, & Candelabro dixisset, subiicit hæc: Medium autem inter vtrumque locum obimebat altare illud aureum, hæc omnia continebat anterior illa templi pars quadraginta cubitos longa. Et post: candelabrum autem, & mensam, & Altare aureum statuerunt in templo ante aditum eisdem locis, in quibus in Tabernaculo prius sita fuerunt. Ita Iosephus.

Idem quoque senserunt Theophyl. cap. 9. in epist. ad Heb. Beda in lib. de templo cap. 12. S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. Auctor. in hist. Scholast. c. 67. de historia Exodi. Lyra. Exod. 30. & 3. Reg. 6. & ad Heb. 9. Abulensis, q. 6. in ca. 30. Exod. & q. 16. in cap. 6. libri 3. Reg. Et hoc videtur ex ipsis sacris literis colligi. Nam Moses altare ponit inter mensam, & candelabrum: Posuit, inquit, scriptura, & mensam in Tabernaculo testimonij ad plagam Septentrionalem extra ve. i. m. posuit & candelabrum in Tabernaculo Testimonij è regione mensæ: posuit & altare aureum sub testimoij contra velum. Et paulò ante: Candelabrum, ait Dominus, stabit cum lucernis suis, & altare aureum, in quo adoletur incensum, coram Arca testimonij. Et alibi: Assumptoque thuribulo, quod de penis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiamata in incensum, iura velum iurabit in Sancta Sāctorum. Et deinde: cum autem exieris ad altare, quod coram Domino est, ore pro se, & reliqua. Ergo exhibebat summus Sacerdos è Sancto Sāctorum, & ad altare Thymiamatis redibat, situm in parte exteriori è regione Arce. Teste. B. Luca. Zacharias pater Ioannis Baptistæ obtulit incensum in altari thymiamatis, qui tamen erat vnus de minoribus Sacerdotibus, quia erat de vice Abia, octaua forte sacerdotum; de quibus in libro Paralipomenon: & quia forte exijt, vt incensum poneret. Summus autem Sacerdos cum vnus esset, non forte ministrabat, sed iure suo.

Sed quo modo hoc Altare dicitur Altare oraculi? Respondeo, ita dici, non quod in Sancto Sāctorum esset, quod oraculum vocabatur, sed quia in vrbibus oraculi seruiebat, cum in eo adolebatur incensum, & inde odores ad oraculum peruenirent.

Tertio queritur, quo in loco Tabernaculi aureum thuribulum poneretur? Nonnulli opinantur, in Sancto Sāctorum asservari solitum, quo summus Sacerdos semel in anno ingressurus inde illud fumebat, & exiens, in Thymiamatis altari incensum adolebat. Alij verò probabilius existimant in ipso altari Thymiamatis reponi. Nec

obstat dictum Apostoli, Sanctum Sāctorum habuisse Arcam, & Thuribulum aureum: nimirum id dixit ille, non quòd in eo asserviretur, sed quòd illius ministerio, & vsui deferiretur.

Cap. XLVII.

De Mensa, & Panibus propositionis.

PRIMO queritur, Quanta magnitudinis fuerit Mensa panum propositionis? Legimus in Exodo Dominum præcepisse, vt fieret Mensa è lignis setim, longa duobus cubitis, lata vno, alta cubitis adiuñctis, quatum cubitus cum dimidio tollitur, & vndiq; ductilis auri lamina contecta, Magnitudo fuit tanta, quanta, & panum numerus in ea ponendorum exigebat. Circumdabatur supernè limbo aureo, & clausura item aurea, quam latinus interpres reddit coronam in terra stem: cui deinde clausuræ, siue coronæ, coronula aurea imponebatur ad ornatum, & vt altior esset ipsa clausura siue corona, quòd panes ibi præpositi tutius, & commodius continerentur, ne deciderent è mensa. Illa corona imò formam referebat, & palmo vno, hoc est, quatuor digitis lata erat, crassa verò, quantum coronam, siue coronidema superductam ferre posset.

Quatuor pedibus hæc mensa sulcibatur, quibus quatuor erant armillæ, siue annuli additi, in quos veñtes lignei inferebantur ad mensam tollendam, & commodius asportandam. Annuli autem illi sub clausura, non magis quam clausura ipsa cum coronide prominebant. Veñtes erant ex ligno setim, auro eoque ductili cooperti, qui tantum immittebatur in angulos siue armillas, cum Mensa esset mouenda, & aliò transferenda. Mensæ vsus erat ad panes perpetuò continendos. Lignis coniuñij symbolum erat, quò typicè significabat, & proficiebatur Iisraheliticis populis se perpetuò Dei ministris alimenta præbere ex ijs, quæ singulari ipsius Dei munere, & beneficio quotidie percipiebat. Denique Mensæ vsu seruiebat scutellæ, phyalæ, cochlearia, & cyathi, vt expurgatoria quædam instrumenta, quibus Mensa abstergeretur, & emundaretur.

Secundo queritur, Quomodo, & quor panes in Mensa ponerentur? Ponebantur duodecim panes, sex ex vna parte, ex altera totidem; & alij alijs imponebantur. nam vt ipsa scriptura testatur, super panes duæ phyalæ aureæ collocabantur, vti que ordini respondent: ex quibus verbis colligit, panes eiusmodi lenos, & lenos esse dispositos, & alios super alios. Erant duodecim panes, quia duodecim tribus Iisraheliticæ referebant.

Tertio queritur, Quare Panes propositionis dicebantur? Lyranus, & Abulensis in ca. 25. Exod. a iunt, dictos esse in hebræo, Panes facierum, quia duas facies haberent, hoc est, eò quòd essent eiusdem figuræ supernè, & infernè, & vtraque faciei pars videretur. Sed longè probabilius est, quòd alij tradiderit: dici Panes propositionis, eò quòd semper essent coram Domino præpositi. Et in hebræo panes facierum, quia semper erant in facie, & in conspectu Domini. Et ideo dicitur: Et panes super mensam panes propositionis in conspectu meo seruent. Et alio in loco: Accipies quoque similitam, & coques ea duodecim panes; qui singuli habebit duas decimas,

quorum

מגיקת

quorum senas alvifecus super mensam purissimam coram Domino stantes, & ponet super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis. Per singula sabbata mutabatur coram Domino suscepti à filiis Israel sedere septimarios: erantque Aaron, & filiorum eius, ut comedant eos in loco sancto. Et ita legitimus Dominum nostrum dixisse de Davide, & ijs, qui cum eo erant, quod intrudes in domum Dei panes propositionis comederent, quos non licebat laicis edere, nisi solis sacerdotibus. Ergo singulis quibusque sabbatis panes sacro igni adolentes aliud vna cum panibus substinebant. Teste Iosepho lib. 3. Antiqu. c. 3. illi panes erant azymi è simila facti, & singuli habebant duas decimas, ut ipsius Scripturæ verba referunt. quo loco decimæ intelligitur eius mensuræ, quæ hebraicè dicta Ephî, erat omnium vulgarissima. Porro Ephî, erat decima pars cori, ut alibi tradit scriptura: corus autem triginta modios continebat, & proinde Ephî tres modios capiebat. Ergo singuli panes poderis erant circiter octo librarum.

Quartò queritur, Ad quam partem Mensa cum panibus in Tabernaculo ponebatur? Ad septentrionalem: & deinde exâdificato templo eadem Mensa, aut qualis a Mose fuerat fabricata, aut à Salomone magnificentius ornata, in parte exteriori templi ad septentrionem constituta est; ita tamen, ut in templo aliz quoque mensæ collocarentur. Vnde illud. Fecitque Salomon omnia vasa domus Domini, & altare aureum, & mensas, & super eas (hoc est, super vnam earum) panes propositionis. Et rursum: Nec non mensas decem, & posuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris.

Quintò queritur, Quid significant illa verba scripturæ: Parabis & acetabula, & phyalas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, & ponet super mensam panes propositionis. Abulensis. q. 28. super Exodus. cap. 25. contendit, hæc & alia vasa siue instrumenta viriisque altaris poni solita in mensa panum propositionis. Non est tamen verisimile, ut tam parua mensa, quantam supra descripsimus, tot vasa caperet cum panibus. Hæc igitur tantum, quæ commemorantur, in ipsa mensa ponebantur.

Sciendum est, ubi noster interpretis hoc in loco reddit acetabula in hebræo legi *naroth*, quod nomen dubie est significationis apud Hebræos. Quidam interpretantur scutellas, latinus interpres acetabula. Porro acetabulum erat genus vasis, quo acetum excipi solebat: vasa erant concaua, & lata, in quibus panes ponebantur. Phyalas in hebræo legitur *Caphoth*, quidam reddunt cochlearia, noster interpretis hoc loco, & alibi vertit, in mortariola, quæ vasa erant concaua: in hebræo dicta sunt *Caphoth*, à vola manus, quæ sic caua, volam cauam imitabantur. Thuribula in hebræo *Kejoth*, ambigua, & incertæ significationis apud Hebræos quidam reddunt medios calamos, aut semisistulas, alij cantharos siue scyphos. Noster interpretis hoc loco, & alibi, thuribula, aliquando crateres. Recentiores secuti Hebræos, docent fuisse dimidiatos calamos vacuos scissos per longitudinem suam, in quorum similitudinem facti sunt aurei, qui ponebantur super singulos panes, & diuidebant vnumquemque eorum ab altero, ut inter illos ingrederetur vêtus, vel aër, & pro-

hiberet, ne marèdi fierent. Quicquid sit, thuribula vocat noster interpretis, quia erant vasa quedam, quibus operiebantur panes, & thus ipsis panibus impositum. cyathos in hebræo *Menakijoth*, noster interpretis secutus septuaginta reddit cyathos. Inter Hebræos varia est opinio. Quidam aiunt esse furculas instar palorum aureas, quæ stabant in terra, & attollebantur supra mensam, vel altiores erant mensa in modum furcarum inflexæ ad fulciendos calamos, ne pondere panum frangerentur. Sed incerta sunt hæc. Alij dicunt esse calamos dictos Hebraicè *Menakijoth*, à munditia, propterea quod panem mundum seruabant, ne marcesceret. Alij volunt esse instrumeta quedam emundatoriæ, quibus mensa abstergebatur. Quicquid sit, hæc vasa, phialæ, thuribula, & cyathi, mensa vsibus seruiebant: cõducebant itidem ad libamina, hoc est, ut cum vinum, vel sicera, vel aliquid simile fundendum esset, ea vasa commode parata præsto essent.

Cap. XLVIII.

De Candelabro.

PRIMò queritur, Quantæ magnitudinis candelabrum esset, Constat ex libro Exodi, candelabrum factum esse ex vno auri talento. Et teste Iosepho, Talentum apud Hebræos erat ponderis minarum centum. Eius forma ibidem describitur his verbis: Facies & Candelabrum ductile de auro mundissimo: hastile eius, & calamos, & scyphos, & spherulas ac lilia ex ipso procedentia, hoc est, & hastile, & rami ex hastili procedent. Et scyphum, & spherula, & lilia sicut ex ipso auro solido ductili. Ac si diceret: Lilia, & scyphi, & spherulæ non erunt additæ, sed ex ipso candelabro siue stipite prodibunt. Deinde sequitur: sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere, tres ex altero. calamos appellat ramos ex hastili, veluti è trunco prodeuntes. Erant enim in hastili tres veluti nodi, & ex vtraque cuiusque nodi parte duo rami exeuntes in altum tollebantur. Ac ita erant sex calami, siue rami: ipsum verò hastile ultra tres ramos crescens, & erectum faciebat septimum calamum veluti ramum rectum tres ramos alios habentem. Ait deinde: Tres scyphi quasi in nucis modum super calamos singulos, spherulasque simul, & lilia. Spherulas appellat pomella rotunda; lilia verò, flosculos instar liliorum. Scyphi erant in modum nucis; in hebræo dicitur, in modum amygdali, non enim erant scyphi perfecte rotundi, sed instar oui.

Erat igitur hastile rectum vsque ad summum, & ex tribus nodis in eo sex rami vtrinque prodibant, quorum singuli tribus patulis scyphis oblongis ornati erant: qui scyphi, amygdali apertæ dimidium cauum referebant: Rami itidem singuli ultra tres scyphos spherulam habebant, id est, pomellum rotundum, & deinde flosculum prodeuntem in modum lilij, quo excipiebantur ibi imponendæ lucernæ. Et ideo in recto hastili quatuor scyphi erant, tres in superiori parte ultra postremum nodum cum pomello, & flosculo: vnus scyphus infra tres nodos ea parte, qua hastile ferè cum basi iungebatur. Scorsum septem lucernæ in candelabro ponebantur, vnaqueque in suo ramo candelabris in medio flosculi, qui scyphum,

Exod. 28.

Ioseph. lib. 3. Antiq. c. 7.

& pomellum sequebatur. Ad lucernarum usum erant duo instrumenta aurea; quorum vnum latinus interpres reddit Emundorium, quo emungebatur lucernæ; alterum (periphrasi quadam,) ubi quæ emuncta sunt, extinguuntur: vocabula hebraica latinè verti possent, in Præcisoriū, & comprehensorium: vnum enim instrumentum erat, quo lucernæ filum præcidebatur; alterum, quod partem præcisam, & abiunctam comprehendebat, ubi extinguebatur. Erat igitur instrumentum forceps parua, acutis ad extremum brachiolis, quibus lucernæ filum trahi, duci, & adaptari poterat: alterum erat, quo exusta iam, & fumigans ligni pars eminens, ignisque lucem minuens, magis quàm augēs, extinguere facili, & commodè poterat.

Secundò quæritur, Ad quam partem Tabernaculi Candelabrum esset? Ad meridianam, siue australem, è regione mensæ panes propositionis continentis: vnde inter candelabrum ad Meridiè positum, & Mensam ad septentrionem erat Thymiamatis altare, de quo ante iam dixi.

Tertiò quæritur, Cui vsui candelabrum esset? Iosephus mysticè Candelabri usum exponit: vt esset, inquit, symbolum cæli, siue vnuerſi, in quo septem Planetæ collucent. Ad literam, Candelabrum in parte exteriori tabernaculi, & deinde Templi lucebat, vt tota ea pars tecto oportea, & velo clausa lucem commodam exciperet, & haberet instar solis totum terrarum orbem sua luce complentis.

2. Paral. 3.

Quartò quæritur, Quot candelabra fecerit Salomon in templo. De hoc ita perhibet Scriptura diuina: Fecit autem Candelabra aurea decem secundum speciem, qua iusserat fieri, & posuit ea in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris. Hæc ibi.

Cap. XLIX.

De duabus Columnis in porticu Templi constitutis.

3. Reg. 7.

PRIMO quæritur, Vbinâ Salomon duas Columnas constituit? Libri Regum historia sic habet. Et statuit (scilicet Salomon) duas columnas in porticu Templi. Cumque statuisset columnam dexteram, vocauit eam nomine Iachin. Similiter erexit columnam secundam, & vocauit nomen eius Booz. Sic ibi. Vtraque columna nomen accepit à fortitudine. Iachin, quasi firmè fundata: Booz idem est, quod, in ipso fortitudo. Erant ambæ hæ columnæ symbolum, & signum firmæ stabilitatis, qua domus Domini fundabatur: erantque ex ære factæ. Quæres, quibus hæ columnæ vsibus deseruirent? Ad ornatum templi, quemadmodum ante Principum palatia, & aulas regias solent columnæ constitui: & in ipsis aliquando aquilæ, Gryphes, canes, leones, vel tauri, vel alia similia animalia effingi, & insculpi. Fuerunt autem constitutæ illæ columnæ in porticu templi, siue ante faciem templi, hoc est, in ipso templi vestibulo.

Secundò quæritur, Quantæ altitudinis essent illæ columnæ? In scriptura duos locos habemus verbis secundum speciem inter se cōtrarios. Primus locus in lib. Regum sic habet: Decem, & octo cubitos altitudinis habebat columna vna. Alter verò locus in Lib. Paralipomenon, & Hieremiâ, hic est: An-

3. Reg. 7. n.

19.

4. Reg. 25.

nu. 7.

te fores templi duas columnas (fecit Salomon) quæ triginta, & quinque cubitos habebant altitudinis. Quidam hocse duos locos ita conciliant; Ambarum columnarum dicentes altitudinem fuisse triginta sex cubitorum: Et ita quælibet columna decem, & octo cubitos altitudinis habebat, & hoc est, quod prior locus ille commemorat. Et altitudo ambarum licet triginta sex cubitorum esset, non tamen apparebat illa nisi tantum triginta quinque cubitorum, quoniam vtraque columna in capite siue capitulo femicubitum occultabat, ac indeo ambarum altitudo, quæ cernebatur, erat trigintaquinque cubitorum, & hoc est, quod scribitur loco posteriore.

Abulensis, & Caietanus. 3. Reg. 7. hanc probant conciliandi ratione, vide licet columnas quidem solas decem, & octo cubitos tantum altitudinis habuisse, at verò cum capitellis, epistylis, & basibus habuisse triginta quinque: ita vt capitella haberent quinque cubitos altitudinis, & epistylia quatuor in altitudine, bases autem octo. Cui sententiæ vnum obstat videtur, quod posteriore loco cū scriptura dixisset habuisse columnas trigintaquinque cubitos, mox subiicit: Porrò capita earum quinque cubitorum erant: ergo numerati non fuerant cubiti capitum in illis trigintaquinque. Sed responderi potest fuisse generatim numeratos, & deinde scripturam expressisse cubitos capitum, vt intelligeremus quinque cubitos habuisse capitella, & epistylia quatuor item cubitos, & bases octo in altitudine, qui omnes cubiti conficiunt decem, & septem, quos si coniunxeris cum decem, & octo, quos habebant solæ columnæ, vt libri Regum, & Hieremiæ expresserunt, faciunt trigintaquinque, quos liber Paralipomenon numerauit. Sic illi. Fortassis etiam sola quælibet columna erat decem, & septem cubitorum, & femicubiti, & proinde ambæ simul trigintaquinque cubitorum, vt dicitur in lib. Paralipomenon, & apud Hieremiâ: vero loci, qui in lib. Regum testantur vnamquamque columnam fuisse decem, & octo cubitorum; femicubitum videlicet pro cubito numerasse videtur, more scripturarum familiari, quo fractum numerum interdum pro integro, & completo accipiunt.

Præterea Hieremias scribit: Decem, & octo cubiti erant in columna vna, & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam; & liber 3. Regum ca. 7. Et lines, inquit, duodecim cubitorum ambiabat columnam vnamque; ac in eodem loco Hieremias hæc adiungit: Porrò gressitudo eius quatuor digitorum, & inus cana erat. Quæ quidem locorum discrepantia ita conciliatur à quibusdam. Diameter vnus columnæ duorum cubitorum erat: sed omnis diameter ter multiplicata cum septima parte sui, circumferentiam constituit: est enim à peripheria ad diametrum proportio tripla, hoc est, continet ter mensuram diametri, & septimam eius partem, vt se habent viginti duo ad septem. Ergo si diameter vnus columnæ erat duorum cubitorum, sequitur, vt tota circumferentia vnus columnæ fuerit sex cubitorum, & proinde filum ambarum columnarum peripheriam, siue circumferentiam ambiens, & cingens, erat duodecim cubitorum: quia vna columna erat alteri æqualis: & quod legitur Hierem. 52. & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam, exponunt sic, eam hoc

Hierem. 52. nu. 2. Paral. 3. nu. 7. Paral. 3. nu. 7.

Hierem. 52.

hoc

hoc est, non vnam quamque seorsum, sed vnam, & alteram, & quod dicitur 3. Reg. 7. *linea duodecim cubitorum ambiabat columnam vnamque*, intelliguntur sic, quia filum quod cingebat vnam columnam erat lex cubitorum, & altera columna erat æque crassa, fit vt filum duodecim cubitorum possit ambas cingere. Alij tamen conciliant in hunc modum: Diameter vnus columnæ erat quatuor cubitorum: vnde ter multiplicatus facit numerum duodenarium: filum igitur, quod cingebat vnamquamque columnam erat duodecim cubitorum, quia erat columna crassa quatuor cubitis: & ideo dicitur Hierem. 52. *funiculus duodecim cubitorum circuibat eam*, & 3. Reg. 7. *dicitur ambiabat vnamque*, hoc est, cingebat secundam, sicut primam.

Tertio queritur, Quo modo intelligantur, quæ habentur in libro Regum: *Duo quoque capitella fecit Salomon quæ ponerentur super capita columnarum*? Sciendum est, capitibus columnarum imponi ad earum ornatum coronamenta quædam, vt Architecti vocant: constat autem coronamentum tribus partibus, Epistyljo, Zophoro, & Coronide, hoc est, summo apice: Hæc coronamenti membra simul supra vocantur vulgari nomine capitella. Cum igitur 3. liber Regum cap. 7. ait: *Capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum*, intelligit Epistylum cum Zophoro, hoc est, duas partes coronamenti, ac cum in libro Paralippo. & Hieremia dicitur, altitudinem capitelli vnus fuisse quinque cubitorum, intelligitur de Epistyljo vnâ cum Zophoro, & coronide, ita vt Epistylum cum Zophoro fuerit altum tribus cubitis, coronis alta duobus cubitis. Ergo totum capitellum constans ex Epistyljo, Zophoro, & coronide, erat altum quinque cubitis. Quæres quantæ altitudinis fuerit Epistylum solum sine Zophoro, & Zophorus seorsum sine Epistyljo? Respondeo, nihil in scriptura de hoc dici, verisimile est Zophorum ad Epistylum proportionem quasi duplam habuisse, & ita Epistylum fuisse altum vno cubito, Zophorum verò duobus cubitis.

Quarto queritur, Quo modo intelligi debeant illi numeri malorum granatorum qui in libro Regum, Paralipomenon, & Hieremias ponuntur. Nam Hieremias refert, fuisse mala granata noaginta sex, & postea ait fuisse centum; at liber Regum, omnia esse ducenta: Liber Paralipomenon verò omnia fuisse quadringenta. Sciendum est, ornatum coronidis in vna columna fuisse ex retiaculis, hoc est, ex funiculis reticulatis, & cuiuslibet spatij retæ septem constabat versibus siue regulis, hoc est, septem partibus distinctis per circulos, & ex earum qualibet pendebat vnum malum granatum ex duobus ordinibus retiaculorum colligi poterant numeri 96. 100. 200. 400. qui omnes numeri sic computabantur: In quo libet latere ornatu, erant duo ordines seu duo retiacula: in vnoquoque eorum mala granata viginti quatuor. Si igitur dimidiæ coronæ mala granata numerentur, hoc est, quæ vno obtutu videri poterant, erunt 96. quoniam quater viginti quatuor efficiunt 96. quæ primū ponit Hieremias. Si addas quatuor mala granata, quæ pendebant ex medijs flosculis, erunt omnia centum, vt ait quoque Hieremias: quæ omnia vno aspectu cerni poterant. Porro si totum capitellum

vnus columnæ sumatur, erunt mala granata ducenta, vt habet 3. Regum liber cap. 7. Si ambarum columnarum capitella accipiantur, erunt mala granata quadringenta, vt habet 2. liber Paralipomenon, cap. 4. Nam corpus sphericum aspici vndique non potest vno obtutu, ergo cum vno obtutu capitellum vnus columnæ cernebatur, videbantur primum 96. mala granata, quatuor autem reliqua visum latebant, vel quia erant minorâ, vel quia minus pulchra, vel quia latebant in flosculis, vel quia aspectum fugiebant, vt remotiora in corpore spherico, quod vno obtutu vndique non facile videri potest, erant tamen centum in vno ordine, & ducenta in duobus ordinibus cuiusque columnæ; & quadringenta in duabus columnis. Si quæras quomodo dicitur 2. Paralip. 4. fuisse in capitello vnus columnæ duo retiacula. & 3. Reg. 7. legimus fuisse septem retiacula in vnoquoque capitello. Respondeo, fuisse duo retiacula: hoc est duos ordines retiaculorum, & fuisse septem retiacula: hoc est septem versus retiaculorum.

Caput L.

De Mari æneo, quod erat in templo Salomonis, videlicet in atrio Sacerdotum.

PRIMO queritur, Quid appellatione Mari ænei intelligatur in scriptura. Respondet: vt Regum narrat historia, in templo factum esse à rege Salomone, vas quoddam maximum, quod magnam copiam aquæ capiebat, quod propterea noster interpres Mare æneum appellat: æneum quidem, quia ex ære factum; Mare verò phrasi hebræa, qua omnis aquarum collectio Mare vocatur, iuxta illud: Congregationesque aquarum appellauit maria. Hinc in Euangelio Mare Genesareth, & Mare Tyberiadis, nimirum lacus ex Iordanis aquis collectus: Et ideo vas æneum, quod erat veluti concha magnam aquarum multitudinem capiens, Mare æneum appellatur.

Secundo queritur, Quot aquæ mensuras Mare æneum capiebat? Ratio dubitationis est, quia in duobus locis videtur Scriptura secum ipsa pugitare. Nam vno loco sic illa loquitur: *Et duo millia batos capiebat, & tria millia metretas*; Altero verò loco, *capiebatque, inquit tria millia metretas*. Quidam respondent, batum capere metretam cum dimidia: & prior Scripturæ locus. 3. Reg. 7. Mare æneum dicit capere duo millia batos, ac proinde tria millia metretas, vt posterior locus. 2. Paral. 4. tradit. At non verè scriptura ita in his duobus locis conciliatur: nam metreta tantumdem apud Græcos capiebat, quantum batos apud Hebræos, vt est constans omnium opinio. Deinde, quia in hebræo. 3. liber Regum capit. 7. dicit, *capiebat duo millia batos*, cum tamen liber Paralipomen. in. 2. cap. 4. dicat, *capiebat tria millia batos*. Caietanus, & quidam alij respondent, in priori testimonio exprimi totam aquæ quantitatem, quam Mare æneum continebat ad communes vsus, sed in posteriori, declarari totam aquæ copiam, quam poterat capere vas illud, si totum vsque ad summum impleteretur, & ideo hic exprimi mensuram,

Gen. 1.
Luc. 5.
Ioan. 21.

3. Reg. 7.

2. Paral. 4.

quæ illic fuerat omiffa: ad communes enim vſus, & quotidianos duo millia batorum Mare æneum continebat; cum tamen totum vſq; ad ſummum implebatur, ter mille batos capiebat. Et ideo, inquit Caſeranus, in hebræo ad verbum habetur: *Fortificari faciēti, batos tria millia capiebat.* hoc eſt, cum totum vique ad ſummum implebatur. Sic ille: *Fortiſſis, vt verifimile eſt, duplex erat bat⁹ apud Hebræos, vnus maior, quo in tabernaculo, & Téplo Sacerdotes, & Leuitæ vtebantur; alter vulgaris, & minor qui populo deſeruebat.* Veluti Sicilius etiam dicitur iuxta ſententiam aliquorum fuiſſe duplex, ſacer ſcilicet, & profanus. Et quem admodum ſiclus ſacer maioris ponderis, & æſtimationis erat, quàm profanus, ita & batus vnus erat maioris menſuræ, quàm alter minor, & vulgaris; ita vt batus maior vnum batum minorem, & dimidium contineret, habens ad batum minorem proportionem ſeſquialteram. Et prior ſcriptura cum dicit: *capiebat duo millia batos*, intelligit maiores; poſterior verò dicens; *capiebat tria millia batos*, loquitur de bato minori, & vulgari; & hic batus minor tantundem capiebat, quantum metreta apud Græcos. Et ideo noſter interpres vbi in hebræo legitur, poſteriore ſcilicet loco, tria millia batos, reddit, tria millia metretas.

2. Para. 4.

3. Reg. 7.

Tertiò quæritur, Quid ſignificent illa verba Scripturæ de Mari æneo: *Duo ordines ſculpturarum hiſtriarum?* Pleriq; tum veteres, tum recentiores putant, hiſtriarum, dictum eſſe pro hiſtoriatarum, ita vt ſenſus ſit, in Mari æneo ſculptas fuiſſe antiquorum patrum hiſtorias. Verifimilius tamé eſt, non legédum hiſtriarum cum aſpiratione, ſed ſine illa iſtriarum: nam iſtriata columna, vel ſculptura, dicitur, quæ iſtrijs quibuſdam conſtat, & iſtrias Archirecti vocant canaliculos, aut ſulcos per eſ, vel lapidem, vel lignum in longum ductos.

Deindé ſequitur in Textu: *Et ſtabat ſuper duodecim bones*: quoniam videlicet illorum dorſis ſuſtentabatur. Sicut etiam nunc in hortis, palatijs, & aulis Regum, vel Principum paſſim videmus. Boves erant ærei: terni ſingulas cæli regiones ſpectabant; hoc eſt, tres Aquilonem, tres Orientem, tres Meridiem, & tres Occidentem. Porrò vas hoc replebatur aqua, quam Natinci deſerebant vſque ad peribolum ſacerdotum, & inde eam Leuitæ in Mare immittebant gradibus conſcenſis, & per canales bouum ori immiſſos hauriebant, *Groſſitudo autem Luteris, trium vnicarum erat.* Luterem vocat, quod hætenus Mare appellauit. Luter, nomen eſt græcum, Græcis enim *λυτῆρ*, idem eſt, quod Latinis ablucio: vnde dictus eſt *λεωτηρ*: erat enim Mare æneum ad miniſterium ſacerdotum, & vt quidam opinantur, ad victimas etiam abluendas: non quod in eo hoſtiæ lauerentur, ſed quod ex eo aqua deriuaretur, qua & ſacerdotes, & victimæ lauantur; probabilius tamen alij arbitrantur, ſacerdotes tantum ea aqua lauare ſe conſueuiſſe; quod etiam ipſe ſacræ literæ indicant.

2. Para. 4.

3. Reg. 7.

Quartò quæritur, Ad quam partem eſſet Mare æneum in ſacerdotum atrio collocatum? Scriptura ipſa locum exprimit his verbis: *Mare autem poſuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem*, id eſt, ita ad Meridiem vergebat, vt ad Ori-

entem tamen verteretur: erat enim obliquè quodammodo conſtitutum. Alibi item legimus, *Fecit quoque (Rex Salomon) conchas decem, & poſuit quatuorque à dextris, & quinque à ſiniſtris, vt lauerent in eis ornata, quæ in holocauſtum oblaturi erant: Porrò in Mari æneo ſacerdotes lauantur.*

Cap. L I.

De Altari holocauſtorum.

Primò quæritur, Quale fuerit hoc Altare? Reſpondeo, eius altaris formam, & figuram in Exodo à Deo deſcribi. Dictum eſt, holocauſti altare à potiori, & digniori oblatione, quæ in eo fiebat. Omnes enim victimæ in eo offeriebantur, tametsi holocauſta non eſſent. Factum eſt idem Altare ex lignis ſetim, quod ære tamen vndiq; tegebatur, ne ligna, ex quibus factum eſt, ignis abſumeret. Erat totum quadratum, cuius quodlibet latus viginti cubitis patebat, & erigebatur in altum decem cubitis: circumdabatur foſſa ſeu canali quodam vnum cubitum profundo, per quem immolatorum animalium ſanguis effluſus, & deinde per canalis foramina in aqua immerſus, per murum ſubſtructionum meridiem verſus in torrentem Cedron effluebat, donec tandem Mari mortuo excipiebatur. Foſſa ſive canalis munitur ſepto vnū cubitum alto, quod Græci *αὐλάου* appellant, id eſt, ambitum. In medio foſſæ erat etiam erecta quadam crepido quadrata, & alta duos cubitos, ſuper quam erat altare, quod dicebatur Ariel, hoc eſt, Leo Dei, id eſt, Magnus Leo: nam Hebræi rem magnam dicere ſolent rem Dei, ſic cedri Dei, montes Dei, & ſimilia. Magnus leo, Altare illud vocabatur ob multitudinem victimarum, quæ quotidie per ignem deuorabat: eratque quatuor cubitos altum, vel dictum eſt. Quasi leo Dei, eo quod Altare Dei eſſet veluti leo, qui ſanguine victimarum maderet. nam leo prædam diſcerpens ſanguinem exprimit. vnde Iſaias: *væ Ariel, inquit, Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid, deplorat Propheta futurum excidium totius vrbs Ieroſolymitanæ, & ideo ait væ altari, væ inquam altari, & templo, & væ ciuitati Ieroſolymitanæ, quæ altare, & templum habet. Et poſt: Et erit mihi quasi Ariel, id eſt, vt in altari victimæ maclantur, ſic faciam, vt in vrbe multi iugulentur, & necentur ab hoſtibus.*

Præterea, totum Altare cauum erat, cuius ſuperior pars craticulam ferream habebat, quæ totam Altaris vacuitatem æquabat, & quatuor Altaris cornibus pendeat; eidem ligna, victimæ, & ignis imponebantur, vbi coquebantur, vel exurebantur: ignis autem in ima decurrens, & per cryptas extractus, ad locum deſtinatum deſerebatur, quem Necmias vocat locum cinerum, quod craticula ferrea ita erat cauo Altari æqualis, vt in illud poſſet commodè inferri, & efferri. Beda, Richardus, & Auctor Hiſtorie Scholaſtica ponunt in latere huius Altaris oſtium, per quod carbones, & cineres extraherentur, ligna ad fouendum ignem immitterentur. Sed neque ſcriptura vſpiciam, neque Iosephus mentionem eius oſtium fecerunt, neque verò neceſſarium fuit, quia craticula ferrea poterat ſurſum extrahi, quantum ſatis videretur, ac tum ligna imponerentur.

Secundo

Psal. 133.

dom, vel Sancta, vt ibi: *In nobilibus extollite manus vestras in sancta*, hebraicè in sanctum, id est, conuerso vultu ad locum, siue domum, vbi est Arca propitiatorij, palmis extensis, & in altum sublatis orate, & Apostolus; *Intrauit semel in sancta*, scilicet, Dominus noster. Templum siue exterior domus, quæ hebraicè dicebatur *Echal*, longitudinis erat quadraginta cubitorum, latitudinis viginti, altitudinis iuxta opinionem communem, centum viginti cubitorum, secundum alios nonaginta, iuxta aliorum sententiam, sexaginta vt dicam inferius.

Hebr. 9.

3. Reg. 6.

Secundò queritur, Quantæ latitudinis, & altitudinis esset oraculum, siue Sanctum Sanctorum? In longitudine, & latitudine omnes conueniunt eam templi partem fuisse viginti cubitorum: nam in historia Regum ita scribitur: Domus, quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, id est, totum spatium, quod continebat domus Domini, sine porticu ante templum, erat longitudinis sexaginta cubitorum, & latitudinis viginti. Ergo cum domus exterior in longitudine contineret quadraginta cubitos, sequitur vt domus interior haberet viginti. Et postea in eodem loco: *Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis*. In altitudine verò non consentiunt omnes; nam Beda in *lib. de templo. cap. 10.* Auctor histor. Scholastic. in *historia. 3. Reg. c. 10.* aiunt fuisse triginta cubitorum intrinsecus, quos etiam habebat in altitudine domus exterior, extrinsecus verò centum viginti cubitorum: Richardus, & Lyranus docent quoque intrinsecus fuisse triginta cubitorum, extrinsecus verò centum viginti. At Hebræi sentiunt fuisse intrinsecus viginti cubitorum, extrinsecus verò fuisse centum viginti, & ideo totum oraculum fuisse quadratum: certè in eodem loco, quem paulò ante memorauimus, sic est; *Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis*. Ex quibus verbis colligimus oraculum intrinsecus figuram perfectè quadratam habuisse, nam tabernaculum Moysi quadratum quoque fuerat, licet minus. vt enim perhibet Scriptura, in longitudine, latitudine & altitudine decem cubitos habebat.

Exod. 26.

3. Reg. 6.

Habac. 3.

Psal. 100.

3. Reg. 6.

Tertiò queritur, quid significant illa verba. *li. Reg. oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat.* nam quomodo est in medio domus oraculum fabricatum, si erat in parte intima Templi? Respondeo, Hebræos in medio domus dicere, quod Latini dicerent, intra domum. Ita dictum est: *Domine, opus tuum in medio annorum visitauit illud*; id est, intra annos, quos constituiti, & promissisti. & alibi; *Non habitabit in medio domus mea, qui facit superbiam.*

Quartò queritur, Quantæ magnitudinis fuerit porticus, quæ erat ante templum. In eo conueniunt omnes, fuisse illam longitudinis viginti cubitorum, & latitudinis decem, sic enim in Historia lib. Reg. legitur: *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi, & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi*. Ex quo fit, omnes tres partes, ex quibus diximus Templum constare, fuisse in longitudine septuaginta cubitorum, ex quibus porticus

in latitudine decem obtinebat; nam habebat 40. in longitudine domus exterior hebraicè dicta *Echal*, & viginti in longitudine pars interior, quæ dicitur hebraicè *Denir*, & latinè, oraculum: ergo Porticus in latitudine decem cubitos habebat: lógitudo verò Porticus 20. cubitorum erat: nam totidem habebat in latitudine; tum domus exterior, tum interior. Porro in altitudine, Porticus erat centum viginti cubitorum: ait enim lib. Paralipomenon: *Porticum verò (fecit Salomon) ante frontem, quæ tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti*. Porro altitudo centum viginti cubitorum erat: quo loco scriptura Porticus altitudinem expressit, quam liber Regum silentio suppresserat.

Quintò queritur, Quantæ altitudinis fuerit pars templi exterior superius dicta *Echal*? Tres inuenio opiniones, vnam afferentium, altitudinem domus fuisse triginta cubitorum, quoniam in li. Reg. cubitos 30. in altitudine legitur Domum Domini habuisse; Porticum verò altitudinem centum viginti cubitorum. Vnde quod in Paralip. lib. dicitur: *centum viginti cubitorum erat*, intelligunt huius opinionis auctores de Porticu tantum, de qua proximè sermo præcesserat: iuxta quam sententiam Porticus ante Templum erat veluti turris quæ diu editissima. Secunda est sententia eorum, qui domum exteriorem in altitudine extrinsecus centum viginti cubitos habuisse contendunt, totidem videlicet, quot habebat porticus: ac intrinsecus triginta cubitos habuisse: quare illud paulò ante dictum, *centum viginti cubitorum erat*: non ad solam Porticum, sed ad totam domum Templi exteriorem referunt: & illud, quod in 3. lib. Regum legitur, *Domum Domini, triginta cubitos in altitudine habuisse, sic intelligit; Vt Domus Domini intrinsecus vsque ad primam contignationem triginta fuerit cubitorum, ita Beda in li. de Templo. c. 8. & 10. & 9. in libros Reg. Angel. 3. Reg. 7. Ruper. lib. 3. comment. in libros Regum. ca. 7. Richar. in lib. de Templo. Commentor. in historia lib. 3. Reg. 9. L. yra. Abulen. Catech. tanus. 3. Reg. c. 7. & probant Iosephi auctoritate dicentis: *lib. 8. Antiq. c. 2. Cuius edificij altitudo fuit cubitorum sexaginta, & totidem longitudo, latitudo verò viginti*. Dixit verò Iosephus altitudinem fuisse sexaginta cubitorum, quia super illud ædificium erat alterum equalis altitudinis, & proinde tota altitudo Templi extrinsecus erat centum viginti cubitorum: nimirum quia intrinsecus ea pars Templi diuidebatur in tres interiectis contignationibus distributas, ita vt vna pars vsque ad primam contignationem triginta cubitos haberet, & totidè altera pars ab eadem contignatione vsque ad secundam contignationem: & vsque ad summum fastigium erat sexaginta cubiti: ita vt extrinsecus tota altitudo appareret centum viginti cubitorum. Et alibi idem Iosephus lib. 15. Antiq. cap. 14. inducit Herodem his verbis alloquentem Iudæos: *Templo huic, quod post liminibus veneris à captiuitate Babylonica patres nostri inaurauerunt, ædes sunt ad primam altitudinem sexaginta cubiti: tanto enim celsius erat vetus illud Salomonis ædificium. Sed Templum secundum, de quo ibi loquitur Herodes, constare habuisse sexaginta cubitos altitudinis, ex 1. Eldra, vbi inducitur Cyrus interdicens Iudæis altius templum edificare. colligit igitur nominati scriptores altitu-**

altitu-

altitudinem domus exterioris vsq; ad secundam contignationem, sexaginta cubitos habuisse, & tertiam ab ea vsque ad summum fastigium. Tertia sententia est quorundam asserentium, Domum omni fuisse nonaginta cubitorum in altitudine propter verba illa Domini apud Ezechielem 41. veru. 12. Pares autem edificij quinque cubitorum latitudinis per circuitum, longitudinis nonaginta cubitorum, hoc est, crassitudo parietis, erat cubitorum quinque, altitudo nonaginta cubitorum.

Sexto queritur, Quid significent illa verba in libro Regum tertio: Fecitque Salomon in Templo fenestras obliquas? quomodo scilicet Templum hoc loco sumatur, an pro parte exteriori dicta Echal, an vero pro tota domo, quæ Echal continebat, & oraculum dictum Desir. Quid itidem sint obliquæ fenestras. Respondeo, hic Templi nomine accipi totam domum prædictas partes continentem, quoniam in hebræo non ponitur Echal, quæ solam partem exteriorem significat, sed Baith quæ generatim significat domum: Fenestras verò obliquas pleriq; intelligunt introrsum angustiores, extrorsum verò latiores, vt multum lucis accipientes in Templum inueherent. Alij verò fenestras intelligunt factas in modum retis, hoc est, reticulatas, quas solent esse cancelli: & hæc fenestras erant ad Meridiem, septentrionem, & occidentem: nam orientalis pars Templi fenestris carebat.

Cap. LIII.

De Atrijs ante Templum constitutis.

PRIMO queritur, Quot Atrijs Templum Salomonis consistere? *Caliodorus, Beda, & Autor Historiæ Scholasticæ, & Abulensis* sentiunt, quatuor Atrijs constituisse, vnum erat, in quod solis Sacerdotibus, & Leuitis patebat ingressus. Secundum erat, quo conueniebant orationis causa viri Israelitæ: Tertium, in quo Israeliticæ foemine orabant: Quartum, in quod ingredi licebat Israelitis immundis, & Ethnicis. Alij verò putant, Templum, quod fuit postea ab Herode extructum, quatuor prædictis Atrijs circumdatum fuisse: Sed Salomonis templum illud vetus duobus duntaxat: quod probant ex illis verbis: *Et edificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politiorum, & vno ordine lignorum cedri: ex verbis item illis: Fecitque etiam atrium Sacerdotum, & Basilicam grandem, & ista in basilica, que textu etc.* Atrium Sacerdotum Scriptura vocat, quod alias appellatur Atrium interius. Et interius atrium rectè nominatur, quia coniungebatur cum porticu, siue vestibulo, quod erat ante domum Domini: Atrium verò sacerdotum dicitur, quia solum Sacerdotes, & Leuitæ eo conueniebant. quod si erat atrium interius, fuisse quoque pariter intelligitur atrium exterius, quod populus confuebat. Et quoniam magnam populi multitudinem capiebat, erat longe maius atrio Sacerdotum; & ideo basilicam grandem Latinus interpretes illud atrium vocauit, & septuaginta, aut lam, nam quodam loco ait Scriptura: *Et extruxit alicaria (rex scilicet Manasses) vniuersa milite caeli in duobus atrijs templi Domini; ergo in Templo Salomonis duo tantum Atria constituta fuerant: & Iosephus tantum meminisse videtur duorum Atrio-*

rum, interioris, & exterioris. De interiori Atrio sic ait: *circumedit deinde Templo septem quoddam trium cubitorum altitudinis, exclusurum profanam multitudinem, & solum Sacerdotes admissurum.* De Atrio verò exteriori subiicit hæc: *extra hoc septem erat sanum porticus magnus ad latum cinctum, & portis altis patens; quarum singula singulos ventos aspecebant, & foribus auratis clauderantur. In hoc sanum cuiuslibet è populo, modo puro ac mudo, & prescriptorum leges obseruanti accessus patebat. Dicit autem non potest, ac vix etiam oculis cerni, quam mirandum fuerit illud exterius sanum. Vallibus enim expletis tã profundis, vt ad prospectum oculi caligarent, & aggesta ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis, in quo Templum extructum est, æquauit: atque ita factum est, vt area cum solo Templi æquaretur: quam cinctæ geminis porticibus, quas Columnæ è natiuo saxo sustentabant, & laquearia tectro expolita tegebant: fores vero habebant omnes ex argento fabricatas.* Hæc Iosephus. Alij verò probabiliter opinantur, in Templo Salomonis tria Atria fuisse, vnum Sacerdotum, & Leuitarum: secundum Israelitarum, cancellis in duas partes distinctum ad viros, & foeminas excipiendas: nam à viris foeminas separari decebat, vt factum est in Templo Herodis teste Iosepho: Tertium verò, Atrium Gentium, quod Gentibus adire licebat. verisimilius esse mihi videtur tria Atria fuisse; vt in Templo Ethnici conuenirent, qui Deum colere vellent.

Secundo queritur, An Atria singula cingerent vniuersam Domum Domini.

Tres sunt opiniones, quarum vnam sequuntur *Caliodorus, Beda, Autor Historiæ Scholasticæ, & Lyranus, locis supra citatis, dicentes, totam Domum Domini vndequeque Atrijs cinctam fuisse; Alij verò opinantur, ad partem tantum Orientalem Templi fuisse Atria constituta. At Abulensis censet Templum non fuisse Sacerdotum atrio cinctum, sed tantum alijs atrijs; ita vt atrium Sacerdotum ex parte tantum orientali Templi fuerit constitutum, cætera verò ex omni parte. Cæterum, Iosephus de Atrio Sacerdotum loquens, sic ait: circumdeat deinde Templo septem quoddam, ergo atrium Sacerdotum totam Domum Domini vndique clauderat: & propterea verisimilius existimo, vniuersa atria ex omni parte Templi fuisse.*

Tertio queritur, Quænam esset Porticus Salomonis in Atrijs Templi constituta: Respondeo, congesta terra impleta valles ita fuisse, vt verticem montis, in quo erat Templum extructum, æquarent, & deinde atria fuisse alto muro cincta. his aggeribus imposuit Salomon porticum, quæ præcipue ab Oriente atrium Israelitarum complectebatur. Porticus autem, est locus amplus, & spatiosus ambulationibus aptus, tectro clausus: atria enim sine tectro erant, & sub dio; & ideo Salomô Porticum extruxit, quò se populus reciperet, cum pluuie è cælo cadebant, vel calores, & æstus vrgebant. Hæc igitur porticus est, quæ à Ioanne euangelista vocatur Porticus Salomonis: *Et ambulabat, inquit, Iesus in templo in porticu Salomonis, & à Luca in Actis; currens omnis populus ad eos (Petrum scilicet, & Ioannem) ad porticum, que appellatur Salomonis.* Dicta est autem Porticus Salomonis, quòd sit à Salomone facta; non ea Templi area semper mansit, quamuis fuerit à Chaldeis Templum euerium. Non igitur hæc porticus Salomonis erat illa, quæ Domui Domini proximè adhære

Iose. libr. 8.
Anti. c. 2.

Ioan. 10.

Act. 3.

4. Reg. 16.

bat, & quam certò constat fuisse inter Domum Domini, & Atrium Sacerdotum, quo laicis Israëlitis minime patebat ingressus.

Quartò quæritur, Quinam intelligantur tres illi ordines supra memorati lapidum politorum quos constituit Salomon in atrio Sacerdotum. Richardus arbitratur fuisse tres ordines lapidum vnum post alium, & eiusdè altitudinis: ita vt primus ordo fuerit exterior, tertius interior, secundus verò medius. Abulensis verò putat fuisse murum diuidentè Atrium Sacerdotum ab Atrio populi, & habentem in altitudine tres cubitos, vt laici videre possent Sacerdotes, victimas, & sacrificia offerentes: & in eo muro fuisse tres ordines lapidum politorum, quorum vnus alteri erat impositus: & fuit quoq; vnus ordo lignorum cedri. Richardus, & Abulensis putant, murum prædictum intrinsecus tabulis cedrinis vestitum, & ornatum fuisse. Alij verò tribus lapidum ordinibus fuisse quartum ordinem impositum tabularum cedrinarum, qui ornatus causa lapidibus erat appositus.

1. Paral. 8.

Quintò quæritur, Quænam essent exedræ in Atrijs constitutæ? Paralip. 1. c. 8. legimus: *Nec non omnium, quæ cogitauerat atriorum, & exedarum per circuitum in thesauros domus Dei, & in thesauros sanctorum.* Exedra Græcis, est cubiculum columnis fultu ad sedendum, & confabulandum. Erant igitur cubacula in ipsis porticibus, partim ad res Templi asseruandas, partim ad Sacerdotes, vel Leuitas excipiendos: nam opus erat vt haberent, quò se reciperent, & vbi manerent, cum ministerio Templi vacabant. Et hoc est, illud paulò ante dictum: *Et exedarum per circuitum in thesauros domus Dei, & in thesauros sanctorum.* nimirum, vt ibi reponerentur, & asseruarentur, quæ pertinebant ad templum, & ad ministros eius: vnde etiam factum est, vt Gazophylacia vocentur ea loca, in quibus seruabatur pecunia à populo oblata. Erant autem Gazophylacia in Atrio exteriori ad portas, vt populus ingrediens in Templum, facillè posset offerre, quod vellet. Et appellabantur Gazophylacia nominibus eorum, quibus custodienda committebantur: vt Gazophylacium Hanan, Gazophylaciù Elizama scribæ. Apud Ioannem legimus: *Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio, docens in Templo, videlicet in parte quadam atrij exterioris, vbi fortassis erat maximum Gazophylacium, in quod plures dona mittebant, quia per eam portam plures forsitan ingrediebantur in templum.*

Ioan. 8.

Sextò quæritur, Quænam vocet Scriptura, Pastophoria Templi. Ratio dubitandi est, quia in 1. Mach. 4. legimus: *Et viderunt sanctificationem deserti, & altare profanatum, & portas exussas, & in atrijs virgulta nata sicut in saltu, & pastophoria diruta.* Et postea: *Et ornauerunt faciem templi coronis aureis, & scutulis, & dedicauerunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas.* Teste Hieronymo, Pastophorium, est thalamus, in quo quis habitat: *uasos enim græcè, thalamus est.* Erant igitur pastophoria templi, thalami, in quibus habitabant præpositi templi; non autem, vt quidam putarunt, loca foris ad comedendum seposita, & diuisa, in quibus Sacerdotes ederent victimas, quasi Pastophorium sit dictum à pastu, & foris. Est enim Pastophorium, vt diximus, græcum nomen, non latinum.

1. Mach. 4.

Hier. lib. 7. in Esai. ca. 22.

Septimò quæritur, Quo modo populus ascendebat ad Templum in sublimi montis vertice constitutum. Respondeo ex Iosepho, fuisse gradus, quibus ascendebatur in Templum. Erant igitur gradus, per quos populus ascendebat vsque ad murum, quo Atria clauderentur; & deinde erant etiam quindecim gradus, quibus ab atrio Israelitarum ascendebatur vsq; ad atrium sacerdotum: populus enim scendebat vsque ad murum, qui Sacerdotum Atrium ab Atrio populi diuidebat: veniebant enim ab interiori atrio Sacerdotes ad eum vsque locum; & accipiebant victimas, quas populus offerrebat, hos quindecim gradus ascendisse creditur Beatus Virgo Deipara, quæ tertium ætatis agens annum est in Templum oblata: neque enim vltimus transire laicis licebat, sed Sacerdotes prodeuntes quicquid Domino offerrebat à populo, excipiebant.

Sciendum est, Templum Salomonis dirutum, & igni exustum à Chaldæis, & postea reedificatum fuisse à Iudæis ex captiuitate Babylonica in patriam Cyri primi Persarum regis beneficio reuerfis, quod templum Herodes à fundamentis exornauit, quia illud longè amplius, & maius, & magnificentius effecit, quod octo annis absolutum teste Iosepho in lib. Antiquitatum. Alij verò fecerunt: *exterior facies templi nihil quod animus, aut oculi mirarentur, non habebat: crustis enim aureis gemmatis, & dique testis ad primos ortus igneo splendore lucebat, vt cum intuerentur oculi, quasi solis radijs auerterentur: insuper quidem aduentibus pro monte niveo similis videbatur, non vbi deauratum templum non erat, candidissimum erat, in summo autem aureis acutissimis horrebat, ne ab insipientibus auidis pollueretur. Nonnullorum autem scorum eius longitudo quadraginta quinque cubitorum erat, altitudo quinque, latitudo sex. Ex quibus omnibus intelligitur id, quod legitur apud Marcum, cum Dominus, inquit, egredieretur è templo, dixit vnus ex Discipulis, Magister aspicite quales lapides, & quales structura Regniis Domini, vides has omnes magnas edificationes non reliquetur lapis super lapidem qui non destratur.*

Fuit in hoc Templo primum atrium omnium hominum Israelitarum, & Gentilium commune, tribus porticibus constans. Erant enim quatuor ordines columnarum paribus intervallis dispositi, quorum quartus coniungebatur cum muro lapideo, qui totum collem, in quo erat Templum extructum, cingebat. Columnæ omnes centum sexaginta duæ fuerunt, capitellis sculptis opere Corinthiaco pulchris. singularum longitudo viginti septem pedum præter basim erat, crassitudo tanta, quantam possent tres homines confertis inter se brachijs complecti. Hæc ex Iosepho libro Antiquitatum Iudaicarum.

Erat secundum Atrium Israelitarum, ad quod teste Iosepho, paucis gradibus scendebatur, cancellis quibusdam saxeis septum, vbi æquis intervallis columnæ posite erant, & literis græcis, & latinis versus quidam, quibus Ethnicis significabatur, ne in locum sanctum intrarent: Atrium enim hoc, sanctum appellabatur, eò quòd locus esset, in quem conuenire fas erat Israelitis Deo cultoribus, non alijs. Hinc perspicitur illud Lucæ in Actis Apostolorum quid significet, de Paulo dictum: *Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Iudæi, cum vidissent eum in templo, con-*

citauerunt

ciuerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes, viri Israelite adiuuare: hic est homo, qui aduersus populum, & legem, & locum hunc, omnes vbiq; docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum. Hoc dicebant Iudæi, quia putabant Trophium Ephesum, quem in ciuitate cū Paulo viderant, in templum, id est, in Atrium Israëlitarum introductum fuisse.

Caput LIV.

De Operarijs, vasis & impensis, quæ factæ sunt in Templi edificatione.

PRIMO queritur, Quantus numerus fuit operariorum in ædificatione Templi? Reg. 5. ita legimus: Elegit que rex Salomon operarios de omni Israhel: & erat inditio triginta virorum, mittebat que eos in Libanum; decem millia per menses singulos vicifim, ita vt duobus mensibus essent in domibus suis: & Adolam erat super huiusmodi indictionem. Fuerunt que Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte, absq; præpositis, qui erant singulis operibus numero trium millium, & trecentorum, præcipuum populo, & ijs, qui faciebant opus. Et 2. Paral. 2. dicitur: Numeratus igitur Salomon omnes viros profelytos, qui erant in terra Israhel, post dimumerationem, quam dimumerauit Dauid pater eius. Et inueniunt centum quinquaginta tria millia, & sexcenti: feci que ex eis septuaginta millia, qui humeris terram portarent; & octoginta millia, qui lapides in montibus caderent; tria autem millia, & sexcenti præpositi operum populi.

Ex quibus duobus locis colligitur summa omnium operariorum Templi Salomonis. Erant enim triginta millia, quorum decem millia per singulos menses vicifim cōmorabantur in monte Libano ad cædendum ligna cedrina. Et hi erant ex Israhelitis, nam 3. Reg. 5. dicuntur electi ex omni Israhel triginta millia virorum; ex profelytis verò fuerunt septuaginta millia ad lapides, & alia onera humeris deferenda, & octoginta millia latomorum ad lapides cædendos in monte; & ter mille, & sexcenti præfecti ad opus vrgendum. Porro quod 3. Reg. 5. legitur, præpositos qui opus vrgerent, fuisse ter mille trecentos: intelligitur sic, eos qui operarijs præerant, & per seiplos opus vrgerent, fuisse ter mille trecentos: sed erant alij trecenti, qui rationem exigebant ab ijs, qui erant præpositi operarijs, & hos trecentos expressit lib. Paralipom. quos liber Regum omiserat.

Secundò queritur, Quot vasa fecerit Salomon ad ministerium Templi. Ios. ita scribit: Fecit item vasa ex ære omnia, lebetes, & annulas, cænacula, & harpagones, & reliqua auri figuram referentia, sic ille. Inter aurea, & argentea vasa, maxima quidem fuisse candelabra, & mensæ, in quibus sacri panes reponerentur: de quibus subiungit Iosephus hunc in modum: Candelabrorum item fecit decem millia, iuxta præceptum Moysi, ex quibus vnum in Templo dedicauit, vnum in iherusalem iuxta legem. Et paulò post subiicit de alijs vasis: Cantuariorum autem vinariorum octoginta millia, sex comparauit, & phialarum aurearum decem millia, argenteas verò fecit numero duplicato. Patetas autem aureas ad offerendum in eis similia maceratam ad altare o-

ctoginta mille, & argentea duplicato numero. Crateras quoque, in quibus similia oleo subigebant, aureas sexaginta mille, argenteas numero duplicato: Mensurarum quales à Moise Hinc vocantur, & Asserouum aurearum erant viginti millia, & duplicatus numerus argentearum: acerræ quoque aureæ, hoc est, iherribula, quibus odoramenta, & incensum in templo offerri solent, erant numero viginti millia, & alia, quibus deferebatur ignis à magno altari in paruum, intra templum, 50. millia. Tubarum, quales Moyses præscripsit ducenta millia. Instrumētiorum præterea muscorum, quæ Nabla, & cymyra vocantur in vsam hymnodiarum, ex electro confecti quadringenta millia: quæ omnia Salomon ad honorem Dei magnificè parauit, nullis parcens sumptibus, sed omni liberalitate vsus, hæc in thesauri Dei condidit. Hæc Iosephus. ex quibus constat, vasorum aureorum numerum, mensis non computatis, fuisse ducentorum quinquaginta millium: argentea verò vasa attigisse numerum nongentorum quinquaginta millium. De vasis verò æneis 2. Paral. 4. legimus: Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus æris. Nec huic tantæ vasorum multitudini aduersatur quod habetur in lib. Eldre ca. 1. Omnia vasa aurea, & argentea quinque millia, & quadringenta: nam eo capite scripturâ loquitur de vasis templi inueniunt in Babylone, quæ a portauerunt Chaldæi è templo sublata, & quæ retulerunt in templum Iudæi, cum captiuitate soluti in patriâ redierunt, sed ante illud tempus sapius est ab hostibus spoliatum templum, & sublata vasa.

Tertiò queritur, Quantæ fuerint impensæ in Templi ædificatione factæ? Dauid 1. Par. 22. ait: Ecce ego in paupertate mea præparauit impensas domus Domini: auri talenta centum mille, & argenti mille millia talentorum: æris verò, & ferri non est pondus, vni ut enim numerus magnitudine. Et 1. Paral. 29. Ego autem totis viribus meis præparauit impensas domus Domini, aurum, ad vasa aurea, & argentum, in argentea, es, in ænea, ferreum, in ferrea, lignum, ad ligna, & lapides onychinos, & quasi sphygnos, & diuersorum colorum omnemque pretiosum lapidem, & super hæc quæ obtuli in domum Dei mei de pecunia meo aurum, & argentum do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparauit in eadem sanctam, tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad decurandos parietes templi. Porro huic numero addendum est, quod polliciti sunt principes familiarum: nam legitur ibidem: Dederunt que in opera domus Domini auri talenta quinque millia, & solidos decem millia; argentea talenta decem millia: quæ omnia in vnum collecta conficiunt centum, & octoginta millia talentorum auri; argenti verò mille millia talentorum, & insuper 17. millia. Et quia talentum auri æstimatur ducatis moneta Romanæ 14. millibus 981. fit vt tota summa prædicta talentorum auri contineat, vt vulgi more loquar, mille quingentos viginti duos miliones. 584. millia ducatorum. Talentum verò argenti æstimatur mille 375. ducatis: ac proinde summa talentorum argenti continebat 1398. miliones, 375. millia ducatorum. Et tum auri tum argenti summa in vnum collecta conficit bis mille nongentos viginti miliones, 959. millia ducatorum.

Quartò queritur, Quanti emerit Dauid rex æream Ornam Iebusæ. 2. Reg. vlt. & 1. Paral. 21. vbi illi demonstratus est locus, in quo fuit postea templum exædificatum. Scriptura duobus illis locis prædictis varia est: nam in priori loco dicit: Emit

David aream, & bones argenti siclis quinquaginta: in secundo verò loco: Dedit ergo David Ornam pro loco siclos auri instissimi ponderis sexcentos: qui duo loci multorum ingenia non mediocriter torserunt. Quidam Hebræorum sic conciliant: vna quæque tribus obrulit Davidi ad agri illius emptionem 50. siclos, & hoc est, quod dicitur in priore loco: ac proinde omnes duodecim tribus soluerunt 600. siclos, vt in posteriore dicitur loco. sed non est verisimile, Dauidem emisse agrum illum nõ sua, sed aliena pecunia. Abulensis conciliat in hunc modum. In libro Regum; non exprimi quanti e merit aream David, sed quanti emerit boues; videlicet 50. siclis, & proinde esse legendum: Emit ergo David aream, ibi distinctio ponenda: & boues, argenti siclis 50. in lib. verò Paral. expressum fuisse pretium datum pro area, quod liber Regum suppresserat, quod pretium fuit sexcentorum siclorum.

Mihi tamen probabilius videtur aliorum responsum, in vtroque loco idem pretium contineri, quod datum fuit pro agro, & bobus. Hoc vt declararem, animaduertendum, existimo; sicli apud Hebræos fuisse auri, & argenti: item, fuisse tum pondus, tum nummũ, siclus qui erat pondus, pendebat semiunciam, siue auri, siue argenti: quatenus verò nummus erat, siclus argenti, valebat quatuor drachmas Atticas, hoc est, quatuor Iulios Italicos, vel quatuor Hispanicos nummos argenteos, regales vulgo dictos. Et quia æquale auri pondus continet duodecuplam proportionem argenti; hinc est, vt siclus, qui siue auri, siue argenti ponderabat semiunciam, si erat auri, æstimaretur 48. drachmis atticis: nam siclus erat ponderis semiuncie, si verò argenti, valeret quatuor drachmas atticis, quia semiuncia auri, quod pertinet ad æstimationem, superat semiunciam argenti duodecupla proportione; ac proinde semiuncia auri æstimatur 48. drachmis atticis, siue Iulij Italici, & semiuncia argenti, quatuor. Ergo, David dedit pro bobus siclos 50. videlicet auri, qui sicli æstimabantur, sexcentis siclis argenti, videlicet auro argentum superante duodecupla proportione. Idem igitur pretium lib. Paralip. expressit, quod erat positum in lib. Regũ, perinde ac si diceret: Dedit David sexcentos siclos argenti, quos valebant 50. sicli aurei, quos lib. Reg. expressit. Ex quo perspicitur pretij quantitas quam dedit David, si illam ad vulgarem monetam Italicam siue Hispanicam redigamus, siclus argenteus valet quatuor drachmas atticis: drachma Attica æstimatur vno Iulio Italico, siue Hispanico nummo argenteo regali. ergo sexcenti sicli argentei valent bis mille, & quadringentas drachmas Atticas, hoc est, bis mille, & quadringentos Iulios Italicos, siue Hispanicos regales nummos argenteos.

Quintò queritur, intra quot annos tota Templi ædificatio fuerit absoluta? 3. Reg. 6. ad finem legitur sic: Anno quarto fundata est Domus Domini in mense Zio, & in anno vndecimo, mense Bul, ipse est mensis octauus, perfecta est domus in omni opere suo, & in vniuersis vniuersis suis; & edificauit eam annis septem. Hæc ibi. Quarto igitur anno regni Salomonis iacta sunt fundamenta Templi, & anno 11. eiu sdem regni perfecta sunt omnia, videlicet ipsum ædificium Templi, vasa omnia, & supellex vniuersa.

Videtur perfectum esse Templũ septem annis, & dimidio, quia à mense Zio, qui est secundus, vsque ad Bul, qui est octauus, sunt septem menses: at Scripturæ more, annus inchoatus omittitur, non computatur. Sed quomodo, dices, Templum perfectũ est mense octauo cum omnibus vniuersis suis, cum tamen eodem libr. 3. Regum. c. 8. legamus, dedicatum fuisse Templum mense septimo, vniuerso Israele conuocato: Conuenitque ad regem Salomonem vniuersus Israel in mense Eibanim, in solenni die ipse est mensis septimus. Respondeo Templum dedicatũ fuisse, cum iam esset perfectum, nondum omnibus vniuersis omni ex parte absolutis: quæ tandem octauo mense perfecta sunt: ac propterea Scriptura dixit, perfectam fuisse domum Domini in omni opere suo, & vniuersis vniuersis suis, Noluit autem Salomõ Dedicationem differre in mensem octauum, quo sunt omnia perfecta, quoniam mensis septimus erat maxime solennis tribus celebritatibus, videlicet, Tubarum, expiationis, & Tabernaculorum, de quibus Leuit. 23. ac propterea eo mense Israeliticus populus in Domum Domini, conuenire debebat Exod. 23. & 24. ne igitur iterum mense octauo conuenire populus cogere, Templum mense septimo dedicauit.

Caput LV.

De Tempore, quo Templum Salomonis extructum est, ac perstitit.

IN his, quæ sequuntur, qua potero breuitate complectar annorum summam, qui ab orbis condito præterierunt vsque ad ædificationem Templi, quique fluxerunt ab eius ædificatione vsque ad Christi Domini aduentum. Et sciendum est, chronologos, hoc est, Temporum scriptores sex Mundi ætates constituere consueuisse ante diuini verbi incarnationem. Prima ætas numeratur ab initio mundi conditi vsque ad generale inundationem aquarum, quæ tempore Noë fuit. Secunda ab ea inundatione vsque ad ortum Abrahami: Tertia, ab eiusdem ortu vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto sub Mose: Quarta ab hoc egressu vsque ad Templum à Salomone inchoatum. Quinta à Templo vsque ad excidium eius. Sexta, ab eius excidio vsque ad Christi Domini aduentum.

Primò queritur, Quanto tempore Templum Salomonis permanerit? Respondeo, quintam ætatem ab eius ædificatione vsque ad eiusdem Templi euersionem, fuisse annorũ secundum aliquos, 440. secundum alios, 430. qui quidem anni ex sacris literis hunc in modum colliguntur: Salomõ post Templum inchoatum,

Anno	36	3. Reg. 6.
Roboam	17	3. Reg. 14.
Abias	3	3. Reg. 15.
Afa	41	3. Reg. 15.
Iosaphat	25	3. Reg. 22.
Ioram	8	4. Reg. 8.
Ochozias	1	4. Reg. 8.
Athalia regina	7	4. Reg. 10.
Ioas	40	4. Reg. 11.
Amasias	29	4. Reg. 14.

Ozias qui & Azarias	52	4.Reg.15.
Ioachan	16	4.Reg.15.
Achaz	16	4.Reg.16.
Ezechias	29	4.Reg.18.
Manaffes	55	4.Reg.21.
Amon	2	4.Reg.21.
Iofias	31	4.Reg.22.
Ioachaz mensibus	3	4.Reg.23.
Ioachim qui & Eliachim mensibus	11	4.Reg.23.
Ioachim qui & Iechonias mensib.	3	4.Reg.24.
Sedechias annis	11	4.Reg.24.
Omnium annorum subducta summa est 430. & mensium 6.		

Secundo queritur, An huius quintæ ætatis anni certo ex sacris literis sciri queant. Sentiant quidam, eos sciri certo non posse, alij vero opinantur, eos ex sacris literis certo colligi, quia in libris Regum, & Paralipomenon aperte legimus quot annos quisque Regum, quos iam percensimus, regnauerit vsque ad vndecimum Sedechiæ regis annu, quo anno Tempulum dirutum à Chaldeis est. Sed Chronologi annos variè supputant. Eusebius in *chronico* numerat 442. Iosephus 470. Hebræi 483. Ioannes Annius, Lucidus, Nauclerus, Driedonius, & alij iuniores, 440.

Tertio queritur de annis, quibus regnasse dicitur Aia; nam 3. Reg. 15. fertur regnasse annis 41. & cap. 16. dicitur: anno 26. regni eius Baasa rex Israelis mortuus, & succedid ei filius Ela: cum tamen 2. Paral. 16. legamus anno regni eius trigessimosexto Baasa coepisse edificare Rama. Lucidus Annum secutus cui suo Philone, & Caietanus, & Canus aiunt, numerum annorum in 2. Paral. 16. esse corruptum vicio scriptorum, & pro anno 36. legendum esse, anno 26. quoniam Baasa coepit regnare anno Afa regis Iuda tertio, regnauitque annis 24. vt aperte habetur 3. Reg. 15. ergo non attigit nisi ad annum vigesimum sextum regis Afa. Sed quia omnes codices hebræici, chaldaici, græci, & latini, ad vnu consentiunt, & habent 2. Paral. 16. anno 36. regni eius ascendit Baasa in Iuda, &c. verisimile non est omnes codices esse vitiatos. Genebrardus alios secutus censet, numerum annoru, qui referuntur 2. Paral. 16. esse intelligendum sic: Anno trigessimosexto regni Afa, id est, regni bellorum tumultibus commoti, quia vt legimus 2. Paral. 14. decem annis pacatam rempublicam tenuit, & statim regnum eius bellis agitari coepit, primum contra Aethiopes, mox contra Baasa regem Israelis: qui quidem decem anni non computantur in libris Regum, & quia omissi fuerant, expressit eos liber Paralip. secundus cap. 16. Et propterea semper in libris Regum addendi, vel intelligendi sunt, nimirum cum legimus anno Afa vigesimosexto, coepit regnare Ela; debet intelligi, anno 36. regni Afa; sed vigesimosexto, ex quo coepit bellicis tumultibus perturbari. Verum contra hanc sententiam facit, quia 3. Reg. 16. legimus, Anno trigesimo octavo regni Afa regnauit Achab, ergo deberet intelligi anno 48. regni Afa, & 38. ex quo coepit eius regni commoueri bellis: sed Afa regna-

uit solum annis vno, & quadraginta, vt habetur 3. Reg. 15. Quod si dicas, esse etiam intelligendos alios decem annos, qui semper prætereuntur in libris Regum, & numerantur solum anni perturbati regni; gratis sanè id dici affirmabo. Alij intelligunt sic: anno 35. regni Afa, regnauit Achab; hoc est, Anno quadragesimo octauo regni Afa iam mortui, vt sensus sit: Quando regnauit Achab, erat annus quadragesimo octauus, ex quo coepit regnum Afa concitari bellis: quod tamen regnum filius eius tunc temporis obtinebat. Simplicior, & planior mihi quidem videtur eorum opinio, qui dicunt in libris Regum decem annos regni Afa, non fuisse præteritos, sed numerum, qui ponitur 2. Paral. 16. sic intelligi: Anno trigessimosexto regni Afa, nempe ex quo diuisum fuerat regnum Salomonis, qui annus erat decimus septimus regni Afa, & trigessimus sextus scilicet diuisiue regni. Nam cum celebris fuisset illa regni diuisio, coeperunt anni regum Iuda ab ea diuisione supputari: & ita verisimè dicitur, anno trigessimosexto regni Afa, hoc est, regni Salomonis diuisi, quod ad Afa iure hæreditario peruenerat.

Quarto queritur, De annis Ioram, & Ochoziæ regum Iuda, quo modo sint computandi. Ratio huius questionis est, quoniam 4. Reg. 8. dicitur, Ioram triginta duorum annorum fuisse, cum regnare coepit, & octo annis regnauit, ergo mortuus est, cum esset annorum quadraginta. Et idem legitur 2. Paral. 21. Sed de filio eius Ochozia dicitur 2. Paralip. 22. fuisse annorum quadraginta duoru; cum regnare coepit, & quod regnauit anno vno: ex quo fit, vt filii fuerit suo patre natu maior duobus annis. Item 4. Reg. 8. legimus; Ochozias erat annorum viginti duorum, cum regnare coepit, quomodo igitur 2. Paralip. 22. dicitur fuisse quadraginta duorum annorum? Hæc questio visa est Hieronymo inexplicabilis. Quidam affirmant, vicio librorum esse corruptum textum 2. Paralip. 22. & legendum esse: viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare coepisset, vt legitur 4. Reg. 8. & non, quadraginta duorum annorum, vt habetur 2. Paralipomenon 22. quia Ioram pater Ochoziæ dicitur regnasse anno 5. Ioram regis Israelis 4. Reg. 8. & mortuus dicitur ibidem anno 22. eiusdem regis Israelis, & regnasse pro eo Ochozias eodem duodecimo anno regis Israelis, ergo totum regnum Ioram, patris Ochoziæ vsque ad mortem, non fuit nisi octo annorum. Non mihi probatur hæc solutio proposita dubitationis: nam omnes codices hebræi, græci, & latini conueniunt, & continent. 2. Paral. 22. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias. Quidam Hebræorum, teste Genebrardo, sentiunt, annos 42. qui ponuntur 2. Paral. 22. ab ortu Ochoziæ supputandos non esse, sed à tempore quo viguit regnum Amri, & à tempore, quo est ab eo condita Samaria, quo tempore Iosaphat Afa regis patris sui auctoritate duxit uxorem filiam regis Amri: nam ab eo tempore fluxerunt anni 42. vt patet ex 4. Reg. 16. quia post annum Afa trigessimum quintum, regnauit Amri sex annis, & Achab, filius Amri vigintiduos annis, & erat annus duodecimus regni Ioram regis Israelis. Et proinde fluxerunt quadragintaduo anni, ex quo regnum Israelis erat penes familiam Amri: sed huic sententiæ repugnare

Hierony. in Quæst. super li. Reg.

gnare videtur, quod dicitur 2. Paral. 22. *quadragesimorum annorum erat Ochozias rex Iuda, cum regnare cepisset.* Quare simplicior, & probabilior est eorum opinio, qui hanc litem, & controuersiam conciliant in hunc modum, quod Ioram scilicet regnauerit octo annis solus, & hoc est, quod dicitur 4. Reg. 8. & 2. Paralip. 21. & tunc attigit annum vitæ suæ quadragesimum, & assumpsit, vt socium ad regnum gubernandum, filium suum Ochoziam, qui erat annorum vigintiduum, & regnauit vnâ cum suo filio Ochozia annos viginti vnum, & ita mortuus est, anno vitæ suæ sexagesimo primo, & Ochozias vnâ cū patre Ioram regnauit annis viginti, & solus vnum annum. Vnde cum dicitur 4. Reg. 8. *vigintiduum annorum erat Ochozias, cum regnare cepisset:* intelligitur, cum regnare cepit vnâ cum patre suo: & regnauit solum annum vnum, videlicet post obitum patris. Et cum dicitur 2. Paral. 22. *quadragesimorum annorum erat Ochozias, cum regnare cepisset:* sensus est, cum solus post obitum patris cepit regnare, attingebat quadragesimum secundum annum, quia iam cum patre suo simul regnauerat viginti annis. Et secundum hanc sententiam necesse est in hac quinta Mundi ætate, vt annis regum Iuda addantur viginti anni, ita vt tribuantur, vel regi Ioram, & dicatur regnasse viginti octo annos, qui fertur regnasse octo annos: vel tribuantur Ochozic filio eius, & dicatur regnasse annis viginti vno; cum tamen perhibeatur regnasse vnum annum, solus nempe, mortuo iam patre, qui viginti annos cum patre adhuc viuente regnauerat. Vnde fit, vt plures colligendi sint anni ab exordio ædificationis Templi vsque ad lexicidium eius, quam Hebræi opinentur, & quam subducant Annius, Lucidus, Nauclerus, Driedonius, Genebrardus: nam toti summæ annorum quæ constat annis 430. si addantur 20. efficiuntur anni 450.

Quintò quæritur de annis Ioachin, qui & Iechonias: nam 2. Paral. 36. habetur, *octo annorum erat Ioachin, cum regnare cepisset:* & 4. Reg. 24. *Decem, & octo annorum erat Ioachin, cum regnare cepisset.* Quidam existimant, numerum 2. Paral. 36. esse corruptum vitio scriptorum suæ librariorum, & legendum: *Decem, & octo annorum erat,* &c. quia, sic habetur 4. Reg. 24. *Et quia natus octo iam tunc annos, puer admodum erat, vt vnâ cum patre regnaret,* nec in tam tenera ætate filij assumi solent ad regni gubernationem, nisi cum ob parentum obitum, à populo, vt reges habentur. sic enim cepit regnare Iofias, cum tamen octauum tantum annum attingeret. Præterea, quia dicitur fecisse malum coram Domino, & plures vxores duxisse 4. Reg. 24. quod puero octo tantum annorum conuenire minimè videtur. Sed nequaquam probabile est, omnes codices hebraicos, græcos, & Latinos vitiatos fuisse 2. Paral. 36. vbi legimus: *octo annorum erat Ioachin, cum regnare cepisset.* Genebrardus censet, decem & octo annos, qui ponuntur 4. Reg. 24. numerandos esse ab ortu eius: & octo illos, qui referuntur 2. Paral. 36. supputandos esse non ab ortu eius, sed ab imperio ipsius Nabuchodonosoris regis Chaldeorum, cuius beneficio Ioachin regnum obtinebat, & octo anni præterierant, ex quo Nabuchodonosor regnare cœperat, vt colligitur ex 4. Reg. 24. Sed contra facere videtur id, quod legi-

tur 2. Paral. 36. *Octo annorum erat Ioachin cum regnare cepisset.* Simplicior, & probabilior, meo iudicio, est eorum sententia sic interpretantium: *octo annorum erat Ioachin, cum regnare cepisset,* videlicet, vnâ cum patre suo, cum quo, & decem annis regnauit: atque ita erat decem, & octo annorum, cum regnare cœpit solus, pater eius regnauit 11. annis, & ipse filius cum patre, decem. Solus verò mortuo patre regnauit tribus mensibus, & decem diebus: quare decem anni regni eius computandi sunt in 11. annis quibus regnauit pater eius. Neque obstat, quòd obijciebatur, in tam tenera ætate filios à parentibus non ascisci ad regni gubernationem: non enim intelligendum est, cum cum patre rempublicam administrasse, sed voluntate, & nutu patris, regni proceres sacramento, & iureiurando cum, vt legitimum regni heredem agnouisse.

Sextò quæritur, Quia ratione anni Ioram regis Iuda, colligendi sint. hoc idcirco dubitatur, quia 4. Reg. 1. dicitur, *Ioram frater Ochozie regis Israel, regnare cepit in Israele anno 2. Ioram regis Iuda:* & tamen 4. Reg. 3. legimus: *Ioram filius Achab cepit regnare in Israele anno 18. Iosaphat regis Iuda patris Ioram:* qui Iosaphat regnauit in Iuda annis 25. Hebræi hanc repugnantiam ita conciliant, 2. Paral. 21. Iosaphat viuens dedit regnum suum filio suo primogenito Ioram, susceperat enim multos liberos, & orta fuerat inter eos contentio de eo, qui esset in regno successurus: quare Iosaphat, ne post obitum suum, filij inter se de regno certarent, voluit viuens eam litem dirimere: ac proinde filium suum primogenitum Ioram in regem constituit, & hoc fecit anno 17. sui regni. Atque ita, cum dicitur 4. Reg. 1. *Anno 2. Ioram regis Iuda regnare cepit in Israele Ioram frater Ochozie,* & filius Achab: verum est, quia cœperat iam regnare cum Patre suo Iosaphat anno 17. regni patris sui, & ita erat secundus annus Ioram regis Iuda, videlicet regnantis vnâ cum patre suo Iosaphat. Et quod legitur 4. Reg. 3. *Ioram filius Achab regnare cepit in Israele anno 18. Iosaphat:* est similiter verum, quia Iosaphat regnabat, & regnauit 25. annis: sed anno 17. sui regni sibi adiunxit ad regni gubernacula filium suum primogenitum Ioram, propter contentionem ortam inter filios suos. Et proinde regno 18. regni Iosaphat, qui erat secundus annus Ioram filij sui vnâ cum ipso regnantis, ab anno sui regni 17. cepit regnare in Israele Ioram filius Achab, & frater Ochozie sine liberis mortui.

Septimò quæritur, Quo modo summa annorum, quibus Reges Israelis regnasse dicuntur in libris Regum, consentiat cum numero annorum regum Iuda, qui eodem tempore regnauerunt. Nam si numerantur anni regum Iuda a diuisione regni Salomonis, quæ facta est statim primo anno Roboam filij eius, vsque ad annum sextum Ezechie regis, quo Samaria capta, euersum est regnum Israelis, efficiunt annos 260. hoc pacto.

Roboam	ad. 17.	Ioas	40
Abia	3	Amasius	29
Asa	41	Ozias	52
Iosaphat	25	Ioathan.	16
Ioram	08	Achaz	10
Ochozias	1	Ezechias	06
Athalia	07		

Anno.

CAV. II. II.
de loc. the.
ca. 3. ad 12.

Annorum omnium summa 260. vel 261. sed anni Regum Israelis si computentur, efficiunt summam annorum 241. vt colligitur ex libris Regum.

Ieroboam	an.	22
Nadab		02
Baſa		24
Ela		02
Zamri dieb.		07
Amri		12
Achab		22
Ochozias		02
Ioram		12
Iehu		28
Ioachaz		17
Ioas		16
Ieroboam		41
Zacharias menſib.		06
Sellum menſe.		01
Manahem		10
Phaceias		02
Phaceias		10
Oſee		09

Omnes anni ſimul collecti, ſunt 240. vel 241. cum menſibus ſeptem, quorum annorum ſumma maior eſt viginti annis, quam ſumma annorum regu Iuda eodem tempore regnantium.

De hac concordia annorum Regum Iſraelis, & Regum Iuda ſcripſit Richardus S. Victoris 2. part. ſuarum operum paulo poſt initium: ſcripſerunt quoque Hugo S. Victoris, Lyranus, Abulenſis: & multis modis conciliant. Hieronymus ſcripſit ad Vitalem presbyterum his verbis: *Relege omnes veteris teſtamenti libros, & tantam annorum reperies diſſonantiam, & numerum inter Iudam, & Iſrael, id eſt, inter Regnu utramque conſuſionem, vt huiuſcemodi herere queſtionibus, non tam ſtudioſi, quam otioſi hominis eſſe videatur.* Dicendum exiſtimo, aliquot fuiſſe inter regna in Iſraele, que explicata non fuerunt. Nec mirum, inter regna fuiſſe in regno impio, & quod ob factio nes, bella ciuilia, & crebras familiarum viciffitudines, & mutationes aliſidue perturbabatur. Vel fortaliſſis computatur ſolum anni, quibus aliquis Rex Iſraelis bene vixit: nam fortaliſſis Zacharias rex regnauit viginti annis, quia tamen ſex menſibus bene vixit, dicitur in ſcriptura regnaſſe tantum ſex menſibus.

Caput LVI.

De Annis qui fluxerunt ab excidio Templi, vſque ad Chriſti Domini aduentum.

Supra iam admonui, Temporum ſcriptores, Sextam Mundi ætatem numerare ab euerſione Templi, vſque ad Chriſti Domini aduentum. Sed dubia queſtionis eſt quot annos hæc ætas contineat. Ego Euſebium, & veteres ſcriptores ſecutus, ei tribuo probabiliter annos 590. vel 589. vel certe 588. pro vt numeros integros, vel inceptos computare conſueuimus. Quorum ſumma annorum ita ſubducitur: **Natus eſt Chriſtus Dominus Olympiade 194. anno tertio eius.** Porro Cy rus primus Perſarum rex cœpit regnare Olympiade 55. anno primo. Ab Olympiade 55. ad O.

Olympiadem 194. ſunt Olympiades 140. & conſiſtunt annos 560. Ab his deme vnum, quia ortus eſt Dominus anno tertio Olympiadis 195. Remanent igitur anni 559. His adiunge ex 70. annis, per quos Iudæi fuerunt in exilio Babylónico, 31. quoniam Cyrus Babylonem expugnauit Olympiade 55. anno primo, quo anno liberati ſunt ex captiuitate Babylonica Iudæi, vt ſecundus liber Paralipomenon, & primus Eſdræ tradunt, quod neceſſe eſt accidiſſe anno primo regni Cyri. Simul igitur collecti anni 559. & 31. conſiſtunt ſummam annorum 590. vel 589.

Item, ſumma annorum huius ætatis ſubduci poteſt ex annis, quibus Monarchia Chaldæorum permanſit; & deinde Monarchia Perſarum, poſtea Græcorum vſque ad Romanorum Imperium.

Chaldæorum Monarchia.

Nabuchodonofor regnauit annis 43. vel 45. Euilmerodac. an. 20. vel ſecundum alios 23. Niriglaſſar, qui alio nomine dictus eſt Reglaſſar, an. 4. vel 3. Labofardac, qui alio nomine vocatus eſt ab alijs Nabonidus ſiue Nebrindus. an. 7. vel 6. Balthaſſar ſecundum Hebræos, Nabuchodonoforis nepos ex filio. an. 3. vel ſecundum alios 10.

Summa horum annorum ſecundum

Hebræos, continet annos 70

De hac Chaldæorum Monarchia,

Primò queſritur, quomodo intelligatur, quod prædixit Hieremias cap. 27. ſeruituras omnes gētes Nabuchodonofor, & filio eius, & filio filij eius: videtur enim ex his verbis colligi, duraturum Imperium Nabuchodonofor tantummodo vſque ad tertiam generationem eius, videlicet vſque ad nepotē ex ipſius filio; cum tamen omnes Temporum ſcriptores conſtituant plures Reges quam tres in Chaldæorum Monarchia. quare meritò queſritur, quot Reges in hac Monarchia imperauerint. Eſt Iudæorum opinio, tres tantum in ea Reges imperaſſe, ſcilicet Nabuchodonofor, deinde Euilmerodac filium eius, & vitimum Balthaſſar filium Euilmerodac. Hæc opinio retinet quidem Hieremiæ vaticinium; ſed pugnat cum communi ſententia ſcriptorum, qui plures Reges Babyloniæ recentent.

Berolus, & Megathenes apud Iofephum Reges Chaldæorum numerat ſic: primum quidem Nabuchodonofor; ſecundum, Euilmerodac; tertium, Niriglaſſar, quartum, Labofardac, quintum, Nabonidum. Eoſdem Reges commemorant Polyhiſtor, & Alphæus apud Euſebium, lib. 10. de Preparatione Euang. ca. 11.

Iof. libr. 10. Antiq. ca. 13. & lib. con. Appionem.

Eſt tertia opinio aliorum, enumerantium Reges Chaldæorum ad hunc modum: Primò Nabuchodonofor ſeniores; Secundo Nabuchodonofor iuniores; Tertio, Euilmerodac; Quarto, Reglaſſar; Quinto, Nabofardac; Sexto Balthaſſar, ita recentet eos Auctor Hiſtorie ſcholæſtica. Profectò quamcumque opinionem ſequamur, prædictum Hieremiæ vaticinium tueri, & ſeruare debemus, quare ſi dixerimus fuiſſe plures reges, quam tres Chaldæorum, fatendum erit, tres tantum fuiſſe veros, & legitimos reges, videlicet Na-

buchodonosor, Euilmerodac filii eius, Balthasar nepotem ex filio, ceteros vero, quos alij recensent, puta, Niriglassar, Reglassar, & Labofardac per tyrannidem siue tumultus in ea gente concitatos regnum occupasse, & tandem e regno expulsos fuisse, & Balthasar filium Euilmerodac, & nepotem Nabuchodonosoris auitum paternumque regnum recuperasse. Itaque iuxta Hieremiam vaticinium, in Babylone tres reges fuerunt, veri nempe, & legitimi. Nabuchodonosor, Euilmerodac filius, & Balthasar filius Euilmerodac: cui, Tyrannis eiectis, auitum regnum est restitutum. Daniel. 5. Nabuchodonosor dicitur pater Balthasar, hoc est, auus.

Secundo quæritur, Quædiu steterit Chaldæorum Monarchia? Tres quatuorue sunt scriptorum sententia, vna est Iudeorum, annos sic enumerantium. Nabuchodonosor regnavit annis 45
Euilmerodac, an. 23
Balthasar, an. 3

Qui omnes anni cōficiunt summam annorum integrorum 70. minimè completam: & hos annos dicunt Iudæi fuisse annos captiuitatis Babylonicæ: quam annorum summam inchoant à primo anno Nabuchodonosor, qui fuit tertius annus Ioachim regis Iuda, qui captiuus abductus est Babylonem vna cum Daniele, & tribus pueris, & socijs, & alijs. Secunda est opinio Genebrardi in Chronico numerantis reges Chaldææ Monarchiæ, hoc ordine:

Nabuchodonosor regnavit annis 45
Euilmerodac, an. 23
Balthasar, an. 10.

Qui omnes summam efficiunt annorum 78

Et quia putat Genebrardus Iudæorum captiuitatem cœpisse anno octavo regni Nabuchodonosor, quando Iechonias vna cum matre, & populis captiuus in Babylonem abductus est, & terminari anno primo Cyri regis Persarum, detractis octo annis ex annis Nabuchodonosoris, quibus ante captiuitatem regnaverat: ceteros 70. qui restant, attribuit captiuitati iam dictæ. Tertia opinio est recentiorum, quam sequuntur Ioannes Lucidus, Annius, Scultetus, & alij, qui annos ita recensent.

Nabuchodonosor regnavit annis 45
Euilmerodac, an. 30
Reglassar, an. 3
Labofardac, an. 6
Balthasar, an. 5

Qui quidem omnes anni cōficiunt summam 89. annorum. Hi nimirum auctores putant Iudæicam captiuitatē cœpisse anno 11. Sedechiæ regis Iuda, cum fuit templum incensum à Chaldæis, & Hierosolyma deuastata, & finiri in anno 1. Cyri regis Persarum, cuius edicto Iudæi captiuitate soluti, & liberi in patriam redierunt. Et quia annus 11. Sedechiæ incidit in annum 19. Nabuchodonosoris, ideo si ab annis 89. demantur 19. super sunt 70. anni captiuitatis.

Sulpitius lib. 2. sacre historiae, prædictos reges numerat hoc modo:

Nabuchodonosor regnavit annis 26
Euilmerodac, an. 12
Balthasar, an. 14
Post quem regnavit Darius Medus, an. 18

Qui omnes efficiunt summam annorum 70. vsq. ad primum annum Cyri regis Persarum, qui Babylonijs imperavit vsque ad Darium Medum, & captiuitatem Iudæorum soluit. Numerat Sulpitius annos captiuitatis ab anno 19. Nabuchodonosoris, qui fuit vltimus Sedechig regis Iudæ, vsque ad primum annum Cyri regis Persarum.

Berosus, & Megasthenes apud Iosephum lib. 1. Antiquitatum ca. 13. Regum Chaldæorum annos ita recensent.

Nabuchodonosor imperavit annis 43
Euilmerodac, an. 28.
Niriglassar, an. 4.
Labofardac, mensib. 9.
Nabonidus alio nomine dictus Balthasar, an. 17

Qui omnes anni cōficiunt summam annorum 72. Atque hæc opinio mihi magis probatur, quia auctoritate Berosi, Megasthenis, Iosephi, & Hieronymi confirmatur. Quare, iuxta communem omnium sententiam dicendum est, Nabuchodonosor regnasse annis 45. qui etiam colligi videtur ex sacris literis. Nam à transmigratione Iechoniæ vsque ad primum annum Euilmerodac, effluerunt anni 37. quia 4. Reg. 25. & Hierem. 41. dicitur iussu Euilmerodac ipso anno, quo regnare cœperat, qui fuit 37. transmigrationis Iechoniæ, eductum esse Iechoniam ex carcere: ergo imperium Nabuchodonosoris duravit vsque ad annum 37. transmigrationis Iechoniæ. Sed annus, quo Iechonias est in Babylonem captiuus abductus, erat annus octauus Nabuchodonosoris: ergo Nabuchodonosor regnavit annis 45.

Nec obstat quod Berosus, & Megasthenes apud Iosephum dicunt Nabuchodonosorem regnasse annis 43. nam intelligunt annos integros, & omni ex parte completos 43. Scriptura verò memorat annos tantum inchoatos 45. Iosephus itaque annos captiuitatis numerat ab octavo anno Nabuchodonosoris, quando Iechoniam captiuum abduxit in Babylonem, vna cum matre & populis, & sic computat annos 70. captiuitatis, vsque ad Cyrum regem Persarum, qui bello Babylonem cepit: non quidem anno primo sui regni, sed post aliquot in regno Persarum annos exactos. Et cum in scripturis dicitur, solutam esse Iudæorum captiuitatem anno primo Cyri regis, intelligitur anno primo, quo cœperat in Babylone regnare.

Tertio quæritur, Quis nam rex ille fuerit Darius Medus, qui in Babylone regnasse fertur Daniel. 5. c. 9. & 11. Balthasare interfecto. De hoc Dario Medo, nihil legitur apud profanos scriptores. Communis est opinio, qui de Temporibus scripserunt, eum fuisse auunculum Cyri primi Persarum regis, Artaxerxis nempe vltimi Medorum regis filium, & fratrem Mandanes matris Cyri: quam opinionem primus videtur inuexisse Iosephus lib. decimo Antiq. capti. tertio. Quidam alij censent, Darium Medum fuisse eum, quem Berosus & Megasthenes apud Iosephum libro decimo Antiquit. capti. decimo tertio, & libro primo, contra Apionem, appellant Nabonidum, vltimum Chaldæorum regem. Sulpitius vero, sacre historiae, censet esse Darium ex genere Medorum, qui ante Cyrum occidit Balthasarem.

& fami.

& familiā Nabuchodonoforis regno Chaldæorum depulerit, & sibi regnum illud usurpauerit. Sed non est cur opinionem communem suo loco moueamus. Fuit ergo Darius Medus auunculus Cyri, qui vna cum ipso Cyro Persa, Balthafaro victo Chaldæorum rege deuictō & occiso Babylonem cepit. At inquit, si Cyrus & Darius Babylonem ceperunt, cur Daniel scribit, Darium successisse Balthafari? quo modo item apud Danielem dicitur Darius ante Cyrum regnasse, & Cyrus post ipsum? Quo modo etiam Darius auctoritate regia omnia constituere & decernere videtur? Respondeo, Cyrum quamuis aliqui regem Persarum, Dario auunculo suo, & seni (erat enim annos natus sexaginta duos, vt legitur apud Danielem, s. ad finem) auctoritatis honorem detulisse. Vt verissimum sit, quod dictum est Balthafari: *Diuisum est regnum suum, & datum est Medo & Persis*: fuit enim reuera datum Dario Medo, & Cyro Persæ: & Dario interfecto, remansit solus Cyrus in regno Chaldæorum, qui vna cum Dario illud bello ceperat.

Quarto quaeritur, Quomodo historia profana, cum sacra historia in hac parte conueniat? Nam apud Danielem legimus, eadem nocte, qua est Babylon capta à Medis & Persis, splendidum & magnificum conuiuium Balthafarem Babylonem regem egisse; & tamen profani Scriptores literis prodiderunt, Cyrum urbem Babylonem obsedisse, & Euphratem fluiuium magnum in multos alueos diuisisse, vt commodè milites armati, hostili impetu Babylonis inuaderent, & urbem ipsam caperent: quod sanè fieri nequiuisset, nisi multo labore, opera, & longo tempore. Respondeo: quamuis Babylon obsideretur ab hostibus, nihilominus Balthafarem Chaldæorum regem putauisse, se in tuto esse, nec periculi suspicionem habuisse: vt mirum non sit, si tam splendidum, & magnificum conuiuium celebrauerit. Et Herodorus libro 1. & Xenophon libro 7. testantur, eo die, quo capta est Babylon à Cyro rege Persarum, Babylonios diem festum egisse publicis ludis, saltationibus & conuiuijs, & totam eam noctem in maximo luxu & intemperantia transgressisse, & ideò illum diem esse à Cyro electum, vt illam spoliarent ac diriperent. Balthafar etiam rex urbem Babylonem nequam expugnari posse credebat, quippè quæ erat munitissima, & quæ hostes vndeque ab ingressu prohibebat, eo quod eam flumen Euphrates interflueret. Præterea, fieri potuit, vt hostes quasi longæ obsidionis tædio defessi, fingere se soluta obsidione decedere, & Balthafar putaret eos reuera recessisse, & ob id quasi è tanto periculo liberum, conuiuium celebrasse.

Persarum Monarchia.

- 1 Cyrus regnauit annis 30.
- 2 Cambyses annis 8. vel 9.
- 3 Migi fratres, 7. mensibus.
- 4 Darius Hystaspis filius, annis 36.
- 5 Xerxes, vel Xerxes annis 24. vel 20.
- 6 Artabanus, mens. 7. vel dieb. 7.
- 7 Artaxerxes, vel Artaxerxes Longimanus, annis 40.

- 8 Xerxes, vel Xerxes II. mensibus 2.
- 9 Segdianus, mensibus 8.
- 10 Darius Nothus, annis 19.
- 11 Artaxerxes, vel Artaxerxes Mnemon, annis 43. vel 40.
- 12 Ochus, annis 23. vel 26.
- 13 Arses Ochi filius, annis 3. vel 4.
- 14 Darius Codomanus, annis 6. vel 4.

Durauit igitur Monarchia Persarum penes 14. reges Persicos: secundum aliquos annis 228. vel 230. vel 250. Hi anni ponuntur ab Eusebio, Beda, Adone, Mariano, Orhone Vrspergensis, quos acceperunt ex Herodoto, Trogo, Diodoro, Iustino.

De hac Persarum Monarchia,

Primo quaeritur, Quot reges Persarum fuerint? Ioan. Annius, quem multi iuniores secuti sunt ex fictis ac suppositijs auctoribus, Metasthene, & Philone, octo tantum Persarum reges enumerat, hoc ordine: Primum, Cyrum, & Darium Medum simul; secundum Artaxersem primum, dictum Assuerum, filium Darij; tertium, Cyrum Artabanum, & Darium Longimanum; quartum, Darium Norhum; quintum, Artaxersem magnum, siue Darium Mnemonem; sextum, Artaxersem Ochum; septimum, Arsem; octauum, Darium Codomanum. Sed hos reges hoc ordine recenset Annius, vt literas sacras, in quibus fit mentio de regibus Persarum, suo sensu explicaret. Iudæi quatuor tantum reges Persarum constituunt, eo quod Daniel. 11. legitur: *Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimis super omnes. Et cum inualuerit diuitijs suis, concitabit omnes aduersus regnum Græciæ. Surge vero rex fortis & dominabitur, & faciet quod placuerit ei.* Sed reuera ex Daniele colligi certo non potest tantum fuisse quatuor reges Persarum; quoniam Daniel eo in loco solum prædixit reges Persarum, qui futuri erant insignes proxime post Darium Medum, vsque ad Xersem, qui erat totam Græciam ingenti militum copia perturbaturus: & deinde subito Daniel, prætermittis alijs regibus Persarum, conuertit sermonem ad Alexandrum Magnum.

Vera igitur sententia est communis Græcorum & Latinorum historicorum, à Cyro primo rege Persarum, vsque ad Darium Codomanum victum ab Alexandro, fuisse quatuordecim reges Persarum, eo ordine, quem supra posuimus: quamuis quidam eorum fortassis per tyrannidem, & bellicos tumultus regnum occupauerint.

Secundo quaeritur, Quot annis regnum Persarum durauerit. Iudæi censent vno anno & quinquaginta durasse: Genebrardus 171. Ioannes Lucius, Annius, & alij, 191. Hi omnes eo vno argumento mouentur, quod Nehemias 1. Eldra capit. 11. numerat omnes Pontifices Iudæorum, à soluta captiuitate Babylonica, vsque ad Iaddum Pontificem, qui obuiam Alexandro Magno uenienti Hierosolymam processit. Sed illi Pontifices, qui eo capite numerantur, cum pauci fuerint, longum tempus non excesserunt. Item, Nehemias, qui eos Pontifices numerauit, viuere ad longum tempus non potuit, cum ex his fuerit, qui ex captiuitate Babylonica redierunt. Cete-

rūm communis est omnium Historicorum Græcorum, & Latinorum opinio, durasse Perfarum imperium annis 224. vel 228. vel 239. nam Cyrus regnare cœpit Olympiade 55. anno primo, & Alexander Magnus, qui Perfarum Imperium euerit, fertur cœpisse regnare, teste Diodoro *libr. 17. Olymp. CXL. anno primo.*

Fluxerunt igitur à Cyro vsque ad Alexandrum Magnum, Olympiades 56. quæ efficiunt summam annorum 224. quibus si addideris quatuor vel sex annos alios Alexandri Magni, vsque ad victoriã quam adeptus est Dario ultimo rege Perfarum deuictio, conficies annos 228. vel 230.

Tertiò quæritur, Quis rex Perfarum fuerit is, de quo dicitur *i. Esdræ capit. 4. numer. 6. & 7. In regno autem Assueri, in principio regni eius, scripserunt accusationem aduersus habitatores Iudæ, & Hierusalem. Sulpitius. libr. 2. putat fuisse Artaxerxem Longimanum. Sed respondeo cum communi omnium historicorum sententia, quam habet Iosephus *libro 11. Antiquitatum capite 22. & Eusebius in Chronico, eum regem fuisse Cambysem Cyri filium. Nam Esdras eo capite postquam redeundi in patriam, & reedificandi templum, & ea accepta facultate, Iudæos rediisse, & cœpisse Templi ædificationem, sed postea opus fuisse impeditum per terræ incolas, subiungit, impeditum fuisse opus omnibus diebus Cyri regis Perfarum, & vsque ad regnum Darij item regis Perfarum. Et mox subiicit: In regno autem Assueri, & quæ sequuntur, quibus verbis Esdras reddit causam, impeditæ ædificationis Templi vsque ad Darium: Quia in regno, inquit Assueri, in principio regni eius scripserunt accusationem aduersus habitatores Iudæ & Hierusalé. Ergo is rex Assuerus, fuit Cambyfes, qui patri suo Cyro in regno successit.**

Quartò quæritur, Quis rex Perfarum fuerit Artaxerxes, de quo *i. Esdræ cap. 4. numer. 7. legimus: Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, & Tabeel & reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Perfarum. Sulpitius libro 2. credit fuisse Artaxerxem Longimanum. Est communis opinio, eum regem, fuisse eundem Cambysem, filium Cyri, quem Esdras Iudæorum more Assuerum ante vocauerat, postea nomine Persico Artaxersem nominat. Nam eo loco Esdras sermonem continuat, & primam generatim dixit: In principio regni Assueri, terra incolæ (videlicet Samaritæ Iudæis infensi) scripserunt accusationem. Et mox speciatim. *Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam, &c. ubi particula, &, more Hebraico causam significat; quasi diceret Esdras: nam à diebus eiusdem regis Assueri, quem Persæ Artaxerxem vocare consueverunt, scripserunt Beselam, & reliqui.**

Quintò quæritur, Quis rex Perfarum fuerit Darius ille, cuius meminit Esdras *cap. 4. libri primi. num. 6. & 24. quibus in locis ait, impeditam esse ædificationem Templi vsque ad regnum Darij regis Perfarum, scilicet, ut ibi dicitur, vsque ad annum secundum regni eius. Sulpitius libr. 2. historie sacræ, putat esse Darium Nothum, qui regnavit in Persiæ inter duos Artaxerxes, Longimanum, & Mnemonem. Sed communis & vera sententia est,*

fuisse Darium Hyftaspis filium, qui Cambyfi, & duobus fratribus cognomento Magis successit. Et idem Darius est, cuius meminit Esdras *cap. 5. num. 8. & capite sexto, num. 1. & 13.*

Sextò quæritur, Qui reges Perfarum fuerint Darius, & Artaxerxes, de quibus dicit Esdras *cap. 6. num. 14. Et edificauerunt & construxerunt, iubente Deo Israël, & iubente Cyro & Darii & Artaxerxe regibus Perfarum, & compleuerunt domum Dei vsque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Darij regis. Sulpitius libro 2. sacre historie, censet fuisse Darium Nothum, & Artaxerxem Mnemonem, & anno sexto Darij esse templum completum, postea vero tempore Artaxerxis Mnemonis ornatum, partes, & porticus templi Iudæos perfecisse. Quidam putant, eo loco Esdram non posuisse tres reges, sed duos illos, Cyrum & Darium Hyftaspis filium. Eiusque loci sensum esse: Iubente Cyro & Darii, & Artaxerxe; qui alio scilicet nomine dicitur Artaxerxes. Canus *libr. 11. de locis Theologicis ca. 5. vndecimæ obiectioni respondens, probat sententiam eorum, qui dicunt codices eo loco esse corruptos, & additum esse culpa Scripturæ (& Artaxerxe) sed id verisimile non est. Alij sentiunt fuisse Darium Medum, & Darium Hyftaspis filium, & sententiam esse: Aedificauerunt iubente Cyro, & Darii Medo, & Artaxerxe, hoc est, Darii Hyftaspis filio. Verum ea communis opinio merito probatur, vtpote admodum veritati consentanea, esse Darium filium Hyftaspis, & Xerxem filium eius, quem Esdras Artaxerxem vocat, aut saltem Artaxersem Longimanum: nam hic Longimanus, aut Xerxes pater eius, dedit facultatem Nehemiæ, ut urbem repararet: sicut Cyrus & Darius Hyftaspis dederant facultatem, ut reedificaretur templum.**

At inquires, *i. Esdræ 6. dicitur, Templum esse ædificatum iubente Cyro & Darii & Artaxerxe regibus Perfarum: at Xerxes filius Darij, non dedit facultatem templum ædificandi. nam i. Esdræ 6. numer. 15. absoluta est & perfecta Templi ædificatio anno sexto Darij: sed post Darium regnavit Xerxes, & post Xerxem Artaxerxes Longimanus. Ad hoc dubium respondent quidam, tempore Darij templum fuisse completum, tempore vero Artaxerxis Longimani additum templi ornatum, vna cum portis & porticibus; aut saltem hæc addita esse Templo sub Xerxe filio Darij Hyftaspis, & patre Longimani. Aliorum est sententia, quam ego magis probo, verba Esdræ referri ad totam ædificationem Templi & vrbis. Sic enim ibi est: *Et edificauerunt, & construxerunt, iubente Deo Israël, & iubente Cyro, & Darii, & Artaxerxe regibus Perfarum, & compleuerunt domum Dei vsque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Darij regis. Quorum verborum sententia est, ædificasse Iudæos, Templum scilicet & urbem, iussu trium regum, Cyri, Darij Hyftaspis filij, & Xerxis vel filij eius Artaxerxis Longimani; at Templi ædificationem perfecisse anno sexto Darij regis.**

Quintò quæritur, Quis rex Perfarum fuerit is, qui primo Esdræ 7. dicitur Artaxerxes, cuius iussu & auctoritate Esdras Hierosolymam rediit? Respondeo cum communi omnium sententia

fuisse

fuisse Artaxersem Longimanum, qui in Perside post Darium Hytaspis filium, & Xersem regnavit. Vel respondeo cum Iosepho, fuisse Xersem filium Darij Hytaspis, & patrem Artaxerxis Longimani.

Sexto quaeritur, Quis ille fuerit Artaxerxes, cuius iussu 2. Esdr. 2. Nehemias Hierosolyman venit, & urbem reparavit? Sulpitius libro 2. historiae, putat fuisse Artaxersem Mnemonem, qui Dario Notho successit. Sed communis opinio est, eum fuisse Artaxersem Longimanum, qui 1. Esdr. 7. facultatem dedit Eldrae, ut legis doctrinam restitueret, & postea anno vigesimo concessit Nehemiae, ut urbem restauraret. Quamquam probabile est, fuisse Xersem filium Darij Hytaspis, & patrem ipsius Longimani, ut ait Iosephus libro 11. Antiqu. cap. 5.

Septimo quaeritur, Quis Darius fuerit ille, de quo legitur 2. Esdr. 12. Nume. 22. Leuit. in diebus Eliab, & Ioiada, & Ioannam, & Ieddo, scripti principes familiarum, & sacerdotes in regno Darij Persae. Sulpitius libro 11. opinatur esse Darium Nothum. Alij vero contendunt esse Darium vltimum Perfarum regem, Codomanum appellatum, quem bello vicit Alexander, eo quod memoratur eo in loco Suami Sacerdotes, vsque ad Iaddum. Sed hic est, qui obviam processit Alexandro Hierosolyman venienti. Probabilius est eum regem fuisse Darium Hytaspis filium, qui regnavit in Perside ante duos Artaxerxes; Longimanum, & Mnemonem, & ante Xersem patrem Longimani: & Esdras eo loco per anticipationem numerat aliquos summos Sacerdotes, qui post Darium praedictum pontificatum tenuerunt.

Octavo quaeritur, Quis Darius fuerit, qui memoratur 1. Esdr. 5. & 6. Aggaei 1. & 2. & Zachariae 1. & 7. Sulpitius opinatur esse Darium Nothum, qui inter Artaxersem Longimanum, & Artaxersem Mnemonem Persis imperavit. Sed communis est omnium sententia, esse Darium Hytaspis filium, cuius anno sexto absoluta est Templi edificatio. 1. Esdr. 6.

Nono quaeritur, Quis rex fuerit Assuerus, sub quo accidit historia in libro Esther commemorata. Canus libro 11. de locis Theologicis, cap. 5. ad 9. arguunt. & quidam alij in Chronologijs opinantur esse Darium Medum avunculum Cyri, qui vna cum ipso Cyro imperium Babyloniorum evertit, vel Astyagem avum Cyri regem Medorum, vel Cyaxatem regem Medorum patrem Astyagis. Alii enim Astyagem Medorum regem, Balthasarem interfecto, Babyloniorum imperium occupasse, cui postea Cyrus & Mediae, & Babyloniarum regnum ademit.

Hec tamen alijs sententia non placet, quia Esther 16. dicitur fuisse hic rex Assuerus de genere Perfarum. Iudaei putant esse Cambysen filium Cyri, eo quod 1. Esdr. 4. Cambyses, Assuerus appellatur: ut quia Cambyses fuit Iudaeis maxime infestus. Et hi, & primi Auctores illi probant sententiam suam inde, quod Mardocheus fuit ex numero captiuorum, qui sunt Babylonem abducti, ergo non potuit vivere ultra aetatem Darij Medij, vel Cambysis, aut saltem in tam proeecta aetate non potuit gerere, quae in praedicto Esther libro referuntur. Sunt qui sentiant, fuisse Darium

filium Hytaspis. Genebrardus in Chronologia vult esse Xersem filium Darij, quintum regem Perfarum. Eusebius in Chronico, & Beda in libro de sex aetatibus mundi, dicunt fuisse Artaxersem Mnemonem. Idem quoque censet Sulpitius libro 2. historiae sacrae: ex eo argumentantes, quod alioqui Eldras de ea historia mentionem fecisset. Sed ego probabilius puto esse quod Iosephus libro 11. Antiquitatum cap. 6. & alij opinantur, fuisse Artaxersem Longimanum, quem Iudaei Assuerum appellant: quemadmodum etiam 1. Esdr. 4. Cambysen etiam Assuerum vocabant. Et in eodem libro Esther cap. 11. 12. 13. & 16. Artaxerxes, nomine scilicet Persico vocatur. At dices, Esther 11. Mardocheus dicitur fuisse de numero captiuorum, quos transfudit Nabuchodonosor rex Babylonis de Hierusalem cum Iechonia rege Iudae, ergo Mardocheus non potuit pervenire ad tempus Artaxerxis Longimani, aut certe in tam proeecta aetate non ea gessit, quae in libro Esther memorantur. Respondeo, Mardocheum dici de numero captiuorum, qui fuerunt in Babylonem transfati, quia genus duxit ex ijs parentibus, qui fuerant in Babylonem captivi abducti, & genitus fuerat in ipsa captivitate.

Decimo quaeritur, Quo modo intelligatur, quod Iudaei dixerunt Christo Domino, Ioann. 2. Quadraginta duobus annis aedificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? hoc enim cum historia parum videtur convenire. Etenim anno secundo Cyri regis Perfarum coepta est Templi aedificatio, & impedita toto tempore Cambysis regis, & resumpta secundo anno Darij Hytaspis filij, & completa anno sexto eiusdem, sed vsque ad sextum annum Darij non fluxerunt anni quadraginta sex.

Plerique respondent, falsos fuisse Iudaeos historiae ignorantem, cum inter annum, quo Cyro iubente, coepit Templum aedificari, & sextum annum Darij, quo perfectum est, intercedere non potuerint, nisi septemdecim, vel novemdecim, aut viginti anni. Alij vero, annos quadraginta sex sic enumerant. Anno primo vel secundo Cyri coepta est aedificatio, & viginti annis, aut eo amplius Cyrus regnavit, post Cyrum imperavit viginti annis Cambyses dictus Assuerus 1. Esdr. 4. cuius, utpote Iudaeis infensi, toto tempore, interrupta est Templi aedificatio, & deinde Darius Hytaspis filius successit, cuius sexto anno completum est Templum. Verum huic sententiae plurimum obstat, quod habet communis opinio, Cambysen octo tantum annis regnasse. Alij tribuunt Cyro 30. annos, Cambysi 9. duobus fratribus cognomento Magis, vnum annum, & sex Dario, qui efficiunt 46. annos. Alij opinantur, in primis Herodem templum non aedificasse, sed illud, quod post captivitatem Babyloniam extractum fuit, exornasse & amplificasse, & id operis absoluisse novem annis, ut tradit Iosephus libro 15. Antiquitatum, cap. 14. Hoc posito, anni 46. colliguntur in hunc modum. Anni octo, quibus Cambyses opus aedificationis impediterat, & anni sex Darij Hytaspis filij, in quibus templum est completum, & anni novem, quibus Herodes rex templum exornavit, & amplificavit, efficiunt annos viginti tres, &

deinde

deinde si ex annis Cyri regis Persarum sumantur alij viginti tres, colliguntur anni 46. nam Cyrus 30. annis regnavit, & septimo sui regni anno Babylonem cepit, Iudæos captivitate solvit, facultatem dedit, ut templum reedificarent. Sed deinde coepta ædificationis prosecutionem prohibuit ob accusationem aduersus Iudæos factam. Alijs hoc non placet, quia non videtur verisimile, tot annis viuente Cyro, interruptam fuisse ædificationem Templi, & Iudæos non instituisse apud eundem Cyrum, cui grati fuerunt, ut consummaretur intermissa Templi ædificatio, alioqui haud dubie impetraturos. Sed incertum est, an reuera Iudæi id præstiterint, ac curauerint, & nihil obtinuerint, calumniatibus eos apud Cyrum Samaritis. Alij respondent, post coeptam ædificationem iussu Cyri, vnum aut alterum annum Cyrum vixisse, & regnasse Cambysen octo annis, & deinde sexto anno Darij completam fuisse ædificationem Templi, & eam postea Herodem ornasse & amplificasse, triginta annis. Qui omnes anni in vnum collecti, efficiunt quadraginta sex. Sed horum sententia pugnat omnino cum sententia Iosephi, loco citato afferentis, Herodem regem totum opus perfecisse nouem annis. Profecto incerta sunt hæc omnia, & dubia. In primis certum est, Iudæos locutos fuisse, non de Templo quod Salomon ædificauit, quod septem annis compleuit, *libr. 3. Reg. cap. 6.* & postea dirutum est à Chaldæis. Constat igitur Iudæos fuisse locutos de Templo, quod post captiuitatem Babylonicam ædificatum est, & perstitit vsque ad Christi Domini tempus: illud enim Herodes non diruit, sed vndique ornauit & amplificauit. Secundo, inter omnes conuenit, Iudæos noluisse significare, Templum esse ædificatum quadraginta sex annis continuis: nec enim hoc dicere potuerunt, sed à tempore coepte ædificationis, vsque ad consummationem eiusdem, sex & quadraginta annos fluxisse, quia intermedio tempore cessatum fuit ab ædificatione. Tertio, mihi etiam probabiliter dici posse videtur, hos 46. annos posse intelligi etiam de ijs annis, quibus Herodes rex templum ornauit, & amplificauit: quoniam licet *1. Esdr. 6.* Legamus completum esse Templum anno sexto Darij regis, id intelligitur fuisse completum, videlicet in ea magnitudine, quam tunc temporis Persarum reges eis permiserunt: quam magnitudinem Herodes postea ampliorem, ornatioremque reddidit. Forassis Iudæi numerarunt 30. annos Cyri, & 9. Cambysis, & vnum duorum fratrum, qui dicti sunt Magi, & 6. Darij, qui cõficiunt quadraginta sex annos.

Vndecimo queritur, vnde nam incipiant computari anni septuaginta captiuitatis Babylonicæ, & vbi nam terminentur? Omissis alijs opinionibus, duæ sunt, eæque celebriores; vna afferentium, eos annos inchoandos esse ab anno vltimo Sedechiæ regis Iudæ, qui fuit annus vndecimus regni eius, & annus decimus nonus regis Nabuchodonosor, & finiri in anno secundo Darij filij Hytatis. Ita sentit Clemens, Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, Augustinus, Cyrillus, B. da, Sulpitius, & alij. Quod finiantur in anno secundo Darij, inde probant, quia Zachar. 1.

legimus, anno secundo Darij Angelum dixisse: *Isle est annus septuagesimus.* Et capite 7. *Cum plange- retis per hos septuaginta annos.* Eos vero annos computandos ab anno vndecimo Sedechiæ, probant ex verbis Hieremiæ 25. vbi legimus, Terram futuram in solitudinem, & in stuporem septuaginta annis; sed non coepit esse deserta, nisi ab anno vltimo Sedechiæ, quo anno Chaldæi Templum & urbem Hierosolymam incenderunt, & reliquias Iudæorum transfulerunt. Item 2. Paralipom. vltim. legimus terram Israël Sabbathum egisse septuaginta annis, id est, quiescisse, iam videlicet in desertum & in solitudinem redactam: at hoc non contigit nisi ab vltimo anno Sedechiæ.

Altera est opinio dicentium, annos septuaginta captiuitatis initium sumere ab eo anno, quo Iechonias vna cum matre & populis captiuus abductus est Babylonem, qui octauus fuit annus regni Nabuchodonosor, & desinere in primo anno Cyri regis Persarum, qui primo anno sui regni Babylonem cepit, & Iudaicam captiuitatem laxauit. Quod finiantur primo anno Cyri, probant ex eo, quod legimus Hierem. 29. *Cum compleri ceperim in Babylone septuaginta annis, vobis tabo vos, & reducam vos ad locum istum.* & 2. Paralip. 36. & 1. Esdræ 1. & Daniel. 9. dicitur Hieremiæ vaticinium completum primo anno Cyri regis Persarum. Item Matth. 1. distinguuntur quatuordecim generationes ante transmigratiorem, ab alijs quatuordecim generationibus post transmigratiorem, & numeratur transmigratio à prædicto anno octauo Iechoniz. Desisse autem septuaginta annos captiuitatis in primo anno Cyri probant, quia id planè dicitur in 2. Paralip. 36. & 1. Esdr. 1.

Animaduertendum est, quatuor clades accepisse Iudæos à Chaldæis, ex quo coepit in Chaldæa regnare Nabuchodonosor: duas quidem sub rege Ioachim, tertiam sub Ioachim, siue Iechonia, quartam sub Sedechia. Anno quarto regis Ioachim, ut dicitur Hierem. 25. Nabuchodonosor, qui ut habetur eodem capite 25. & 46. Hieremiæ, tunc primum in Chaldæa regnare coeperat, venit ad Euphratem bellum illaturus Nechao regi Aegypti, cui tunc Syria parebat. Sed Nechao bello victus abcessit, quare Nabuchodonosor traiecit Euphrate sibi Syriam subegit, præter Iudæam: inde tamen exercitu reducto in Iudæam, Ioachim regem coepit, & captiuum in Babylonem abduxit, vna cum Daniele, & tribus pueris socijs, & eum tribus annis detinuit, & postea cum eo conuenit, ut sibi tributum pendiret, & ita eum domum suam remisit: quod tributum Ioachim soluit tribus annis. Quibus transactis cum videret Nabuchodonosor Ioachim amicitia regis Aegypti suffultum, sibi tributum denegare, rediit Hierosolymam, & iterum coepit Ioachim, & occidit eum. Et hæc fuit secunda clades Iudæorum. De prima clade Danielis 1. legitur: *Anno tertio regis Ioachim, &c.* & 2. Paralip. vltim. *Contra hunc ascendit Nabuchodonosor, & vniuersum castrum duxit in Babylonem, & vasa Domini transfudit.* Et 4. Reg. 24. *In diebus Ioachim Nabuchodonosor rex ascendit, & factus est ei Ioachim seruus tribus annis.* De nece Ioachim, & secunda clade Iudæorum, Hieremiæ 21. legimus:

Quos citat
Cannus l. 11.
de loc. The-
olog. c. 1. ad
9. argum.

tinus: Hac dicit Dominus ad Ioachim, &c. & mox: Sed a-
 nisi septuaginta sepelietur: & cinis computruerit, projicietur
 extra portam Hierosolymorum. Et cap. 36. Non erit ex eo
 qui sedeat super solium David: & cadaver eius projicietur
 ad effusum per diem, & ad gelum, per noctem. A prima cla-
 de Iudeorum accepta primo anno Nabuchodonosoris,
 quidam incipiunt numerare annos captiuitatis vique ad
 primum annum Cyri, hunc videlicet in modum. Numerant, quadraginta quinque
 annos Nabuchodonosoris, viginti tres Euilmerodici filij
 eius, tres Baltharis nepotis ex filio: qui omnes anni efficiunt
 annos septuaginta. Cyrus cepit Babylonem Balthare interfecto.
 At inquit, quomodo dicitur Danieli. prima clade Iudeorum
 fuisse anno tertio regis Ioachim, & Hierem. 25. anno quarto? Respondeo, Hieremiam loqui
 de anno quarto tantum inchoato, Danieli vero de anno tertio
 completo, Alij incipiunt numerare annos captiuitatis a
 secunda clade Iudeorum accepta vltimo anno Ioachim, qui fuit octauus
 annus Nabuchodonosoris: & terminant annos captiuitatis in
 primo anno Cyri. Tertia clades Iudeorum accidit, sub rege
 Ioachim, siue Iechonia filio Ioachim, qui fecit malum in conspectu
 Domini, & qua suspensionem dedit, ne aliquando necem patris
 sui Ioachim vltisisset, veller, Nabuchodonosor post tertium
 mensem a nece Ioachim, exercitum Hierosolymam reduxit, & cepit
 ipsum Iechoniam, & captiuum, vna cum matre & popularibus
 Babylonem abduxit. De hac clade legimus Hierem. 22. *Vino ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias, &c. & 4. Reg. ca. 24. In tempore isto
 ostenderunt, & reliqua. & 2. Paralip. cap. vi. Regnavit Ioachim filius pro
 patre Ioachim, & que sequuntur. Hac transmigratione Ezechiel
 propheta Babylonem abductus est. Vnde ipse ait primo capite
 Quinto anno transmigrationis regis Ioachim, & reliqua. Et capite 40. In
 vigesimo quinto anno transmigrationis me monstravit in exordio
 anni, decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est
 ciuitas. Ab hac igitur transmigratione opinio secunda, quam supra
 memorauimus, inchoat annos captiuitatis, & terminat eos in
 anno primo Cyri regis Persarum, quarta clades Iudeorum fuit
 sub Sedechia rege, de qua Hierem. cap. 34. & 52. & liber quartus Regum cap. vltim.
 & liber secundus Paralipomenon. cap. vltim. Et ab hac transmigratione,
 qua Sedechias, & ceteri Iudei sunt capti in Babylonem abducti,
 prima opinio numerat annos captiuitatis, & terminat in anno secundo
 Darij Hytaspis filij. Vnde multis valde probabilis videtur eorum
 opinio, qui dicunt, alios esse annos captiuitatis, alios vero solitudinis,
 id est, desolationis, & vastitatis Hierosolymae, & Hieremiam cap. 25.
 locutum esse de annis septuaginta desolationis, qui anni ceperunt ab
 vltimo anno Sedechiae, & decimo nono Nabuchodonosoris, & finiuntur
 anno secundo Darij Hytaspis filij, de quo Zacharias dixit 2. & 7. cap. Iste
 est annus septuagesimus, nimirum vastitatis & solitudinis Hierusalem.
 De annis vtriusque captiuitatis locutus est Hieremias capite 29.
 ac proinde ceperunt numerari a transmigratione sub Iechonia rege,
 & desierunt in primo anno Cyri regis Persarum. Et est animaduertendum,
 Cyrum non cepisse Babylonem primo anno quo regnavit in Perside,
 sed post aliquot regni sui*

annos exactos. Sentiant quidam, captam ab eo rege Babylonem, anno sui regni vigesimo septimo, & postea tribus tantum annis regnasse. Alij, vigesimo tertio sui regni anno ab eo captam volunt eam urbem, & postea eum regnasse septem annos. Alij decimo nono anno regni sui, & regnasse postea vndecim annos. Quare omnes illi anni, quibus Cyrus Persis imperauit ante captam Babylonem, inciderunt in eos annos, quibus reges Chaldeorum in Babilonia prouincia regnarunt. Id vero quod dicitur 2. Paralipomen. 36. & 1. Eld. 1. Cyrum regem Persarum primo regni sui anno, Iudaicam captiuitatem soluisse: intelligitur de primo anno, quo cepit Babylonis imperare, interfecto vltimo Chaldeorum rege Balthare. Scriptura enim numerat annos Iudaice captiuitatis, & proinde annos regum Chaldeorum, quorum imperio captiui tenebantur: & idcirco ait, exactis Babiloniorum regibus, cepit Cyrus imperare Chaldeis, & statim ut cepit regnare in Chaldaea, Iudeis facultatem concessit, ut liberè in patriam redirent, & ita soluta est Iudaica captiuitas.

Græcorum Monarchia.

Alexander Magnus Persarum Imperium evertit, & ita desijt Asiaticum Imperium, ad Græcos in Europa translatum. Porro Alexander regnavit annis duodecim, & anno sexto sui regni Darium Codomanum vltimum Persarum regem bello vicit.

Post Alexandri obitum, diuisum est Græcorum imperium in multa regna, sed ex ijs, quatuor præcipua hæc fuere, Regnum Ptolemæorum in Aegypto, Alexandria urbe, & Africa: Seleucidarum in Syria, & Babylone: Antigonum in Thracia, Ponto, & Asia; Philippi Aridaei in Græcia, & Macedonia: de quorum singulis pauca breuiter attingam, ut temporum ratio, & ordo cognoscatur.

Regnum Ptolemæorum.

De Ptolemæis Aegypti regibus, est epistola Aldi Manutij ad Antonium Carafam Cardinalem.

Ptolemæus Lagi filius regnavit	ann. 40
Ptolemæus Philadelphus.	an. 38
Ptolemæus Evergetes.	an. 26
Ptolemæus Philopator.	an. 17
Ptolemæus Epiphanes.	an. 24
Ptolemæus Philometor.	an. 25
Ptolemæus Evergetes II.	an. 20
Ptolemæus Physiconis filius, qui & Soter.	an. 17
Ptolemæus Auletes, vel Alexander.	an. 10
Ptolemæus Physiconis filius iterum.	an. 8
Ptolemæus Alexandri filius.	dieb. 19
Ptolemæus Lathyris.	an. 8
Ptolemæus Dionysius.	an. 30
Cleopatra.	an. 11

Summa annorum, quibus stetit Regnum Ptolemæorum, est 285. Porro Strabo numerat nonnem Ptolemæos reges Aegypti, Eusebius 12. recenset. Aldus Manutius 14. ponit, quorum

numerum

numerum colligit ex Strabone, Eusebio, Appiano, Pausania, Iustino. Item à morte Cleopatraz, & à M. Antonio victo, & Aegypto in prouinciam redacta à Romanis, vsque ad Christi Domini ortum, fluxerunt anni 28. nam Cleopatra regnavit annis tribus ante Iulium Cæsarem, & quatuor annis toto tempore Iulij Cæsaris, & quindecim vsque ad annum, quo natus est Dominus, superato M. Antonio ab Octauius Augusto.

Regnum seu Imperium Seleucidarum.

Ex Appiano *lib. de bello Syriaco*, Eusebio in *Chronica*, Sulpitio *lib. 2. de Histor. sacra*.

Seleucus Nicator regnavit	annis	32
Antiochus Soter.	an.	19
Antiochus <i>Θεός</i> .	an.	15
Seleucus Callinicus.	an.	21
Seleucus Ceraunus.	an.	3
Antiochus Magnus.	an.	37
Seleucus Philopator, vel Philometor.	an.	12
Antiochus Epiphanes, seu Illustris.	an.	12
Antiochus Eupator.	an.	2
Alexander.	an.	10
Demetrius Demetri filius, dictus Nicator.	an.	3
Antiochus Sidetes.	an.	9
Demetrius iterum.	an.	4
Antiochus Gryphus frater Seleuci.	an.	12
Antiochus Cyzicenus, frater vterinus.	an.	18
Seleucus Gryphi filius.	an.	2

Huic successit Antioch^o Cyziceni filius, quem postea regno expulit Tigranes.

Fuerunt Seleucidæ reges 17. secundum Appianum, dempto Alexandro, qui non fuit ex genere Seleuci. Stetit eorum Imperium annis 229. vel secundum Appianum, 270. Syria deinde facta est Romanorum prouincia, ad quam gubernandum Romani Præsides mittebant, qui Syriæ Præsides dicebantur. Hic ad Iudæam regendum Præfectum mittebat, qui Procurator Iudææ vocabatur: & Iudæam procurabat, id est, administrabat sub Præside Syriæ.

Regnum seu Imperium Philippi Aridei.

Philippus Arideus ex genere Alexandri Magni, regnavit.	annis	7
Callander.	an.	18
Antipater & Alexander.	an.	4
Demetrius.	an.	6
Pyrrhus.	mens.	6
Lysimachus.	an.	5
Ptolomæus Cercaunus.	an.	51
Meleager.	an.	1
Antipater II.	an.	1
Sothenes.	an.	2
Antigonus Gonates.	an.	2
Demetrius II.	an.	10
Antigonus Doson.	an.	12
Philippus.	an.	42
Perseus.	an.	11

Hunc Perseum Pub. Aemilius Romanus, biennio ante principatum Iudæi Machabæi bello superavit ac vicit. Duravit imperium Macedonicum post mortem Alexandri Magni annis 154.

De hoc Imperio Græcorum, multa quæri solent.

Primo enim queritur, quo modo computentur anni, i. Machab. 1. num. 11. vbi dicitur: *Et exiit ex eis radix peccati. Antiochus Illustris, & regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum.* Respondeo: post Alexandrum magnum, & duodecim annos exactos ab eius obitu, obtinuit Imperium in Babylonia, Syria, & Perside Seleucus Nicatoris filius: & quia Seleucus erat genere Macedo sine Græcus, ideo regnum eius in Syria, vocabatur Regnum Græcorum. Et libri Machabæorum, huiusmodi regnum, appellant Regnum Græcorum. Et vbiunque in prædictis libris anni Græcorum regni, siue imperij numerantur, intelliguntur anni regni Seleucidarum. Quare cum i. Machab. 1. dicitur: *In anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum,* recensentur anni regni Seleucidarum, quod nimirum regnum cepit duodecim annis post mortem Alexandri Magni, vt testatur Eusebius in *Chronico*: quamvis Lyranus i. Machab. 1. dicit, eos annos computari ab eo tempore, quo Alexander Persarum Imperium evertit: qui quidem duodecim anni in libris Machabæorum semper præmittuntur, quancumque numerantur anni Regni Græcorum: toto enim eo tempore Duces, qui Alexandro Magno successerunt, Antigonus, inquam, & Seleucus Nicatoris inter sese bello, & armis de Imperio contenderunt, donec tandem duodecim annis transfactis, Antigonus in Thracia, Ponto, & Asia, & Seleucus in Babylonia, & Syria pacatè regnare cepit.

Secundò queritur, Quo modo i. Machab. 1. dicitur de Alexandro, eum primo in Græcia regnasse, cum ante eum alij, in Græcia regnauerint. Respondeo, profanam historiam nihil in hac parte cum Sacra pugnare. Nam Alexander dicitur in Græcia primus regnasse, quia fuit principium & origo regni Seleucidarum in Chaldaea, & Syria: nec tamen ab eo libri Machabæorum annos regni Græcorum recensent: quia vt prædixi, cuiusmodi libri nomine regni Græcorum, intelligunt Regnum Seleucidarum, quod in Seleuco anno post Alexandri obitum duodecimo, cepit pace cum Antigono facta.

Tertiò queritur, Quo modo i. Machab. cap. 1. dicitur Alexander vocatis pueris suis, divisisse illis regnum suum, cum adhuc viueret: & tamen omnes Scriptores profani testantur post mortem eius, Duces prouincias inter se partitos fuisse. Respondeo, credendum esse, dum adhuc Alexander viueret, suis Ducibus dixisse, vt inter sese, sui regni prouincias diuiderent: quod & fecerunt.

Quartò queritur, Quo modo verum sit, quod i. Machab. 9. dicitur, Iudam Machabæum mortuum fuisse anno centesimo, quinquagesimo secundo regni Græcorum; & postea i. Machab. 9. dicitur, Iudas fertur scripsisse epistolam anno centesimo octogesimo octavo regni Græcorum. Rupertus libro primo de *Vitoria Verbi Dei* cap. 10. ait: Iudam, qui 2. Machab. 1. scripsit Epistolam, alium fuisse Iudam, non Machabæum illum, qui i. Machab. 9. refertur mortuus anno centesimo, quinquagesimo secundo regni Græcorum, quæ sententia alijs non placet, in-

cet, in-

cer, inter quos est Canus lib. 2. de loc. Theol. n. ad 4. quia in libris Machabæorum nullus alius Iudas, nisi Machabæus, filius scilicet Matthatiæ, memoratur. Vnde magis probant sententiam eorum, qui dicunt 2. Machabæor. 1. duas epistolas poni, vnam quam scripsit populus, & Senatus Iudæorum, in cuius fine ponitur annus, quo scripta est, nimirum annus centesimus octogesimo octauo regni Græcorum. Et illius Epistolæ finis est tota illa clausula: Anno centesimo octogesimo octauo, populus qui est Hierosolymis, & in Iudæa, Senatusque. Hisque verbis finitur, & clauditur tota illa Epistola; deinde sequitur initium alterius secundæ Epistolæ; hoc nempe: Iudas Aristobolo magistro Ptolemæi regis. & hanc scripsit Iudas Machabæus anno, vt creditur, centesimo quinquagesimo secundo, quo mortuus est, ac propterea dicunt librarij, siue scriptorū incuria puncta male esse distincta. Mihi magis probatur Rupertij sententia: non enim est verisimile, omnes codices esse scriptorū incuria, & negligentia corruptos, aut male punctis distinctos.

Quintò quæritur, Quomodo 1. Machabæor. 4. numer. 52. dicitur Iudas purgasse templum anno centesimo quadragesimo octauo, quod fuerat contaminatum ab Antiocho: & 2. Machabæorum 10. numer. 3. dicitur purgasse templum post mortem Antiochi. Hæc enim duo secum inuicem pugnant videntur. nam 1. Machab. 6. fertur Antiochus mortuus anno centesimo quadragesimo nono. Respondeo, 2. Machabæorum 10. non dici Iudas purgasse templum biennio, hoc est, duobus annis à contaminato templo per Antiochum, nam 1. Machab. 1. nu. 59. Antiochus templum pollutum fertur anno centesimo quadragesimo quinto, & 1. Machabæorum 4. nume. 52. dicitur purgatum templum anno centesimo quadragesimo octauo, videlicet, exacto integro biennio, ex quo fuerat violatum ab Antiocho.

Sextò quæritur, Quo modo id, quod 1. Machabæorum 4. dicitur, Iudas Machabæum templum mundasse anno centesimo quadragesimo octauo, quod Antiochus polluerat anno centesimo quadragesimo quinto, vt dicitur 1. Machabæorum 6. conueniat cum eo, quod dicit Daniel cap. 8. contaminationem Templi duraturam diebus bis mille trecentis, & postea templum mundandum: nam dies bis mille trecenti, efficiunt sex annos, & tres menses, & viginti dies. Hunc locum plerique difficilem esse arbitrantur. Sed puto esse probabilem sententiam eorum, qui dicunt cum Hieronymo Daniel. 8. Daniëlem locutum fuisse de tota ea calamitate, quam Iudæi passuri erant sub Antiocho Epiphane: hæc autem calamitas cepit anno centesimo quadragesimo tertio regni Græcorum, vt dicitur 1. Machabæor. 1. nam eo anno venit Antiochus Hierosolymam, & diripuit vasa & ornamenta templi: quæ calamitas durauit, vsque ad annum centesimum quadragesimum nonum regni Græcorum: quo anno mortuus est Antiochus, vt habetur 1. Machabæorum 9. Porro ab anno centesimo quadragesimo tertio, vsque ad annum centesimum quadragesimum nonum, sunt sex anni integri, & septem tantum inchoati, siue incepti, non completi, & Antio-

chus mortuus est inchoato, non finito anno centesimo quadragesimo nono. Vnde calamitas durauit, iuxta Daniëlis vaticinium, dies bis mille, & trecentos, hoc est, sex annos & tres menses, & viginti dies: quod totum tempus effluxit ab anno centesimo quadragesimo tertio, vsque ab anno centesimo quadragesimo nonum, videlicet ineuntem regni Græcorum. At quomodo iterum Daniel, inquit, capit. 12. prædicit à tempore, quo auferendum erit iuge sacrificium, & ponenda abominatio in desolationem, futuros dies mille ducentos nonaginta, & paulò ante in tempus & tempora, & dimidium temporis: qui dies & tempora efficiunt tres annos, & dimidium anni vnus. Quidam aiunt sub Antiocho calamitatem passos esse Iudæos sex annis & sex mensibus, & hanc prædixisse Daniëlem cap. 8. Sed contaminationem templi tantum durasse tribus annis, & dimidio: & ita intelligitur, quod prædixit Daniel cap. 12. Caterum respondeo cum Hieronymo, Daniëlem capite octauo prædixisse calamitatem futuram sub Antiocho: & capite 12. calamitatem, quam Dei Ecclesia passura est sub Antichristo. Illa durauit per sex annos, hæc duratura est per tres annos, & dimidium, hoc est, per tempus, id est annum, & per tempora, id est, duos annos, & dimidium temporis, id est, dimidium anni. Nisi etiam quis dicat, sub Antiocho, vt Antichristi typo & figura, durasse contaminationem templi tribus annis & dimidio; sed calamitatem sex annis & sex mensibus.

Septimò quæritur, Quo modo cohæreant, quæ tribus in locis referre videntur libri Machabæorum de morte Antiochi. Nam 1. Machabæorum 6. legimus, Antiochum reuersum ex Perside in Babyloniam, decubuisse præ tristitia, & ibi mortuum fuisse: at 2. Machabæorum 1. dicitur, Cum esset in Perside, ingressus in templum Nanea consilio Sacerdotum deceptus, vna cum sui exercitus duce videtur cecidisse: at 2. Machabæor. 9. legimus: In Ecbaranis dolore viscerum correptus obiisse. Plerique putant, hæc de diuersis Antiochis esse dicta: nihil tamen impedit, quo minus ea ad vnum & eundem Antiochum Illustrum referantur, cuius mors tribus in locis recensetur hunc in modum: Sacerdotum consilio seductus, ingressus est in templum, vna cum sui exercitus duce, & eorundem Sacerdotum dolo, & insidijs comprehensus est, & membratim dilaceratus; ipse verò Antiochus se fuga proripuit, & euasit Sacerdotum insidias; & in Mediam veniens, Ecbaranis ægrotauit, dolore viscerum vehementissimo correptus. Inde profectus, in Babyloniam peruenit, vbi etiam iacuit in lecto, eodem viscerum dolore pressus, vbi & tandem mœrore confectus interijt. Neque 2. Machabæorum 1. dicitur mortuus in Perside, sed in templum ingressus, vbi dux exercitus eius est interfectus: & 2. Machabæorum 9. fugiens turpiter ex Perside, dicitur redijisse in Mediam; vbi cum prope Ecbarana triste nuncium accepisset, valde iratus ægrotauit: sed non ibi interijt infelix, immo potius iter suum conuertit ad Syriam: at in Babyloniam morbo oppressus, iterum in lecto iacuit, vbi ingenti dolore viscerum afflicatus, adeo vt carnes

à verbis exese diffuerent, miserabiliter tandem perijt.

Octauò queritur, Quo modo intelligatur quod dicitur 2. Machabz or. 1. videlicet, Iudæos fuisse in Perfidem captiuos abducos, cum eam captiuitatem in Chaldæo sint perpeffi. Sunt qui opinentur, horum librorum Auctorem Babylonie nomine, Perfidem quoque larè & amplè comprehendisse: quod alijs non placet, cum id ex facris literis minimè colligatur. P. obabilius ducit, quod alij tradunt, Iudæos captiuos esse translatos in Babylonem simul & Perfidem: tum quia Nabuchodonosor eos in Babyloniam transfulerat: sed probabiliter creditur multos eorum in Perfide vendidisse: tum etiam quia credibile est in exercitu Nabuchodonosor multos fuisse Perfis milites, ac duces, quibus in prædam non pauci è Iudæis obtigerunt, à quibus in Perfidem captiui sunt abducti. Item, sub Dario Medo, & Cyro rege Persarum plurimi Iudæorum fuere in Mediam & Perfidem translati.

Anni vrbs Romæ condita, & numerus Olympiadum, vsque ad Christi ortum, quo modo inter se conueniant.

Romulus vrbs Romæ conditor regnavit an. 37
Regnare cœpit Olympiade 7. anno 1. mortuus est Olymp. 16. anno 1. teste Solino ca. 2. & Dionysio lib. 1. post cuius obitum fuit interregnum an. 1.

Numa Pompilius. an. 43
Cœpit regnare Olymp. 16. an. 3. vt testis est Dionysius lib. 2. *Antiqu. Romæ.* Obijt, teste Solino, Olymp. 27. anno 1.

Tullus Hostilius. an. 32
Cœpit regnare Olymp. 27. anno 2. Dionysius lib. 3. obijt, teste Solino, Olymp. 35.

Ancus Martius. an. 24
Cœpit regnare anno 2. Olympiad. 35. teste Dionysio lib. 3. Obijt, vt ait Solinus, Olymp. 41.

Tarquinius Priscus. an. 38
Vt testatur Dionysius lib. 3. *Antiquitatum Romanarum*, cœpit regnare Olymp. 41. anno 2. obijt Olymp. 50.

Seruius Tullus. an. 44
Teste Dionysio lib. 4. *statim initio*, cœpit regnare Olymp. 50. an. 4. Obijt Olymp. 61. an. 4.

Tarquinius Superbus. an. 25
Cœpit regnare Olymp. 61. an. 4. teste Dionysio lib. 4. Est regno deiectus Olymp. 68. anno 1.

Ex his constat, vrbs Romam, sub Regibus fuisse annis 224. vt numerat Dionysius lib. 1. quorum vltimus annus concurrebat, eodem Dionysio teste, cum Olymp. 68. anno 1.

Item Diodorus Siculus, Iosephus lib. 1. *contra Apionem* Grammaticum Alexandrinum, Eusebius in *Chronico*, Hieronymus, & alij communi consensu testantur, Alexandrum Magnum obiisse Olympiade 114. anno primo, & cœpisse regnare Olympiad. 111. anno primo, Iosepho lib. 12. *Antiquit. capit. 12.* teste, Iudæ Machabæus renoua-

uit templum, quod Antiochus Illustris contaminauerat, Olympiad. 154. Vnde ab obitu Alexandri, vsque ad Iudæ Machabæi principatum, fluxere Olympiades 40. quæ conficiunt annos 160. & à principatu Iudæ Machabæi, vsque ad Christi Domini aduentum, decurrere Olympiades 40. quæ conficiunt annos 160. Si iungas igitur annos 160. ab Alexandri obitu, vsque ad Iudam Machabæum, cum totidem annis 160. à Iudæ Machabæo, vsque ad Christum, colliges summam annorum 320. qui fluxerunt à morte Alexandri, vsque ad Christum, & totidem anni per Olympiades supputantur. Nam ab obitu Alexandri, vsque ad Christum Domini ortum, numerantur Olympiades 80. quæ efficiunt annos 320.

De anno, quo fuit vrbs Roma condita, non vna est omnium opinio. Timæus Siculus eam dicit fuisse conditam annis 38. ante primam Olympiadem, quo tempore tradit Carthaginem quoque fundatam. L. Cincius ait, fuisse conditam Olympiade 12. anno 4. Tertia opinio fuit Fabij Pictoris asserentis, Olympiad. 8. anno 1. edificatam fuisse. Quarta opinio eorum est, qui asseuerant fundatam & extructam fuisse 6. Olympiad. anno 3. Sic Pomponius Atticus, M. Tullius teste Solino *capit. 2.* Quinta est opinio aliorum dicentium conditam esse Olympiad. 7. ann. 2. Sic Nepos & Lactantius, Polybius, auctore Solino ibid. Ex quibus sententijs duæ solum habentur apud Scriptores, vt certæ & veræ, prima Romam fuisse conditam Olympi. 7. anno 2. Sic Apollodorus, Lactantius, Catulus, Cornelius Nepos, Eratosthenes, Cato, Dionysius Halicarnasæus, Polybius, Diodorus Siculus. Opinio secunda, vrbs Romam ait esse conditam Olympiad. 7. anno primo ferè exeunte, qui quoniam concurret ferè in annum 2. Olympiad. 7. ideo posteriores Scriptores partim aiunt esse conditam anno 1. Olympiadis 7. partim anno 2. eiusdem Olympiad. Et hæc est opinio communi consensu recepta, quam amplexus est M. Varro, cui postea subscriperunt Velleius, Plinius, Plutarchus, Tacitus, Dion, Agellius, Solinus, Tabulæ Capitolinae, Clemens, Eusebius, Eutropius, Orofius, Paulus Diaconus.

A prima igitur Olympiade, vsque ad vrbs conditam præterierunt anni 25. vel 26. Porò sub Regibus vrbs Roma fuit annis 243. vel 244. hoc est, per Olympiades 61. Deinde Consules rerum dominati sunt in vrbe annis 464. vsque ad annum Dictaturæ Caij Iulij Cæsaris, & mox anni 4. præterierunt, vsque ad annum, qui proximè cœpit post necem eiusdem Iulij Cæsaris: omnes enim supra citati Auctores conueniunt, interfectum esse Cæsarem anno vrbs conditæ 709. vel 710. qui anni sic colliguntur.

Sub Regibus vrbs fuit annis 243. vel 244
Sub Consulibus, an. 464.
Sub Dictatura C. Iulij Cæsaris, an. 4.
Hi omnes anni simul iuncti, conficiunt summam annorum 711.

Conuenit etiam inter Auctores, vsque ad annum, quo Octavianus Augustus solus, deuicto ad Actium M. Antonio cœpit imperare, fluxisse annos 12.

Cœpit

Cœpit igitur Imperium Romanum anno vr-
bis conditæ 732. vel 733. ac proinde cum Christus
natus sit testibus Eusebio, Bedâ, Orofio, Paulo
Diacono, Olympiad. 149. an. 3. eiusdem: sequitur
vt à prima Olympiade vsque ad Christum anni
fluxerint 776. quos annos conficiunt Olympiad.
194. à quibus si dempseris an. 23. vel 24. remanent
753. qui anni præterierunt ab vrbe Roma condi-
ta, vsque ad Christi Domini ortum. Item, à prima
Olymp. vsque ad Cyrum primum Persarum re-
gem, fluxerunt an. 116. quos conficiunt Olympia.
55. Nam Cyrus cœpisse regnare fertur Olympia.
55. anno primo. Conficiunt igitur Olympiades
54. annos 216. Item, à prima Olympiade vsque
ad captiuitatem Babylonicam fluxerunt anni
186. & ab vrbe condita vsque ad eandem captiui-
tatem Babylonicam decurserunt anni 162. Capti-
ui verò Iudæi in Babylone fuerunt annis 70. Sed
quia variè Scriptores sentiunt, vnde nam sumat
initium horum 70. annorum, & vbi dicti an-
ni terminentur; an videlicet captiuitas Baby-
lonica incipiat supputari anno vndecimo Sede-
chiz, quando igni exustum est templum à Chal-
dæis, & Hierusalem solo æquata; an verò à trās-
migratione, qua Iechonias in Babylonem capti-
uus abductus est, vna cum popularibus, quæ cap-
tiuitas accidit annis vndecim ante incendium
Templi, & vrbs Hierosolymæ excidium: pro-
pterea difficile est, huius ætatis annos certò col-
ligere. Verum quicquid sit, opinio communi
consensu recepta est, à captiuitate Babylonica
vsque ad Christum, annos interfluxisse 589. & ab
año primo Cyri regis Persarum, vsque ad Chri-
stum annos 559. in quam ætatem incidisse constat
captiuitatem Iudæorum Babylonicam, libera-
tatem ac reditum eorum in patriam, restitutionem
Templi, & vrbs Hierosolymæ; quod Templum
postea pollutum fuit ab Antiocho Epiphane, re-
ge Syriæ: sed reparatum ac renouatum est à Ma-
chabæis. Conitratitidem quæ sequuntur omnia,
in hac ætate contigisse; editiones nempe &
tumultus Iudæorum, & totam historiam Macha-
bæorum, vniuersa Ezechielis vaticinia, bonam
partem prædictionum Hieremiæ, omnes visio-
nes Danielis, omnem prophetiam Zachariæ, Ag-
gæi, & Malachiz: totam quoque historiam quo-
rum, Eldræ scilicet & Nehemiæ, librorum, nec
non & memorabiles & celebres illas duas præ-
stantium foeminarum Iudith, & Esther histori-
cas narrationes.

Porro quantum ex profanis historijs perspici-
potest, continet hæc ætas Monarchiam Chal-
dæorum, monarchiam Persarum, imperium Græ-
corum, res gestas Romanorum sub Conu-
lum potestate, & Dictatura Iulij Cæsaris, & fe-
rè totum tempus Octauij Augusti Imperato-
ris, & quæcumque à Philosophis per doctrinam
accepta legimus. In hac ætate floruisse perhi-
bentur Græci historici plurimi, Philosophi, O-
ratores, Poetæ, Pictores, Sculptores, Statuarij,
Medici, Musici, Mathematici, Astronomi, Astro-
logi, & ceteri, qui alicuius disciplinæ, artis, vel
doctrinæ periti fuerunt.

De Historicis tantum illud breuiter in præ-
sentia dicam, quo tempore scripserint. An im-
uertendum est, eos omnes, qui à Græcis cele-

brantur omnium artium, & disciplinarum in-
uētores, seu potius Magistros, professores, &
doctores vixisse, & floruisse ferè post Olym-
piadem 55. in qua nimirum Cyrus primus Per-
sarum rex cœpit in Perside regnare, & in qua Ro-
mæ Seruius Tullus imperabat, & apud Medos
Astyages. In Lydia Aliactes. 8. rex Lydorum: &
in Macedonia Alcetas. 8. quoque Macedonum
rex, cum Iudæorum captiuitas in Babylone so-
luta est.

Cicero in secundo libro de Oratore, breuiter enu-
merat aliquot historicos Græcos, in primis, Hero-
dotum, vt historiæ patrem ac principem; postea
Thucydidem, qui omnes dicendi artificio faciliè
vicit. *Hanc, inquit, confectus est Philistus, Syracusius,
Dionysij 79. anni familiarissimus: orium suum in historia
conferenda consumpsit; maximeque Thucydidem est imi-
tatus.* Deinde enumerat Theopompum & Epho-
rum, Isocratis discipulos, Xenophontem Socra-
tis auditorem, Callisthenem Aristotelis discipu-
lum, qui æqualis fuit Alexandri Magni, resque e-
ius gestas conscripsit. Subdit etiam ibi Cicero:
*Natu, inquit, horum omnium minimus Timæus fuit, longè
eruditissimus, & verum copia, & sententiarum varietate
abundantissimus, & ipsa compositione verborum non impo-
litum.* Quinctilianus lib. 10. cap. 1. recenset historicos
Græcos, Herodotum, Thucydidem, Theopom-
pum, Philistum, Ephorum, Clitarchum, Timage-
nem, Xenophontem; & de his iudicium suum, &
sententiam profert.

Suidas ait, Cadmum Milesum, primum histo-
ricum è Græcis fuisse, & Orpheo paulò iunio-
rem, quem scripsisse ferunt libros quatuor de æ-
dificatione Mileti, & totius Ioniz prouinciz.

Acusilaus Argiuus, teste Iosepho libro primo con-
tra Apionem Grammaticum, fuit etiam è primis histo-
ricis Græcorum, ipse & Cadmus, de quo ante di-
xi: Scripsisse perhibentur paulò ante expeditio-
nem Persarum in Græcos.

Herodotus Hellanicus, Thucydides, teste Gel-
lio lib. 15. cap. 23. eiusdem temporibus fuerunt. *Nam
Hellanicus, inquit, in initio belli Peloponnesiaci fuisse quin-
que & sexaginta annos natum videtur. Herodotus tres et
quinquaginta.* Hæc Gellius. Diodorus libro 3. cap. 9.
ait Herodotum tempore Xerxis viguisse. Suidas
testatur, Hellanicum, & Herodotum vixisse tem-
pore Darij Hyttaspis filij, Thucydides verò scri-
bit, se sub Artaxerxe Logimano viuere. Plinius lib.
12. cap. 4. testatur, Herodotum scripsisse historiam
suam Thurijs in Italia anno ab vrbe condita 310.
Suidas: *Hellanicus, inquit, Mytilenæus versatus est cum
Herodoto apud Anyniam regem Macedonum, temporibus
Sophoclis & Euripidis poetarum, & cum Hecateo Milefio
congressus est, qui fuit tempore Persici belli, quique paulò
ante, vsque ad Perdica temporis peruenit.*

*Hecateum Milesum, teste Suida, Græcorum primum hi-
storiam scripsit; quem emulati sunt Herodotus Hellanicus,
& Thucydides. Vixit tempore Darij Hyttaspis filij, auditor
Protagoræ Sophistæ.* Hæc Suidas.

Xenophon Atheniensis Socratis discipulus,
scripsit lib. 8. de institutione Cyri iunioris, & de
rebus Græcorum lib. 7. descripsit primus vitas
Philosophorum, & eorum memorabilia dicta &
facta.

Xenophon alius historicus, teste Suida, scripsit
res Babylonicas, tempore Ptolemæi Lagi.

Xenophon Ephesius, vt ait idem Suidas, scripsit libros 10. de rebus Ephesiorum.

Xenophon Cyprius, scripsit de rebus Cypri. Suidas.

Theopompus Chius natus Olympiade 53. Isocratis discipulus, vt auctor est Suidas: Theopompus item, vt ait Diodorus *libr. 16.* Philippi res gestas conscripsit; & vt Suidas refert, eas scripsit *libris 72.* scripsit etiam *libros 11.* de ijs, quæ Græci gesserunt, incipiens à rebus, quæ acciderunt post historias à Thucydide conscriptas. Edidit tres libros, teste Diodoro *libro 16.* de ijs, quæ facta sunt in Sicilia, exorsus à tyrannide Dionysij senioris, & continuans historiam per spatium annorum 50. vsque ad casum Dionysij iunioris, qui è regno deiectus est.

Philistus Syracusanus, scripsit res Aegyptias *libris 11.* & res Siculas *libris 11.* & res Dionysij tyranni, *libris sex,* Aegyptiorum Theologiam *libris tribus.* Hæc Suidas.

Nearchus sub Alexandro Magno militauit, & de eo historiam scripsit, & de rebus Indicis. Suidas.

Megasthenes (non Metasthenes, vt finxit Ioan. Annius Viterbiensis) teste Plinio *libr. 6. cap. 17.* à Ptolomæo Philadelpho missus in Indiam, ritus, mores, vrbes, potentiamque Indorum scripsit.

Ctesias Gnidius, vt ait Diodorus *libr. 3. cap. 2. 4. 6.* scripsit res Nini & Semiramidis: medicus fuit Artaxerxis Mnemonis, & scripsit de rebus Syriacis, & Persicis *libros 23.* teste Suida.

Clitarchus Aristotelis discipulus, cum Alexandro Magno in Asiam profectus, teste Diodoro *libro 3. cap. 4.* res eius conscripsit.

Hecateus Abderita historicus, sub Alexandro Magno vixit; & cum Ptolomæo Lagi filio commoratus, vt ait Iosephus *libro primo* contra Apionem.

Berosus, non ille quem finxit Annius, sed ille, cuius meminit Iosephus, germanus & verus Chaldaeus, Belli sacerdos, tempore Alexandri Magni, & Ptolomæi Philadelphii Lagi filij, & Seleuci Nicanoris de rebus Assyriorum, & Chaldaeorum tres libros conscripsit, & deduxit historiam vsque ad Darium vltimum Persarum regem, ab Alexandro deuictum. Dicauit opus suum Antiocho Syriæ regi, Seleuci Nicanoris filio, vt ait Genebrardus in Chronico, ex Taciano in oratione contra Græcos: & quamuis genere Chaldaeus, Græcè scripsit.

Ephorus Cumæus, Isocratis auditor, condiscipulus Theopompi, teste Diodoro *libro 16.* Græcorum, & aliorum res gestas annorum ferme septingentorum quinquaginta, descripsit *libris triginta,* exorsus ab Heraclidarum reditu.

Diyllus Atheniensis, vt ibidem scribit Diodorus, sequentium temporum res literis mandauit, & principium scribendi sumpsit, vbi Ephorus finem fecerat. Scripsit *libros viginti septem,* de ijs quæ in Græcia & Sicilia acta sunt, vsque ad Philippi Macedonum regis obitum.

Callisthenes eodem tempore de Græcorum rebus scripsit, teste Diodoro *lib. 16.*

Callias Syracusanus, scripsit res gestas Agathoclis, Siciliæ tyranni: in quibus multa falsa confluxit, teste Suida.

Timæus Siculus, scripsit res Siculas, & Italicas *libris octo,* & de Syria, & eius urbibus, & regibus post Agathoclis Syracusanum, & Siciliæ regis mortem, tempore Ptolomæi Lagi filij, & Ptolomæi Philadelphii. Multa mentitur cum scribit de rebus Agathoclis: Hæc refert Suidas.

Polybius ex Megalopoli Arcadiæ vrbe, Scipionis Africani, vna cum Panærio præceptor, Romanam historiam conscripsit *libris 40.* Cuius postea historiam continuauit Possidonius Olbiopolita Sophista.

Possidonius Alexandrinus, post Polybium scripsit historiam *libris 52.* Suidas.

Timagenes Mileficus scripsit historiam de Heraclea Pontica, & de viris doctis eiusdem vrbes *libros quinque,* vt ait Suidas.

Demophilus Bphori filius, teste Diodoro *libro 16.* bellum, quod Græci sacrum vocant, & gestum est per vndecim annos, conscripsit.

Manethon res Aegyptiorum scripsit post Berofum: quas teste Eutebio in Chronico scribendo deduxit, vsque ad Artaxersem Ochum 11. Persarum regem, qui Aegyptum subegit.

Agatharchides Gnidius, scripsit de Regibus post Alexandrum Magnum in Syria regnantibus, vt tradit Suidas: cum itidem scripsisset de rebus Asiaticis, auctor est Diodorus *libro 4. cap. 1.*

Crateres Macedo ex Alexandri comitibus fuit, qui res ab illo gestas conscripsit.

Onesicritus scripsit res Alexandri Magni, Suida teste, fuisse classis Alexandri præfectum, ait Plin. *lib. 6. cap. 22.* scripsit de rebus Indicis, in quibus multa mentitur, vt ait Strabo *lib. 2.*

Hieronymus Cardianus genere Thrac, teste Suida, sub Ptolomæo Lagi filio, teste Iosepho *libro 1. contra Apionem,* scripsit historiam de ijs, qui Alexandro Magno successerunt, & vt ait Suidas, scripsit res gestas Alexandri.

Phlegon Trallæus libertus Augusti Cæsaris, scripsit Olympiades *libris 16.* qui vsque ad Olympiadem 229. res vbique gestas continet, Suidas.

Nicolaus Damascenus familiaris Herodis regis Iudæorum, & Augusti Cæsaris, scripsit historiam generalem *libris octoginta,* fuit Peripateticæ disciplinæ studiosus.

Dionysius Mileficus scripsit res Persicas post Darium gestas *libris 3.* teste Suida.

Dionysius Halicarnassensis res populi Romani Græcè scripsit vndecim *libris,* vixit tempore C. Iulij Cæsaris.

Callimachus, astricta & soluta oratione plurima scripsit; sunt eius libelli plures quam 300. vixit tempore Ptolomæi Philadelphii. Suidas.

Strabo Amassæus sub Augusto Cæsare, historiam Romanam post Polybium continuauit *47. libris.*

Philochorus fuit Atheniensis, scripsit de Attica, & de rebus Atheniensium *lib. 17.* vsque ad Antiochum tertium Syriæ regem, cognomèto Theon, vixit tempore Eucosthenis. Hæc Suidas.

Eucosthenes vixit tempore Ptolomæi Euergetis 1. vsque ad Ptolomæum Epiphaneum, scripsit philosophica, historiam, & poemata, de sectis Philosophorum, de Astronomia. Hæc Suidas.

Diodorus

Diodorus Siculus, sub Augusto Cæsare con-
scripsit libris 40. generalem historiam, quam Bi-
bliothecam nominavit. Suidas.

Pherecides Syrus historicus, floruit tempore
Artaxerxis Longimani Olymp. 81.

Charon Lampfacenus, tempore Darij Hystaf-
pis filij, & Xerxis Olymp. 75. floruit. Scripsit Ae-
thiopicæ & Persicæ res libris duobus. Res Græco-
rum gestas libris quatuor, Lybicæ itidē quatuor
libris. Originēs urbium libris duobus. De Lamp-
faco duos libros edidit. Suidas.

Charon Carthagenensis, descripsit tyrannos,
quotquot in Asia & Europa regnarunt; de illu-
stribus viris composuit quatuor libros, totidem
de illustribus fœminis. Suidas.

Charon Naucratica descripsit sacerdotes Ale-
xandrinis & Aegyptiis, & reges cuiuslibet gen-
tis, quorum res gestas veteres scriptores literis
prodiderunt. Scripsit etiam res Aegyptiacas.
Suidas.

Xanthus Sardinus, scripsit libros quatuor de
rebus Lydorum. Teste Suida.

Vixerunt quoque & floruerunt in hac æta-
te veteres Poëtæ Græci & Latini; præter Home-
rum & Hesiodum, qui fuerunt antiquiores. In
primis fuerunt illi nouem Lyrici Poëtæ, tan-
quam nouem Musæ Græcæ. Pindarus Thebanus
Olympiad. teste Eusebio in *Chronico*, 76. quo tem-
pore Xerxes regnabat in Perside, & Romanorum
rex Tarquinius Superbus, erat vrbe eiectus &
pulsus.

Simonides Cæus fuit eodem tempore, quo Pin-
darus, teste Eusebio, quod etiam Suida tradit.

Stesichorus Siculus, vixit ab Olymp. 37. vsque
ad Olympiadem 57. Eusebius. Suidas.

Ibycus fuit Olymp. 55. quo tempore Cræsus
regnabat in Lydia, & Cyrus in Perside.

Alcman fuit Olymp. 43. vt testatur Euse-
bius, refert quoque Suidas.

Bacchylides Olymp. 81. teste Eusebio in *Chro-
nico*, fuit Bacchylides genere Lydus. Ibycus Rhe-
ginus. Alcman Lydius.

Anacreon Teius Olymp. 61. secundum Eu-
sebius in *Chronico*.

Alcæus Mityleneus Olymp. 43. eodem tem-
pore quo Alcman.

Sapho Lesbica Olymp. 44. Hi omnes nouem
Lyrici poëtæ Græci fuerunt fere æquales. nam vi-
xisse perhibentur ab Olymp. 37. vsque ad O-
lympiadem 81.

Hyponax Ephesus vixit Olymp. 60. Sui-
das. *Plin. lib. 36. cap. 5.* fuit poëta Iambicus, à quo Hip-
ponasticum carmen Iambicum.

Glycon, à quo Glyconicum carmen. Afelepi-
des, à quo carmen Afelepiadem.

Phalæcus, à quo carmen Phalæcium.

Fuerunt & alij septem Græci poëtæ, à numero
Pleiadum dicti poëte Pleiades, quasi septem stel-
læ Pleiades, eo quod fere eodem tempore vixe-
runt, videlicet Theocritus Syracusanus, Nican-
der Colophonius, Callimachus Cyrenæus, Apol-
lonius Rhodius, Homerus iunior Myrus, Aratus
Cilicus, Lycophron Chalcidensis. Hi omnes flo-
ruerunt sub Ptolemæo Lagi filio, & Ptolemæo
Philadelpho, & Ptolemæo Euergete, huius no-
minis primo.

Mofchus Siculus scripsit post Theocritum Bu-
colica, & ita in Bucolicis secundum locum tenet.

Bion Smyrneus post Theocritum & Mofchum
Bucolica scripsit, & ei in Bucolicis tertia palma
defertur.

Fuerunt quoque sub Ptolemæo Philadelpho,
vt ait Hæ phestion Grammaticus in Enchiridio;
Sofitheus; Alexander, Antiades, Sofiphanes poë-
tæ Græci.

Heroici poëtæ fuerunt Tirthæus Atheniensis
Olympiad. 35. Empedocles Agrigentinus, Panya-
sis Halicarnaseus Olymp. 78. Theognis Megaren-
sis Olymp. 60. P hocylides Milefius Olymp. 60.
Antimachus Colophonius Olymp. 90. Chœril-
lus Samius Olymp. 75.

Pyfander Rhodius Olymp. 33. Lesches Lesbius
Olympiade 30. Alcmeon Olympiade 30. Prodi-
cus Phocæus tempore Ptolemæi Philadelphi,
Hippias Eliensis Olympiade 85.

Fuerunt etiam in hac ætate Græci poëtæ Tra-
gici & Comici. Tragicus quidem Sophocles Athe-
niensis, antiquior Socrate, Olympiade 75.

Aeschylus Atheniensis, vixit Olympiade 70.
secundum Eusebium in *Chronico*. tempore pugnae
Marathonia, vt ait Gellius lib. 17. cap. 21.

Euripides Salaminus Olympiad. 75. auditor
Anaxagoræ.

Aristarchus, scripsit Tragedias 70. teste Sui-
da, vixit Olympiade 81.

Achæus Eretrienfis, scripsit Tragedias 44. O-
lympiade 34. Suidas.

Aristophanes Comicus Atheniensis, vixit eo-
dem tempore, quo Xerxes regnabat in Perside.

Menander Comicus Atheniensis, scripsit Co-
mædias 108. vixit sub Ptolemæo Lagi filio.

Eupolis Comicus Atheniensis, Olympiade 38.
scripsit Comædias 17.

Cratinus Comicus Atheniensis, composuit
Comædias 22. floruit Olymp. 81.

Archilochus Iambicus Poëta, vixit Olympi-
ade 28. secundum Eusebium in *Chronico*, & vt
ait Gellius lib. 17. cap. 21. regnante Tullo Hostilio
Romæ.

Inter Latinos fuerunt poëtæ Comici, Liuius
Auedronicus, C. Nænius Campanus, M. Actius
P lautus Vmber, Stadius Cæcilius, P. Terentius
Afer. Tragicus M. Pacuvius Brundusinus, L. Actius.
Heroici, Q. Ennius, T. Lucretius. Hi omnes florue-
runt ijs temporibus, quibus Romani punica bel-
la gesserunt, & aliqui eorum paulo post.

Fuerunt quoque Latini scriptores historici in
hac ætate, quorum tamen scripta perierunt. M.
Varro, Sulpitius Gallus, Q. Tubero, L. Piso, Cor-
nelius Nepos, Cato Cenforius, M. Agrippa, Higi-
nus, Fabius Pictor, Atteius Capito.

Fuerunt etiam plurimi Pictores insignes, quos
enumerat P linus lib. 35. cap. 10. inter quos excel-
luisse perhibentur Apelles, P rotegenes, Zeufis,
P arthasius, P olygnotus, Aglaophon, Timago-
ras, Mycon.

Floruerunt Sculptores celebres, de quibus P li-
nius lib. 36. cap. 4. inter quos nobiliores fuerunt
P hidias, P raxiteles, P olycletus, Lyfippus, Brya-
xis, Myron, P amphilus.

Floruerunt mathematici, Astrologi, Musici,

Imperatores, & duces belli, quos omnes silentio in praesentia praetereo.

Omnis Philosophorum Schola, coepit etiam hac aetate, & fere post quinquagesimam, vel saltem post quadragesimam Olympiadem: quoniam temporibus Croesi Lydorum regis, & Cypri regis Persarum, Romae regnante Tarquinio Prisco, vel Servio Tullo, floruisse dicuntur, ut constat ex Laertio *lib. 1. de vit. Philosoph.* & Agellio *lib. 17. cap. 21.* septem Graeciae Sapientes, qui fuerunt omnium Philosophorum primi; videlicet Thales Milesius, qui vivebat, teste Plinio *lib. 2. cap. 12.* Olympiade 48. anno urbis conditae 170. quamvis Augustin. *lib. 18. de ciuit. cap. 24.* dicat eum fuisse Romulo regnante, Solon Atheniensis, Chilon Lacedaemonius, Pittacus Mityleneus, Bias Priensis, Cleobulus Lyndius, Periander Corinthius. Horum aequales ex eodem Laertio, fuisse etiam dicuntur Pherecydes Syrus, Pisistratus Atheniensis, Epimenides Cretensis, Anacharsis Scythia, Myllon Cheneus. Olympiade quadragesima, Draco Atheniensibus leges tulit, Romae dominante Anco Martio, teste Eusebio in Chronico. Quos subsequuti sunt Philosophi duplex Philosophiae genus professi, teste eodem Laertio, teste quoque Augustino *lib. de ciuitat. S. cap. 2.* Ionium, & Italicum. Ionica philosophia coepit à Thalete Milesio, & ab Anaximandro itidem Milesio, qui fuit Thaletis discipulus. Eodem tempore coepit Italica philosophia à Pythagora Samio, qui fuit Pherecydis auditor, & vivebat ut ait Plinius *lib. 2. cap. 8.* Olympiade 42. & teste Dionysio *lib. 2.* docuit in Italia post Olympiadem 50. Nam sicut Thales Milesius, Myleto urbe Ioniae multos docuit, sic Pythagoras in ea parte Italiae, quae dicta est Magna Graecia, Italicam philosophiam fertur docuisse quam plurimos, ex quibus sunt Telanges, Xenophanes, Epicharmus, Architas, Parmenides, Melissus, Zeno Eleates, Heraclitus, Leucippus, Democritus, Empedocles, Nausiphanes, Naucides, Alcmaeon, Hippasus, Philolaus, Eudoxus, Protagoras, Diogenes, Apolloniatas, Anaxarchus, Pyrrhon, Timon: quos omnes refert Laertius.

Ionice philosophati sunt post Thaletem, teste Laertio, Anaximander Thaletis discipulus, cui successit Anaximenes Milesius, & huic Anaxagoras Clazomenius, quem audiuit Archelaus, qui Athenas ex Ionia philosophiam transtulit, & huius discipulus fuit Socrates.

Porro cum caeteri omnes Philosophi, de natura potius, quam de moribus disputassent, ut ait Cicero *libro primo Academ. question.* Socrates primus totam naturalem illam philosophiam ad mores conuertit: quo factum est, ut diuersae Philosophorum sectae prodierint, prout variae ipsi Philosophi de Finibus bonorum & malorum disputare coeperunt. Ex Platone Socratis discipulo nati sunt Academici veteres, medij, & noui.

Platoni in Academia successit, teste Cicero, Speusippus, Xenocrates, Chalcedonius, Polemon, Crantor, Crates Atheniensis: qui omnes fuerunt ex Academia vetere, quos deinde subsecutus est Arcefilas mediae Academiae inuentor, ut testatur Cicero. *lib. 2. Academ. question.* post

hunc Lacides Cyrenaeus nouae Academiae auditor & magister: tum Euander, Egeus, Carneades, Clitomachus Carthagenensis, Philo, Antiochus. Socratis item auditor fuit Aristhenes, Cynicae sectae institutor, unde Stoici nati & profecti sunt, Aristhenem audiuit Diogenes Cynicus, & hunc Monimus Syracusanus, Onesicritus, Metrocles, Menippus, Menedemus, Crates Thebanus: hi omnes Cynici fuerunt. Porro Cratem Thebanum audiuit Zeno Citricus, à quo dicti sunt Stoici, eo quod Zeno ab Academicis diuisus, in Stoa porticu docere coepit. Inde Cleanthes, Chrysisippus, & Panatius Rhodius, cuius auditor fuit Possidonius. Et Romae sub Augusto Caesare multi Stoicorum dogma sequebantur: quamvis eodem etiam tempore multi quoque in urbe erant Epicurei, ex quibus non pauci prodierunt Aethi. Socratis praeterea discipulus fuit Aristippus Cyrenaeus, unde impura, vel potius belluina Epicureorum secta orta manuit, quae ab Epicuro, tempore Alexandri Magni, tamquam praecipua & insigni eius patrono nomen accepit. Item Aristoteles verò in Lyceo altero gymnasio, qui quoniam deambulando docebat, fecit ut eius disciplinae sectatores, Peripatetici dicerentur. Aristotelem audiuit Theophrastus Ephesius. Hunc audiuit Strato Lampfacenus, Lyco Troadensis, Demetrius Phalereus, Heraclides Ponticus. Omnes huiusmodi Philosophorum sectae, usque ad Augusti, & aliorum Imperatorum proximè sequentium tempora perseuerarunt, ita ut inter Romanos ipsos alij Academici, alij Stoici, alij Epicurei, alij Peripatetici fuerint: plures quidem Epicurei, multi Stoici, non parui Academici, sed rari Peripatetici.

Secundò quaeritur, Quo pacto breuiter redigi possint in ordinem ea omnia, quae in vetere Hebraeorum populo contigerunt à captiuitate Babylonica usque ad Christi Domini aduentum. In primis Dei populus seruauit Babylonij regibus Nabuchodonosor, Euilmerodach filio eius, & Balchazar nepoti ex ipso Euilmerodach, usque ad Cyrum ipsum primum Persarum regem annis 70. 2. Paralip. 36.

Primo anno Nabuchodonosoris, qui incidit in annum tertium regis Ioachim, ductus est captiuus Daniel adhuc puer in Babyloniam, vna cum alijs tribus pueris, Anania, Misael, & Azaria: quibus in Babylonia captiuus acciderunt ea, quae primo capite Danielis referuntur: & per idem ferè tempus contigerunt ea, quae narrantur Danielis capite decimo tertio de iudicio, in quo Susanna diuino Danielis adhuc pueri consilio à falso testimonio & calumnia iniquorum senum liberata est. Annum quidem eiusmodi incertum puto, factum tamen id à puero Daniele, ex ipsa historia compertum est.

Anno secundo Nabuchodonosoris, somnium, quod ipse Nabuchodonosor viderat, interpretatus est Daniel. Viderat rex statum capite aureo, brachijs argenteis, ventre, & femoribus aereis, cruribus

curibus ferreis, quæ in pedes partim ferreos, partim fideles definebat: sed quod ferreum, cum eo quod fidele erat, coire non poterat, ad extremum, statum & omnia, de monte abscissus lapis sine manibus, contriuit, quæ in puluerem redacta, planè euauerunt.

Anno alio (non constat quotos ille fuerit regni Nabuchodonosoris annus) contigerunt quæ narrantur capite Danielis tertio.

Deinde euenerunt, quæ capite Danielis quarto recensentur. nam in insaniam deueniens Nabuchodonosor ob iactantiam & superbiam suam, quæ virtutem sibi diuinam arrogabat impius, è sceptro & regno deiectus, & ab hominum frequentia remotus, herbis, belluarum more, vitam suam septennio sustentauit. Donec sibi ipsi pristinaque menti restitutus, agensque penitentiam, diuino nutu seruatum suum regnum recuperauit. Regnauit Nabuchodonosor annis quadraginta quinque, & post eum Euilmerodac filius eius viginti tribus annis, cui postea successit Balthasar filius ipsius Euilmerodac, nepotique Nabuchodonosoris.

Anno primo Balthasaris, Daniel vidit id, quod habetur capit. 7. suæ prophetiæ, de quatuor bestijs sibi succedentibus, læna, vrlo, pardò, & alia quædam bestia vultu formidabili & mirabili, cornua decem habenti, è quibus prodibat aliud paruum cornu, quod tria alia cornua contriuit, quodque sese audacter contra Deum erexit: quod quidem vitium, fuit figura & typos quatuor regnorum potentissimorum, sub quibus erat Dei populus multa mala passurus, videlicet, sub regno Chaldæorum, Medorum, Persarum, & Græcorum; ex imperio enim Græcorum ortus est Antiochus Epiphaneus, qui populum Iudæorum vehementer afflixit, vt conitat ex Machabæorum libris.

Anno tertio regni Balthasaris, visum aliud Danieli ostensum est de duobus arietibus, quorum vnus contra occidentem, aquilonem, & meridiem pugnabat: quæ visio significabat, regnum Persarum, & regnum Græcorum, & ex regno Græcorum oriturum Antiochum, qui erat Dei populum persecuturus.

Capite 5. refert propheta visum, quod diuinitus est ostensum Balthasari de digitis in pariete scriptentibus: quod deinde ipse Daniel est interpretatus.

Capite 6. refertur quo modo Darius Medus, qui Balthasari regnum eripuerat, Danielem toti suæ ditioni & regno præposuerit, quem admodum & Nabuchodonosor fecerat, & Balthasar veste purpurea, & torque aureo donatum, tertium regni principem constituerat. Sed apud regem Darium Daniel accusatus ab æmulis, coniectus est in lacum leonum, propterea quod noluit diuinos honores regi deferre; inde tamen diuinitus liberatus est, & accusatores eius miserè à leonibus lacerati perire, rege iubente.

Anno primo eiusdem regis, visum quoddam est Danieli diuinitus ostensum, quo patefacta fuit 70. hebdomada, idque cap. 9. refertur. Constat porro illæ hebdomadæ annos quadringentos nonaginta; harumque initium quidam accipiunt, à primo anno Cyri, quo soluta est Iu-

dæorū captiuitas; alij, à sexto anno Darij Hyfaspis, quo p̄fecta est templi ædificatio; plerique ab an. 20. Artaxerxis Longimani, cum data est Nehemiæ facultas, vt urbem restauraret. Finitur verò quidam hebdomadas in baptismo Christi, alij in morte eius; alij in excidio templi, sub Vespasiano & Tito.

Anno tertio Cyri regis Persarum, cōtigerunt quæ narrantur Dan. ca. 10. & deinde Dan. ca. 12. refert quæ ventura sunt, quæque patietur Ecclesia Dei sub Antichristo, in nefario & impio Antiocho Epiphane, typicè adumbrato per tempus & tempora, & dimidium temporis, hoc est, per annum & duos annos, & dimidium anni, siue, per dies mille ducentos nonaginta, hoc est, per tres annos & sex menses: cuius Antichristi præcessit typus & figura in Antiocho Epiphane, sub quo profanatum est templum tribus annis, & mensibus sex, vt significauit Dan. cap. 12.

Tandem Dan. cap. 14. narrat, quo pacto ipse coram rege Cyro Beli sacerdotes falsi conuicerit, mentientes Beli simulacrum ijs cibis vesci, quos populus offerebat, & apponebat in templo.

Ezechiel vnâ cum Iechonia rege captus est, & translatus in Babyloniam octauo anno Nabuchodonosoris, vbi futura præuidit plurimam, è quibus illud est in primis, quo modo esset obsidenda à Chaldæis Hierosolyma, capienda, & templum ipse exurendum: quæ omnia ad vnum postea euenerunt anno 11. Sedechiæ regis, qui fuit annus 19. Nabuchodonosoris.

Cap. igitur 1. Anno 5. transmigrationis, & 30. ætatis Ezechielis, vidit Ezechiel Dei Maiestatem in magnifico curru venientem; hoc est, vidit Deum venientem tanquam iudicem, vt sui populi peccata puniret.

Deinde ca. 3. & 4. prædicat urbem obsidendam. Cap. 5. eam capiendam: à cap. 6. vsque ad 12. vaticinatur contra montes Israelis, hoc est, contra principes & primarios viros, in quos populariū peccata referuntur.

Cap. 13. & 14. contra falsos Israelis prophetas, hoc est, contra falsos diuini. Verbi interpretes & nuncios, qui cum populi peccata reprehendere deberent, eis conuiebant. Cap. 15. contra ipsum Iudæorum regem, eo quod populum in officio continendum non curabat, grauitè inuicitur. A cap. 16. vsque ad 19. contra omnes Hierosolymitanos ciues. Cap. 20. vsque ad 24. agit contra seniores Israelis: quorum etiam erat communi populi saluti consulere. Capit. 25. contra filios Ammon. Cap. 26. 27. & 28. contra regem Tyri. A cap. 29. vsque ad 32. contra regem Aegypti: contra hos, inquam, omnes, videlicet Ammonitas, Tyrios, & Aegyptios vaticinatur, admonens ac denunciens eos mala passuros, eo quod Dei populum persequerentur, deque eius calamitatibus & malis gauderent. Cap. 33. iterum vaticinatur contra ciues & habitatores Hierusalem, quod se se multis peccatis & sceleribus obstringerent.

Cap. 34. vsque ad 36. aduersus pastores Israelis, hoc est, contra sacerdotes, vt qui officium sibi commissum negligenter, & male gererent. Cap. 37. restitutionem & reditum Iudæorum captiuorum in patriam, prædicat futurum instar ge-

neralis omnium hominum in fine seculi resurrectionis: ita ut sicut mortui mirabili Dei virtute & potestate reuicturi sunt, sic Iudæi, qui in Babylone captiui & penè mortui erant, essent ad patriam quasi ad vitam læti, atque afacres redituri. Cap. 38. & 39. vaticinatur contra Gog & Magog. Quos verò intelligat Ezechiel his nominibus, dubiæ quæstionis est, quidam putant locutum esse Ezechielem de Turcis & Saracenis Christiani nominis & religionis hostibus. Alij totum prophetæ vaticinium ad Antichristum, & eius affectus referunt: alij, ad Romanos, qui sub Vespasiano & Tito, Hierosolymitanum templum diruerunt, & Iudæos per totum terrarum orbem dispergendo plurimum afflixerunt ac vexarunt. A cap. 40. vsque ad 48. prædicit quàm præclarè esset templum iterum exædificandum.

Porro, ut ad Cyrum Persarum regem reuertamur, hic anno primo, quo videlicet Babylonijs, siue Chaldæis, Medis, & Persis, & Assyrijs imperare cœpit, fecit potestatem Iudæis in patriam redeundi, & ædificandi Hierosolymis templum, quod fuerat à Chaldæis igne exustum: ita tamen, ut in ditione sua & imperio essent, & ei tributum in annos singulos penderent. Remisit igitur in Iudæam populum, duce Zorobabele.

Iudæis in patriam reuersis, erat summus sacerdos Iesus filius Iosedec, ex genere & familia Aaron: qui Iesus in Iudæam reducto, altare primum est Domino erectum mense 7. ab eorum reditu in urbem Hierosolymam, ut scribitur 1. Esdr. 3. Anno secundo, templi fundamenta iacta sunt: sed ne eiusmodi ædificatio perficeretur, vicini hostes impediunt, qui Samariam incolebant. Impeditum est opus toto tempore, quo vixit Cyrus: quo mortuo, illud opus repetitum fuit. Sed Cambyfes Cyri filius, qui 1. Esdr. 4. num. 6. vocatur Assuerus Hebræorum more, sed Persico, num. 7. dicitur Artaxerxes, eorumdem hostium dolo & malignitate inductus, prohibuit continuari & absolui. Quare impedita est ædificatio templi toto tempore Cambyfis regis, vsque ad annum secundum Darij regis Persarum, uti dicitur ad finem cap. 4. in lib. 1. Esdr. Tandem, eodem Iesu pontifice, eodemque duce Zorobabele, data est Iudæis potestas à Darij Hystaspis filio, qui cap. 6. lib. 1. Esdr. dicitur Darius, & Cambyst, post Magorum fratrum interitum successerat, ac tum demum perfecta est, & completa templi ædificatio, anno 6. Darij regis Persarum. 1. Esdr. 6. nu. 15. Dedicatum est templum Domino Deo, & solempne pascha celebratum. 1. Esdr. 6. Iesus porro vita functus est, cum pontificatum annis quinquaginta sex gessisset: cui successit filius eius Ioachim.

Ioachimo pontificatum gerente, Iudith illustris foemina, de Holoferne duce exercitus Nabuchodonosoris, qui regnabat in Ninive, nobilissimam illam victoriam, qualem in libro eius descriptam legimus, reportauit. Nam quamuis Genebrardus in Chronico putet hanc historiam Iudith contigisse tempore Nabuchodonosoris magni Babylonijs, & Sulpitius lib. 2. histor. sac. æ. existimet accidisse in tempore Artaxerxis Ochi regis Persarum: constans est tamen omnium

opinio, accidisse tempore quo dixi. Scribit August. lib. de ciuit. 18. cap. 26. imperante Cyro, aut iam Cambyse regnante in Perside, gesta esse, quæ in præfato libro Iudith commemoratur: quæ fuit veterum scriptorum sententia: quæ duobus argumentis, potissimum confirmari videtur: vnum est, quod Achior, ut in ipso libro legimus cap. 5. loquens ad Holofernem de Iudæis, dixit: *Nuper autem reuersi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hec omnia, & iterum possident Hierusalem, ubi sunt Sancti Sanctorum.* Alterum argumentum est, quod in eadem historia dicitur pontifex esse Ioachim. Sed post reditum Iudæorum in patriam, nullus alius fuit pontifex nomine Ioachim, nisi filius Iosedec. At eo tempore, inquit, nullum erat Templum extructum, cuius tamen fit mentio in libro Iudith. Respondeo, fuisse iam altare Domino erectum, & Templi fundamenta iacta. Deinde, quæ narratur cap. 4. & 5. solum indicant orasse Iudæos conuersos ad faciem Domini, quod ideo dictum est, quia orantes se conuertebant ad locum, ubi steterat arca Domini: & quia ædificatio templi, cœpta erat, & erat Domino creditum altare. Si secundo dicas: Reges Persarum tunc Chaldæis & Babylonijs imperabant, quo modo igitur in Chaldæa regnabat Nabuchodonosor? quo modo item Nabuchodonosor dicitur rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive ciuitate magna? & quo modo vicerat, & sibi subiecerat Arphaxad regem Medorum? & quo modo misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano, ut ipsi parerent; cum hæc omnia loca & prouinciæ essent sub ditione regis Persarum: quo modo item res gerebatur consilio & imperio pontificis, non ducis Iudæorum? Respondeo, nihil hæc ob stare; nam Iustino teste, Assyrij iam defecerant à Persis, & Babylonijs occupauerant: quod fortè accidit; dum Cyrus bello Scythico, & Cambyles Aegypto detineretur. Assyrij enim cupientes rem suam in pristinum statum reducere, deficiuerunt à Persis, & bello Babylonijs ceperunt, & ibi regem ex genere Chaldæorum sibi crearunt, qui dicitur esse Nabuchodonosor, vel quia nomen hoc erat eius gentis regibus commune, vel fortè quia eo nomine rex ille appellabatur. Fortassis etiam genus ex primo Nabuchodonosore Babylonijs rege ducebat, qui tempore Ioachim regis Iuda Assyrios sibi subiecerat. Dum verò Assyrij defecerunt à Persis, deficiuerunt & Medi, constituto sibi rege Arphaxad: qui quidem duo reges de iure & potestate regnorum, inter se armis decertarunt: sed victi Medi Assyrijs celsere: & tunc Nabuchodonosor rex Assyriorum parta victoria, misit ad omnes gentes in Cilicia, Damasco, & Palæstina, ut ipsum Dominum suum, & regem agnoscerent, paulo verò post Darij Hystaspis filius opera Zopyri, Babylonijs in suam potestatem redegit, & deuicit Assyrios, teste Augustino, & Orofio, & alijs. Nec mirum est, rem totam gestam esse imperio pontificis, quoniam dux Hebræorum creditur probabiliter abfuisse tunc temporis à Iudæa. Non probo sententiam Cæsi libro 11. de locis Theolog. cap. sexto, dicentis historiam Iudith accidisse tempore Manassis regis Iudæorum: tunc

1. Esdr. 2. 6. 3.

1. Esdr. 2. 6. Nebi. 12.

Indit.

Esdr.

euim

entim rex ipse, non pontifex, communi populi salute proficeret: rex enim rempublicam regerat.

Ioachim gessit pontificatum annis octo absente patre: eo mortuo, annis quadraginta octo: cui postea successit filius eius Eliafib.

Huius pontificis tempore, Nehemias missus est ab Artaxerxe Longimano rege Persarum Hierosolymam, ut urbem restauraret: qui intra 12. annorum spatium absoluit opus. Ab Artaxerxe videlicet Longimano, missus quoque fuerat Esdras, ut Dei legem restitueret, ut refert idem 1. Esdr. cap. 7. Sed in dubium vertitur, quis fuerit iste Artaxerxes Persarum rex. Constat enim veterum opinio, eum fuisse Artaxerxem Longimanum. De quo 1. Esdr. 7. & 8. & 2. Esdr. 2. 5. & 13.

Eliafib, Ioachim filius, pontificatum gessit annis vno & viginti, & duces fuerunt Resah filius Zorobabelis, & Ioanam filius Resah.

Eliafib mortuo successit in pontificatu Ioiada filius eius, & tunc temporis populus Iudeorum per totum Persarum imperium dispersus, liberatus est a cæde, quam molitus apud Assuerum fuerat Aman. Accidit igitur tota ea historia, quæ refertur in libro Esther. Sed dubiæ quæstionis est quinam fuerit rex ille Assuerus, de quo in libro Esther, quis item fuerit Artaxerxes ille, de quo sermo est in eodem libro cap. 11. 12. 13. & 16. Canus lib. 1. de locis Theolog. cap. 6. ad 9. censet illum regem fuisse, vel Altyagem Medorum regem, annum Cyri regis Persarum, vel Cyxerem regem Medorum patrem Astyagis. Sed communis fuit semper veterum & recentiorum Scriptorum sententia, eum regem Assuerum fuisse Artaxerxem Longimanum, regem Persarum, quem profani Scriptores vocant Artaxerxem: Hebræi verò Assuerum. Vnum ob stare videtur; nam Esther 11. Mardochæus dicitur fuisse de eo numero captiuorum, quos transfudit Nabuchodonosor rex Babylonis de Hierusalem, cum Iechonia rege Iudeæ, & eo Mardochæi ætas, & res ab eo præclare gesse dissentiant omnino cum sententia communis: nam vel non potuit ad tempus Artaxerxis Longimani Mardochæus peruenire, vel in tam præcæta ætate non potuit ea gerere, quæ in libro Esther memorantur. Respondeo, Mardochæum dici esse de eo numero captiuorum, qui fuerunt in Babylonem translati, quia genitrix dicitur ex his parentibus, qui fuerant translati: genitrix fuerat in Babylone, & eius parentes fuerant captiui abducti in Babylonem. Quidam putant Assuerum illum fuisse Artaxerxem Mnemonem: sed mihi magis probatur communis, quam dixi, sententia; & existimo quoque Artaxerxem illum, de quo in libro Esther cap. 11. 12. 13. & 16. fuisse Artaxerxem Longimanum, cuius tempore vixit Mardochæus.

Fuit in pontificatu Ioiada annis viginti quatuor, ei quoque successit filius eius, Ionathan: qui totidem annis gessit pontificatum.

Iaddus successit in pontificatu patri suo Ionathæ, & dux erat Iudas Hyrcanus filius Ioanam ducis; cuius Pontificis anno octauo, Alexander rex Macedo deuictus Dario ultimo rege Persarum, venit in Iudæam: cui obuiam processit, vnâ cum populo ipse Iaddus pontifex, teste Iosepho lib. 11.

Antiquit. cap. 8. Subditiōe Græcorum fuit populus Iudæorum annis 189. eadem conditione, qua fuerat sub imperio Persarum: videlicet regibus Græcorum tributum annuum soluebat: sed Reipublicæ administratio erat penes pontifices ac duces, ac suis legibus & institutis vivebat.

Onias Iaddi filius in pontificatu successit, & fuit sub Ptolemæo Lagi Aegypti rege post obitum Alexandri, hic rex Ptolemæus Iudæam armis occupauit, & multos Iudæorum in Aegyptum captiuos abduxit. Vixit autem Onias in pontificatu annis 27.

Simon nepos Oniæ successit, & pontificatum gessit annis 23.

Eliazarus Simonis frater in pontificatu succedens, eum pontificatum gessit annis 20. quo tempore Ptolemæus Philadelphus Ptolemæi Lagi filius, populum Iudæorum soluta captiuitate in patriam remisit, & Sacra Biblia in Græcum sermonem conuertenda, per septuaginta duos Interpretes curauit.

Manasses Eleazarum patrum pontificatum rexit annis 27. partim sub Ptolemæo Philadelpho, partim sub Ptolemæo Euergete.

Simon Iustus honoratus à magno Antiocho, successit in pontificatu: vixit sub Ptolemæo Euergete, huius nominis primo, & sub Ptolemæo Philopatore: quo tempore Antiochus ille magnus, & VI. Syriæ rex Ptolemæum Philopatorum spoliavit Iudææ regno, sed illud rursus recuperavit Ptolemæus Epiphanes, quem Iudæa iterum spoliavit Antiochus. Sed data demum in matrimonium Cleopatra Ptolemæo Epiphani, Antiochus partem tributorum, quam pendebant Iudæi, dotis nomine, Epiphani tribuit, & partem sibi retinuit: at verò Iudææ possessio penes ipsum Antiochum mansit. Ex quo tempore Iudæorum populus fuit regibus Syriæ subiectus. Simon verò cum in Pontificatu vixisset annis vigintiocto, successorem reliquit Oniam filium.

Onias pontifex vixit sub Seleuco Philopatore Antiochi Magni filio, & Antiochi Epiphani, seu Illustris patre: quo tempore turbati cœperunt pontificatus, ortis seditionibus ob quosdam, qui ad pontificatum ambitiosè aspirabant: nam Iason Oniæ pontificis frater, & Menelaus Simonis iusti frater, pontificatum auidè cupiebant, Iason deturbato à pontificatu Onia fratre suo, tributum quod regi Antiocho Epiphani soluebatur, auxit: nam in singulos annos promisit talentorum tria millia sexcenta sexaginta: pontificatum obtinuit, Deique populum nefariè & impiè ad Gentilium ritus transferendum curauit, ut pontificatum, quem malis artibus acquisierat, conciliatis sibi plurimus, qui ad ritus Gentium aspirabant, confirmaret magis. Quia in re plurimum est adiutus ab Antiocho Epiphane, qui urbem Hierosolymam ante vastatam, gentem deleuerat, templum diripuerat, atque polluerat, & Iudæos DEI leges, patriæque & auita instituta deserere, & Gentium more vivere compulerat. Tunc sacerdos Matthatias dicitur Assamonæus, ab Assamonæo proauo, cum ea damna, & iniurias ferre non posset, diuinæ legis studio & amore inflammatus, arre-

2. Mach. 4
Iose. lib. 12.
antiq. c. 5.

1. Mach. 2.
Iose. lib. 12.
cap. 7.

ptis ar-

ptis armis, vñ cum quinque filijs, propinquis, & alijs, eas iniurias vlcisci constanter & fortiter coepit. Post cuius obitum vniuersi, qui se illi & filijs adiunxerant, designatum iam ante à patre Iudam cognominatum Machabæum ipsius Mathathææ filium creauerunt populi ducem ad gerenda cum hostibus bella.

Post Iasonem pontificatu pulsus, fuit pontifex frater eius Menelaus, qui in pontificatu vixit annis duodecim.

1. Mach. 7.

Iudas Machabæus Mathathææ fili⁹, dux & princeps tantum populi fuit, cui annis quinque præfuit. Ac multa quidem ille bella constanter, præclare, ac feliciter confecit: primum cum Apollonio duce Antiochi, quem vicit, & interemit. 1. Machab. 3.

Secundum bellum gessit Iudas contra Seronem, vt ibidem commemoratur.

Tertium contra Lyfiæ duces, & exercitū, quos etiam profligauit, ac vicit. 1. Machab. 4.

Quartum cum ipsomet Lyfia Antiochi duce; quem etiam debellauit: ibidem, postea templum mundauit, quod Antiochus ille Epiphanes tribus annis, & sex mensibus antè polluerat.

Quintum eius bellum fuit contra Idumæos, quos etiam debellauit. 1. Machab. 6.

Sextum cum Ammonitis, quos etiam superauit: eodem lib. & cap.

Septimum, cum Timotheo, & Galaaditis, de quibus victoriam reportauit. *Ibid.*

Octauum contra Gentes, quæ erant in Samaria, quas omnes sibi subiecit.

Nonum, iterum cum Lyfia, quem etiam victū, turpiter fugere coegit.

Decimum, cum rege Antiocho Philopatore, & eius exercitu, quod bellum, eodem, quo diximus, capite narratur.

Vndecimum cū Demetrio rege Syriæ, & cum ducebus Bacchide & Alcymo, de quo bello 1. Machabæorum 7.

Duodecimū cū Nicanore duce Demetrii. *Ibid.*

Decimūtertium, cum eodem Bacchide & Alcymo Iudas bellum commisit: in quo & cecidit, postquā strenuè & acriter decertarat. 1. Machab. 9.

Sub Antiocho Epiphane passi sunt septem Machabæi fratres; qui omnes cum Dei legem, & maiorum instituta violare, multis supplicijs & tormentis cogentur, mori maluerunt, & ad extremum mater, quæ fuerat filios ad supplicia fortiter pro patrijs legibus ferenda, virili planè animo cohortata, eodem cum illis supplicio affecta & consummata est, vt 2. Machabæor. 7. perhibetur. Hi fratres Machabæi appellati sunt, siue quod ex genere Machabæorum genus & originem duxerint; siue quod eorū supplicia, & mortes Historia Machabæorum retulerit; atque commemorarit.

1. Mac. 10.
11. & 12.

Jonathan fratrem Iudæ Machabæi, populus Iudæorum, in fratris locum, principem ac ducem creauit. Fuit hic, princeps simul & pontifex appellatus ab Alexandro Antiochi Epiphanis filio, rege Syriæ: remissionem tributorum à Demetrio juniore impetrauit: sed tandem dolo Tryphonis regnum affectantis, Ptolemaide captus, cum duobus filijs interfectus est. Gessit pontificatum, & principatum annis decem & octo.

Simon, Ionathæ frater, princeps simul & pontifex, successit: arcem Hierosolymæ ab hostibus recepit: Iudæos in veterem libertatem vindicauit, propagatis sui principatus finibus, renouata amicitia cum Spartiatis & Romanis, cum annos octo in pontificatu & principatu vixisset, dolo interceptus in conuiuium est à genero Ptolemæi, qui principatum ambitione affectabat, in quo tamen Ioannes Hyrcanus, ipsius Simonis filius successit.

Ioannes Hyrcanus, princeps simul & pontifex fuit: Idumæos deuicit, Samariam cepit.

Aristobulus Ioannis Hyrcani filius, idem & princeps & pontifex fuit. hic primus post captiuitatem Babylonicam, sibi diadema regum impoposuit, & rex est appellatus. mortuus est anno primo sui regni.

Alexander Ianneus Aristobuli frater, rex ipse quoque & pontifex fuit, Sadducaus & crudelis, pius & religiosus Iudæos occidisse, & Phariseos sexcentos cruci affixisse fertur: vnde totam urbem Hierosolymam Phariseorum cædibus repleuit. regnauit annis 27. reliquit duos filios, Hyrcanum & Aristobulum: sed administrationem regni Alexandræ vxori commisit: quæ dicta à Græcis Alexandra, à Iudæis Salome vocatur.

Alexandra regnum administrauit an. 9. Phariseos in amicitiam recepit. Pontificatum Hyrcano filio natu maximo tradidit, dum vixit: cui moriens, regnum cum pontificatu coniunctum, testamento reliquit.

Hyrcanus Alexandri Iannæi filius, rex simul & pontifex fuit: & post tres menses ab Aristobulo fratre pulsus, ad Pompeium Magnum tunc Romanam rem in Asia gerentem, se recepit.

Aristobulus Hyrcani frater, sex annis regnauit pulso fratre è regno, capta Hierosolyma à Pompeio, in ipsius potestatem deuenit, vinctusq; Romanam missus est: & restituit solum pontificatum Hyrcano, Iudæa iuris Romanorum facta est, ita vt Romanis tributum pendere coepit anno cæ. ante Christi Domini ortum, suis tamen iustitijs & legibus regebatur, quanquam per Romanos Syriæ præfides, cuius pars erat Iudæa, administrabatur. Syriæ autem gubernatio primum Pompeio, mox Scæuro, deinde Gabinio, & post Crasso mandata est, & Pompeius Antipatrum Idumæo genere Ascalonitam procuratorem in Iudæa constituit, Hircauo pontificatum gerente.

Ex eo tempore solum præfuerunt pontifices in ijs, quæ ad Dei cultū & cæremonias pertinebant: ius verò & potestas in cæteris penes Romanos erat. Interim Hyrcanus pontifex obsidetur à Parthis, quos adduxerat Antigonus ipsius Hyrcani nepos ex fratre Aristobulo: & vix expugnatus captiuus abducitur: & iterum regnum Iudææ, eiectione Hyrcano vñ cū Antipatro, redit ad posteros Aslamonæorum, seu Machabæorum, nempe ad Antigonum filium Aristobuli.

Antigonus Aristobuli filius, rex & pontifex factus, Parthorum auxilio, præfuit annis tribus: sed deinde eiectus è regno, & interceptus est ab Herode Antipatri filio, Hyrcani genero, qui Herodes Romanorum ope, factus est rex Iudææ, & tunc Iudæa, quæ penes posteros Machabæorum fuerat an. 122. ad Herodem alienigenam transiit.

Herodes

Herodes hic Antipatri filius Afcalonita, com-
videret Hyrcanum focerum quondam regem &
pontificem, reuerfum ex Parthis, vt regem à po-
pulo faluari, anno 26. fui regni interfecit cū to-
ta familia, ne quis ftirpis regie fupereffet: & tūc
nūtu & arbitratu fuo cœpit pōtiffices creare mu-
tare, cōfirmare: qui mos deinde ad Romanos trā-
fiffe vſq; ad Chriſti Domini aduentum. poſt mul-
tas cædes tandem Iudæi inuiti eum pro rege ac-
ceperunt an. 32. à ſe occupati regni. regnauit an.
37. & miserabili virg exitu deceſſit, relicto regno
Iudææ Archelao filio, & Galilæa iure Tetrarchie
Herodi filio, qui dictus eſt Antipas, Iturea & Tra-
chonitide Philippo, Abylina Lyſania filijs.

Archelaus Herodis Afcalonitæ filius, rex Iu-
dææ, cum an. 8. regnaſſet, apud Cæſarem Augu-
ſtum per duellionis accuſatus, Romæ priuatus eſt
regno, & Viennam Galliæ relegatus: & inde Iu-
dæa cœpit per Procuratores Romanos governari,
ceteris Herodes filijs in ſuis Tetrachijs, quæ
iſtis aſſignatæ erant, remanentibus.

Tertio queritur, Quo ordine ſibi inuicem Pro-
phetæ ſucceſſerint, qui ſacros fuorum vaticinio-
rum libros reliquerunt.

Primus eſt Iſaias: qui tempore Ozia, Achaz, &
Ochozia regum Iudææ, vaticinatus eſt.

Secundus, Hieremias, Anathotites Sacerdos,
à diebus Iofia regis Iudææ vſque ad Sedechiam re-
gem prophetauit.

Tertius, Ezechiel, & ipſe ſacerdos quinto anno
Tranſmigrationis regis Ioachim apud urbem Ba-
byloem, moeſtis ob captiuitatem Iudæis, & in
captiuitate detentis, ſuum edidit vaticinium.

Quartus, Daniel, ipſe quoque in eadem Tranſ-
migratione Babylonem abductus, vixit vſque ad
annum quintum ex quo Cyrus rex Perſarum Ba-
bylonijs cœperat imperare.

Eti quidem quatuor, Prophetæ maiores ap-
pellantur: minores verò, duodecim, qui ſequun-
tur.

Primus eſt Oſee; qui ſub Ozia, Ioathan, Achaz,
& Ezechia regibus Iudææ, & Hieroboam filio Io-
as, rege Iſraëlis, eſt vaticinatus, fuit æqualis E-
ſaiæ.

Secundus Ioel; qui ſub eiſdem Regibus credi-
tur vaticinatus.

Tertius, Amos; ſub Ozia rege Iudææ, & Hiero-
boam filio Ioas rege Iſraëlis.

Quartus, Abdias: hic eodem tempore creditur
prophetaſſe.

Quintus, Ionas: qui etiam putatur vixiſſe, ſub
Hieroboam rege Iſraëlis.

Sextus, Michæas; ſub eiſdem regibus Iudææ, qui-
bus Oſee, & Iſaias, vaticinium ſuum edidit.

Septimus, Nahum: hic ſub Ezechia rege Iudææ
prophetauit.

Octauus, Habacuch, ſub Ioachim rege Iudææ.

Nonus, Sophonias, ſub Iofia rege Iudææ.

Decimus, Aggæus, anno ſecundo regni Perſa-
rum, reuerſus in patriam Iudæis, nunciat impletū
eſſe tempus inſtaurandæ domus Domini, & vrbis
Hieruſalem.

Vndecimus, Zacharias, qui ſub idem tempus
cœpit vaticinari.

Duodecimus, Malachias, omnium ſcilicet vl-
timus propheta, & putatur eſſe Eſdras ſacerdos,

& Scriba, hic creditur vaticinatus ſub Dario, &
Artaxerxe Longimano Perſarum regibus.

Ieſus filius Sirach Prolemæi Lagi filij tempo-
re creditur ſcripſiſſe Librum, qui dicitur Eccle-
ſiaſticus.

Ioachim Pontifex filius Iofedech, & qui ei in
Pontificatu ſucceſſit, putatur ſcripſiſſe Hiſtoriam
Iudith.

Mardocheus (vt plerique opinantur) fuit au-
ctor Hiſtoriz Eſther, & iuxta aliquorum ſenten-
tiam, ſcripſit ſub Artaxerxe Mnemone Perſarum
rege, qui in eo libro vocatur Aſuerus; iuxta alios
vero, ſub Artaxerxe Longimano. Itaq; Anno pri-
mo quo Babylonijs Cyrus imperare cœpit, Iudæi
in patriam redierunt, & anno ſecundo ab eorum
reditu iacta ſunt fundamenta Templi, & anno
ſexto Darij Hyſtaſpis filij, qui erat annus à reditu
Iudæorum vigefimus ſepimus reparatum eſt Tē-
plum, & regnante Cambyſe poſt Cyrum in Per-
ſide contigit celebris illa victoria Iudith ſub Io-
achim Pontifice filio Iofedech: deinde anno ſep-
timo Artaxerxis Longimani poſt reparationem
Templi anno ſerè quinquageſimo ſeptimo reſti-
tuta eſt lex per Eſdras Sacerdotem, & vrbis re-
dificatio per Nehemiam reſumpta anno eiufdem
Regis vigefimo, ab ipſius verò Templi reparatio-
ne anno ſerè ſeptuageſimo. At Iudæorum libera-
tio in regno Perſarum à cæde Aman per Mardo-
cheum, & Eſther ſecundum aliquos accidit anno
duodecimo Artaxerxis Mnemonis, à reditu ve-
rò Iudæorum anno centefimo quinquageſimo:
ſed iuxta communem ſententiam, quam hæc-
tenus ſequutus ſum, contigit regnante Artaxerxe
Longimano.

Caput LVII.

*De Tempore, quod inter Egreſſum Hebræ-
orum ex Aegypto duce Moſe, inter-
ceſſit, vſque ad Templi ex-
tructionem.*

PRIMO queritur, Quot annos contineat ea,
quæ dicitur quarta Mundi Aetas ab exitu I-
ſraëlitici populi vſque ad templi ædificationem.

Reſpondeo 3. Reg. 6. numerari annos 480. qui
ex ſacris literis ita colliguntur:

Mofes ex tribu Leui rempublicam	
Iudæorum adminiſtrauit annis	40. Deut. 29.
Iofue de tribu Ephraim	an. 28. vel 18. ſecun- dum alios
Othoniel ex tribu Iudææ,	an. 40. Iudic. 3.
Aiod ex tribu Benjamin,	an. 8. Iudic. 3.
Debbora ex tribu Ephraim, & Barach, ex tribu Ne- phthali	an. 40. Iudic. 5.
Gedeon aliàs Hierobaal ex tribu Manaffe,	an. 40. Iudic. 8.
Abimelech filius eius ſpurius,	an. 3. Iudic. 9.
Thola ex tribu Iſſachar,	an. 23. Iudic. 10.
Iair ex tribu Manaffe,	an. 22. Iudic. 10.
Iephehe ex tribu Manaffe,	an. 6. Iudic. 12.
Abeſſan ex tribu Iudææ,	an. 7. Iudic. 12.
Aialon ex tribu Zabulon,	an. 10. Iudic. 12.

Abdon,

Abdon, ex tribu Ephraim,	an. 8	Iudic. 12.
Samson ex tribu Dan,	an. 20	Iudic. 16.
Eli de tribu Levi,	an. 40	1. Reg. 5.
Samuel è tribu Leui, & Saul à tribu Benjamin.	an. 40	Act. 13.
Dauid regnavit	an. 40	3. Reg. 5.
Salomon eius filius cœpit ædificare Templum anno regni sui quarto		3. Reg. 6.

Summa igitur annorum, quos diximus, est 480.

Secundo quaeritur, Quo modo sint computandi anni, quibus in lib. Iudic. Israelitæ dicuntur servisse Gentibus? Respondeo, eos esse numerandos partim in annis subsequentiis, partim in annis precedentium iudicium: non enim seorsum computandi sunt, ut nonnulli falsò putant: nam sic habet communis sententia omnium ferè scriptorum, Eusebij Orosij, Isidori, Bedæ, Lyrani, Abulæ. sis; eodemque pacto numerant omnes Hebræi. Si enim interregna seorsum computentur, efficiuntur anni plures, quàm qui 3. Reg. 6. numerantur, quingenti nimirum, & eo plures.

Exod. 7.

Mosis anni ex sacris literis ita colliguntur: nam Exod. 7. dicitur eduxisse populum ex Aegypto anno vitæ suæ octogesimo, & 40. annis præfuit in deserto, ut patet Deuter. 29. & vixit annos 120. ut scribitur in fine Deuteronomij.

Iosue anni, quibus præfuit Populo Dei, ex scriptura non constant, & ideo varia est annorū eius supputatio. Iosephus putat eum præfuisse annis 25. Eusebius 27. vel 28. totidem plerique Hebræorum, sic Sulpit. lib. 2. sacra histor. Aug. lib. 18. de civit. Dei. cap. 11. Sed ut Lucidus, & Genebrardus aiunt, ex convenienti supputatione annorum, qui 3. Reg. 6. ponuntur, colligitur eum præfuisse annis 17. vel 18. nam Iosephus, Eusebius, & Hebræi præfaturæ Iosue annos tribuunt 25. vel 27. vel 28. quod ideo faciunt, quia sequuntur grecos 70. interpretum codices, in quibus deest Alaion, qui Iudicium 12. perhibetur iudicasse Israelem annos 10. quos tribuerant Iosue, ut conficerent summam annorum 480. quæ 3. Reg. 6. ponitur. Item, videtur ex scriptura colligi, Iosue septem annos consumpsisse in terra Chananzorum expugnanda, & totidem alios in ea diuidenda. Et ideo quidam Hebræorum tribuerunt ei 14. annos. Sed verisimile est, Iosue tres alios, vel quatuor annos superuixisse, & ita rempublicam gubernasse annis 18. vel 17.

Ab obitu Iosue vsque ad Othonielem, qui Iudicium 3. dicitur iudicasse Israele 40. annis, quidam existimant fluxisse spatium 40. annorum, quia vlt. cæ. Iosue legimus longo tempore vixisse post Iosue seniores, qui ipsius tempore fuerant. Genebrardus putat, eos seniores vixisse post Iosue 17. annis, qui numerari debent in annis 40. quibus iudicavit Othoniel. Mihi tamen probabilius videtur, eos vixisse plures annos, quoniam Othoniel fuit vnus ex illis senioribus & vnus ex his, qui in Terram sanctam ingressi sunt, & vnà cum Iosue Terram diuiserunt. Sed siue illi vixerint 20. annis siue 30. saltem vtra 40. non vixerunt, & quotquot illi anni fuerint, in annis Othonielis computandi sunt. Quod autem dicitur Iosue vlt. illos seniores vixisse longo tempore, intelligi po-

test, multis diebus, nomen enim hebræum tum annum, tum diem potest significare.

Ocho illi anni, quibus primum Israelitæ oppressi sunt sub ditione Chusan regis Mesopotamiæ Iud. 3. numerandi quoque sunt in annis quadraginta Othonielis: ita que post obitum Iosue, toto illo tempore quo vixerunt seniores Hebræorum, qui ipsam Iosue nouerant, Israeliticus populus piè & religiosè Deum coluit: quod tempus fuit secundum Hebræos, annorum septemdecim, & fortassis fuit etiam viginti, vel viginti-quinque annorum. Mortuis verò senioribus, populus Israeliticus cœpit Dei leges contempere, & corrumpere, quare traditus est in potestatem prædicti regis Chusan, fortassis anno Othonielis vigesimo, vel vigesimoquinto, & octo annis, regis eiusdem tyrannide oppressus est, à qua per Othonielis multis ante annis Iudicis officio fungentem liberatus est.

Anni duodeviginti quibus Hebræi seruiertur Elon regi Moabitorum Iud. 3. computandi sunt in annis octoginta, quibus Iudæorum rempublicam Aiod administravit. Iudic. 3.

Sangar quidam existimant Israelem iudicasse, id est, Hebræorum rempublicam gubernasse: communis est omnium Hebræorum sententia, Iudicem non fuisse, meminisse tamè eius Scripturam tanquam clarissimi viri, quippe qui multam hostium stragem ediderat extremis annis Aiod iudicis. Iudic. 3. ad finem legimus: Post hunc nempe Aiod fuit Sangar filius Anath quasi Scriptura, vltimis huius Iudicis diebus vixit clarissimus ille vir Sangar, qui pro Israele fortiter pugnans, sexcentos homines interfecit vomere, Chaldaeus stimulo bouum: & ita ipse quoque defendit Israelem. Eusebius non numerat in Chronico, sed Sulpitius recenset inter Iudices, sic etiam cæteri Latini: quod si Iudex fortè fuit, eodem anno, quo mortuus est Aiod, cœpit Israeliticam rempublicam administrare, & eodem anno obisse creditur, siquidem nullus ei annos tribuit Scriptura.

Anni viginti, quibus seruiertur Hebræi Iabin regi Chanaam, Iud. 5. comprehenduntur sub annis quadraginta, quibus Debbora vnà cum Barac rem Israeliticam gubernavit.

Anni septem, quibus Hebræi sub potestate Madianitarum fuerant Iud. 8. censetur in annis quadraginta, quibus Gedeon iudicavit. Sic Hebræi, & Eusebius.

Anni duodeviginti quibus subiecti fuerunt Hebræi Ammonitis, & Philistinis, numerantur in annis viginti duobus Iudicis Iair, vsq; ad securū annum Iudicis Iephthæ, qui secundo sui principatus anno Ammonitis bello victis, Israelem liberavit. Iud. 11.

Anni quadraginta, quibus Israelitæ seruisse dicuntur. Iud. 13. Philistinis, numerandi sunt in hunc modum: Integris viginti annis quibus Sampson iudicavit, seruiertur: & ideo Scriptura de eo nō dicit, quod populum suum Hebræum ab hostibus liberauerit, sicut de cæteris Iudicibus dicit. Fuit igitur Respublica Hebræorum toto tempore, quo Sampson præfuit, bello à Philistinis vexatus: reliqui viginti anni, quibus Hebræi seruiertur à Philistinis oppressi, pertinent ad tempora

quibus

quibus Heli populum gubernauit. Non est igitur cur Samsonem è numero Iudicum expungamus ut expungit Andreas Masius in Commen. in librum Iosue viginti eius annos, quibus Israelem iudicasse memoratur, attribuens principatui Heli iudicis. Neque est, cur dicat Canus lib. 11. de locis Theolog. cap. 5. ad 12. argumentum prædictos quadraginta annos, quibus Hebræi Philistinis seruiuerunt, cum annis alicuius Iudicis computari non posse: nam rectissime numerantur in viginti annis, quibus Samson populum iudicauit, necem à seruitute liberauit. Et proinde in primis viginti annis Heli in Philystijm potestate manserunt Hebræi.

Tertio Queritur, historia Idoli Michæ, quæ refertur Iudicum cap. 17. & 18. Item, Constupratio vxoris Leuitæ, & cædes vniuersæ ferè tribus Beniamitica, quæ capit. 19. & 20. eiusdem libri memoratur, quo tempore, & sub quo Iudice cõtingerit? Hebræi, & Iosephus arbitrantur ea omnia accidisse tempore magistratus Othonielis, ac proinde quatuor vltima capita libri Iudicum sequi deberent iuxta eorum sententiam proximè secundum caput eiusdem libri. Sed mihi probabilius videtur, quod alij tradiderunt, ea accidisse eo tempore, quod inter principatû Samsonis, & Præfecturâ Heli sacerdotis intercessit: & recto ordine ad finem libri ponuntur.

Quarto Queritur an illi anni, quibus Samuel iudicauit, simul iungi debeant cum annis, quibus Saul regnauit? Hebræi Samueli seorsim attribuant annos vndecim, & Sauli annos duos: quia 1. Reg. 13. legitur: *duobus autem annis regnauit super Israel.* Iosephus tribuit Samueli soli post obitum Heli, annos duodecim, & ei vnâ cum Saule annos decem & octo, & Sauli post Samuelem annos decem. Et ita omnes anni sunt quadraginta. Communis est Latinorum opinio quam habent Eusebius, & Sulpitius, Samuelis annos comprehendendi sub annis, quibus Saul regnauit. Sauli autem Paulus tribuit in Actis Apostolorum quadraginta annos. Testantur Hebræi, Saulem post Samuelem vixisse mensibus quatuor: sed notorum plerique sentiunt duobus duntaxat annis vixisse.

Quinto Queritur, quò pacto intelligatur locus ille 1. Reg. 13. *Filius vnus anni erat Saul, cum regnare cepisset: duobus autem annis regnauit super Israel, & elegit sibi Saul tria millia.* Canus li. de locis theolo. 11. c. 5. ad 12. censet, numerum hoc loco esse deprauatum vitio scriptorum, & legendum esse: *Filius viginti unius anni erat Saul, cum regnare cepisset.* Sed certe verisimile non est, omnes codices esse corruptos, hebræos, græcos, & latinos: omnes enim consentiunt, & habent: *Filius vnus anni erat Saul.* Chaldaicus paraphrastes interpretatur hunc locum, subintelligens particulam, quasi, quæ per eclipsim solet sepe in hebræo deesse. Ita vt sensus sit: *Erat Saul, cum regnare cepisset, quasi filius vnus anni, hoc est, erat vir simplex, & innocens, quasi puerulus vnus anni.* Quidam exponit sic, *filius vnus anni erat Sauli, cum regnare cepisset, hoc est, cū regnare cepisset, habebat iam filium vnus anni.* Mihi non placet hæc sententia. Fortassis huius loci sensus est: *Transactus iam erat vnus annus ab electione, de qua*

1. Reg. 10. cum regnare cepit Saul. Filius vnus anni erat Saul more Hebræorum, cum dicitur filius tot, vel tot annorum, est perinde ac si diceretur, vir erat vnus anni Saul ab electione, qua fuerat per Samuelem iussu Dei creatus & vnctus in Regem, vir inquam erat vnus anni, ex quo regni administrationem suscepit. Id est, exactus iam erat vnus annus, ex quo gubernacula regni susceperat: *duobus autem annis regnauit super Israel.* hoc est, præterierunt deinde duo alij anni regni eius. *Et Elegit sibi Saul tria millia,* id est, Tertio anno, quo iam erat regnum eius confirmatum, elegit sibi tria millia satellitum, ad sui corporis custodiam. Cur, dices, scriptura tanto verborum circuitu hanc historiam narrauit? voluit nimirum scriptura tria tempora distinguere, ex quo Saul electus est rex, sed nondum bene in regno confirmatus. Deinde initio secundi anni cepit eius regnum confirmari: vnde vnus, & alter annus præterierant inchoati regni, & confirmati. Et hoc est, quod dicitur: *Filius vnus anni erat Saul, cum regnare cepisset: & duobus annis regnauit.* Et postea tertio anno, vtpote iam confirmatus in regno, elegit satellites, qui corpus eius custodirent. Aut etiam fortassis non inepte sic: exactus erat vnus annus, ex quo electus fuerat rex: & initio secundi anni cepit confirmari: & trãsierunt duo alij anni ab hac confirmatione in regno. Et quarto anno firmato, & stabilito iam regno, elegit sibi satellites, sui corporis custodes.

Sexto Queritur, quomodo trecenti illi anni, de quibus Iudicum 11. prædictis annis Iudicum consentiant? Sciendum est, Iud. 11. Iephte dixisse, trecentos annos fluxisse à regnis Seon, & Og occupatis, vsque ad suum dominatum: at videntur solum interfluxisse anni ducenti septuaginta. Hoc argumento conuicti quidam censent, annos interregnum numerandos non esse in annis Iudicum priorum, vel posteriorum, sed seorsim ac per se, vt conficiant summam trecentorum annorum, quam posuit Iephte. Alij verò existimant, annos interregnum in libro Iudicum positos comprehendendi debere sub annis Iudicum præcedentium, vel sequentium: id verò quod dicit Iephte, locum habere, quia iam ferè trecenti anni præterierant, nam fluxerant ducenti septuaginta: & minorem numerum septuaginta annorum sumpserit, vt fieri solet, pro numero completo centum annorum: & ideo rectè dixit: *Sed venis ac postulas, cum iam elapsi fuerint anni trecenti.* Nam profectò si anni interregnum seorsim, & per se numerentur, plures colligentur, quàm quadringenti octoginta, quos Scriptura ponit 3. Reg. 6.

Septimo Queritur, quemadmodum huius ætatis anni consentiant cum eo, quod Paulus ait Act. 13. Et forte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos, & quinquaginta annos. Quidam opinantur eum locum Actorum esse corruptum negligentia librariorum, & legendum esse post trecentos quinquaginta annos, vt sensus eius loci sit: *Et per quadraginta annorum tempus, mores eorum sustinuit in deserto: Et post sequantur illa verba: Et post hæc dedit Iudices vsque ad Samuel prophetam, postea legantur*

illa: *Et destruens Gentes septem in terra Chanaan sorte distribuit eis terram eorum*, quasi post trecentos quinquaginta annos. Ac si diceret Paulus Post Moysen dedit Iudices usque ad Samuelem; quo toto tempore annorum trecentorum quinquaginta expulit ac perdidit Chanaanos, & sorte diuisit terram ipsorum Israelitis. Sed non est, cur dicamus omnes codices graecos, & latinos esse corruptos. A Gto. 13. locus igitur Apostoli nequaquam intelligitur de numero annorum, quibus Iudices praefuerunt: sed praedicta Pauli verba referuntur ad locum Exodi, ubi dicitur: *Habitatio filiorum Israel in Aegypto, fuit annorum quadringentorum triginta*. Est enim Apostoli sensus? Post quadringentos, & quinquaginta annos: ex quo tempore promiserat Deus Abraham se Terram Chanaan eorum eius posteris daturum, sorte diuisam esse terram illam inter Hebraeos.

Deinde Sciendum, ut sacra cum profanis coniungamus, in hac quarta Mundi aetate contigisse illud tam celebre apud scriptores profanos Troiae excidium: quod videtur concurrisse teste Eusebio in *Chronico*, quem caeteri quoque temporum Scriptores secuti sunt, cum anno tertio Praefecturae Abdonis Iudicis, quem proxime Samson est consecutus, & postea Heli, & deinde Saul. Ante bellum Troianum accidisse dicuntur, quae narrantur de Triptolemo longa navigatione Eleusim venienti, & ibi frumenta distribuentem. Item, & ea, quae referuntur de Proserpina raptam ab Orco Molossorum rege, & de Ierseio, qui Gorgonem occidisse fertur, & ea, quae memorantur de Danao per 50. filias interficiente 50. filios Aegisthi fratris, euadente solo Linceo, qui post eum regnauit, & quae dicuntur de Asterio rege Cretaensium, qui ex Europa filia Phoenicis genuit Minos, Rhadamantum, & Sarpedonem, & quae memorantur de Progne, & Philomela, de Phrixo, & Helle sorore eius de Tantalo Phrygiae rege, de Troie, & Ganymede filio eius, De Mida, qui regnauit in Phrygia,

Paulo ante Troiam captam, & euerfam, (nisi fabulosa sit) contigit nauigatio Argonautarum duce Iasone Asonis filio, & tota historia de Velere Aureo. in Colchide.

In idem quoque tempus inciderunt (Si verum sunt) res gestae, & Duodecim labores Herculis: & res gestae Thesei regis Atheniensium.

Ab excidio Troiano usque ad primam Olympiadem quae concurrat cum anno quinquagesimo regni Oziae regis Iuda, fluxerunt anni quadringenti, & sedecim, & ad urbem Romam conditam, quadringenti, & quadraginta secundum Eusebium, & alios in *Chronico*. Heraclidarum descensus in Peloponnesum fuit iuxta aliquorum sententiam paulo post excidium Troiae, fuit verò secundum alios anno fere centesimo post Troiam euerfam Saule regnante apud Hebraeos.

Codrus rex Atheniensium se neci tradens interimitur in bello Peloponnesiaco, cum caeperat Dauid regnare in Israel.

Homerus in hac aetate vixisse perhibetur: Et teste Solino *cap. 53.* vixit post captum Ilium, anno ducentesimo secundo, ante Urbem verò conditam, centesimo sexagesimo Agryppa Tyberini

filio Albe regnante; quamvis teste Eusebio in *Chronico*, Eratosthenes, & Aristarchus scripserint eum fuisse anno centesimo post Troiam captam, Philochorus anno 180. Apollodorus anno 240. post bellum Troianum & alij tradiderint eum floruisse paulo ante Olympiadem primam, videlicet anno quadringentesimo post excidium Troiae. *Plin. lib. 6. capite 12.* ait: iam verò ante annos propè mille vates ille Homerus.

Hesiodus utrum fuerit natu maior Homero, an minor, an verò eius aequalis, varia scriptores tradidit, ut refert Gellius *lib. 3. cap. 11.* Sed Solinus loco citato ait: *Inter Homerum, & Hesiodum poetam qui in auspicijs Olympiadis primae obiit, centum triginta octo anni interfuissent: Et Cicero in Dialogo de senectute referens Catonis sententiam: At Homerus, inquit, qui multus, ut mihi videtur, ante saeculis, quam Hesiodum fuit.*

Lycurgus, qui leges Lacedaemonijs tulit, teste Plutarcho in vita eius, secundum aliquos, fuit Homeri aequalis: secundum alios, vixit paulo ante Olympiades: secundum alios, fere Olympiade prima. Eusebius in *Chronico* ait: eum fuisse ante primam Olympiadem annis centum, & decem cum apud Iudaeos regnabat Ios, & apud Latinos Agrippa Syluius Tyberini filius.

Linus Thebanus, Zetus, & Amphionis dem thebani Musici, & Poetae floruisse perhibentur eo fere tempore, quo Othoniel Israeliticum populum gubernabat: & postea Orpheus genere Thrac, & eius discipulus Musaeus, Poeta, & Musici vixisse dicuntur cum Gedeon administrabat rempublicam Israeliticam, teste Eusebio in *Chronico*. Hi omnes Poetae, & Musici vocati sunt Theologi.

Cap. LVIII.

De annis, qui inter Mundi exordium, & Templi adificationem fluxerunt.

Primò Queritur, quot anni fluxerint ab ortu Abrahami usque ad Templi adificationem? Respondeo, summam annorum totius huius temporis, duas Mundi aetates continere, Tertiam, & quartam, Porò quartam iam diximus ab egressu Hebraeorum ex Aegypto usque ad incipiam Templi adificationem continere annos 480. Tertia aetas coepit ab ortu Abrahami usque ad egressum Hebraeorum ex Aegypto, quae secundum Hebraeos, & communem Graecorum, & Latinorum scriptorum sententiam, completitur annos 505. quae summa annorum ita supputanda est.

Abrahamus genuit Isaac aetatis suae an. 100

Isaac genuit Iacob aetatis suae an. 60

Iacob descendit in Aegyptum aetatis suae an. 110

Israelitae manserunt in Aegypto an. 215

Qui omnes anni simul collecti efficiunt praedictos annos 505

Sed dubiae quaestioni est, quot annis Hebraei manserint in Aegypto Duas inuenio opiniones, vnam communem quam videntur secuti Graeci, & Latini Eusebius, Zonaras, Beda, Marianus, Hermannus, Otto, Vespersgenus Hebraeos in Aegypto

gypto mansisse annis 215. Altera opinio, quam sequitur Genebrardus, censet mansisse annis 430. Probat multiplici ratione. Primo, quia Exod. 12. ad finem dicitur: Habitatio filiorum Israel, quam manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Deinde, Acto. 13. Paulus ait, post annos quadringentos quin quaginta datam esse Hebræis terram Chananzorum sorte diuisam. Tertio, Genes. 15. prædixit Deus Abraham. Quarta generatione reuertentur huc. Quarto, non est verisimile, tam paucis annis Hebræos in tantam Sobolem excreuisse, quanta egressa est ex Aegypto: legimus enim in eodem capite, exiisse sexcenta millia armatorum, exceptis pueris, & foeminis innumerabilibus. Postremo, Gen. 15. prædictum est Abraham, semen eius seruituti subiiciendum in Aegypto quadringentis annis, donec liberarentur.

Mihi tamen probabilior videtur prima opinio, utpote communis. Primo quidem, quia ad Gal. 3. ait Paulus, annis quadringentis triginta post factam promissionem Abraham Genes. 15. datam esse legem Moyfi. Deinde, Exodi 6. inter Leui, & Moysen tantum Scriptura connumerat duas generationes, scilicet Caath, qui vixit annis 133. Exodi 6. & Amram qui vixit annis 137. quæ duæ generationes solum etiam connumerantur. Paral. 6. & Caath fuit vnus ex descendentibus in Aegyptum, Gen. 47. Tertio, quia ex quo facta est promissio Abraham Genes. 15. vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto, fluxerunt anni 430. qui positi sunt. Exodi 12. & Acto. 13. vte recte numerant Eusebius, Lyranus, Abulensis, & alij.

Vnde ad primum argumentum respondeo cum Exodi 12. dicitur, fuisse mansionem Israelitarum in Aegypto annis 430. alludit scripturam ad id, quod fuerat Abraham prædictum Genes. 15. peregrinum futurum eius semen, & seruiturum annis quadringentis, & quarta generatione rediturum: ergo illi anni 430. positi Exodi 12. computantur ab eo tempore, quo est facta Abraham promissio: nam vnus Scripturæ locus paulo obscurior, non raro per alium eiusdem Scripturæ clariorem explicatur atque illustratur, Paulus verò ad Galat. 3. dicit datam esse legem Moyfi annis 430. post factam promissionem Abraham. Ergo cum dicitur Exodi 12. *Fuit mansio filiorum Israel in Aegypto annis 430.* intelligitur cum numerum esse supputandum à promissione facta Abraham. Ad secundum respondeo eodem modo. Ad tertium cum dicitur Genes. 15. *Generatione quarta reuertentur huc, & seruiturum semen Abraham annis quadringentis totum intelligitur à promissione facta Abraham.* Nec mirum est in tantum numerum excreuisse Hebræos intra annos 215, quia illi genti supra modum Deus fauebat. Et certè cum duobus locis, scilicet Exodi 6. & Paral. 6. duas tantum generationes scriptura ponat inter Leui, & Moysen, absque ratione dici videtur, fuisse alias plures, quas scriptura prætermiserit. Nec est quod dicas, etiam Matth. 1. fuisse quasdam generationes omittas, quia quas Matthæus præterijt, in alijs Scripturæ locis aperte continentur, & ideo scimus eas Matthæum omisisse, & tres illi

reges, qui à Matthæo relinquuntur, habebantur quasi capite diminuti apud Iudæos, & ideo numerari non solebant in Catalogis Regum.

In hac Mundi ætate omnes Temporum Scriptores ex Eusebio in Chronico, constituunt Assyriorum Monarchiam, cuius historici Græci vix meminerunt. Huius Monarchiæ primum regem commemorant Ninum Heli filium, & deinde alios reges vsque ad Sardanapalum, teste Diodoro Siculo libro 3. capite 1. 2. 4. 6. De Imperio, & rebus Assyriorum aliqua litteris mandauit Ctesias Gnidius, quæ omnia refert idem Diodorus siculus in sua Historia, lib. 3. à cap. 1. vsque ad 16. Dicitur hæc Monarchia cœpisse eo tempore, quò natus est Abrahamus, vel secundum alios paulò ante: & durasse annos mille ducentos quadraginta vsque ad annum sextum Oziz regis Iuda teste Eusebio, Beda, Adone, Hermanno, Othone, Vespergensis. Diodorus loco citato Ctesiam Gnidium secutus scribit peruerasse annos mille trecentos sexaginta vsque ad Sardanapalum vltimum regem Assyriorum.

Euerfo Assyriorum Imperio, ad Medos translata est Monarchia eisdem testibus: & Medorum regem aiunt fuisse potentissimum, led apud Babylonios, & Chaldæos mansisse Reges longe minores, & Regi Medorum subiectos, & tributarios. Siquidem scriptura in libris Regum, & Paralipomenon post Oziam regem Iudæ, sæpe meminit regem Assyriorum.

Omnis profana Gentium historia initium eiusmodi Monarchiæ à Nino primo Assyriorum rege sumit, vt videre est apud Herodotum, Trogum, Iustinum, Diodorum, Ctesiam, vt etiam annotarunt Tertullianus, & Orosius, quos citat Genebrardus in Chronologia.

Porro ab Adamo ad Ninum regem ferè bis mille anni fluxerunt, qui ab vniuersis scriptoribus profanis ignorati, & omisi sunt.

A Nino autem vsque ad Cæsarem Augustum, cuius tempore natus est Christus Dominus, colliguntur plusquam duo millia annorum, in quibus scriptores profani versati sunt, vt scribit Paulus Oros. lib. 1. cap. 1.

A Nino vsque ad initium Olympiadum, tota historia profana habetur fabulosa: ita vt ab initio Olympiadum tantum Gentilium historia vera censeatur. De hoc Assyriorum imperio pauca admodum legimus apud Eusebium, quæ ex Diodo Siculo lib. 3. à cap. 1. vsque ad septimum, videntur esse desumpta. In hac igitur ætate fuisse memorantur res gestæ Semiramidis, quæ Nini fuit vxor.

Sicyoniorum in Achaia siue Peloponeso Regnum dicitur cœpisse Abraham tempore, & habuisse reges vigintifex, & durasse annos 862. vsque ad tempus, quo Israelæm iudicauit Heli. Sicyon autem, teste Pausania in Corinthiacis, est vrbs vetustissima Peloponensi, non procul à Corintho sita. Sicyoniorum etiam res Græci scriptores ignorauerunt, præter pauca, quæ apud Pausaniam, & Eusebium leguntur: qui etiam nulla regum nomina percontare contempiti, nonnulla addiderunt, vt quisque legere per se ipse potest apud Pausaniam in Corinthiacis.

M. Varro coepit scribere ab Aegialeo, primo Sicyoniorum rege, & peruenit ad Athenienses, mox ad Latinos, ait Augustinus libro de ciuit. 18. cap. 2.

Aegyptiorum regnum dicitur etiam coepisse Abraham tempore: cuius primum Regem Scriptores profani testantur fuisse. Vexorem, qui in Pontum vsque victor armâ procedisse perhibetur.

Scytarum regnum eodem item tempore ortum fuisse narrant iidem scriptores profani: primumque regem constituunt Tanaum: qui Vexorem Aegypti regem, & omnem penè Asiam suo imperio, & ditioni subiecit.

Ariginorum regnum Iacobo Patriarcha trigessimum ætatis annum attingente, coepit: cuius primus Rex dicitur fuisse Inachus, cui successit filius Phoroneus. In Peloponeso est Sinus Argolicus ad Myrtoom mare, vbi est Argolis, quæ Agos, & Micænas vrbes, Inachum, & Erasinum fluuios, tum etiam Lacôniz partem continet.

Secundò Queritur, quot anni fluxerint à generali aquarum inundatione, quæ fuit tempore Noe, vsque ad Templi ædificationem? Respondet, annos à prædicta aquarum inundatione esse annos secundæ, tertiz, & quartæ ætatis:

Porrò annos tertiz, & quartæ ætatis iam ante computauimus, & eorum summam collegimus. Numerandi, & addendi præterea sunt anni secundæ ætatis, quæ fuit à Diluuiò vsque ad ortum Abrahami. Hæc autem ætas secunda, iuxta Hebræos codices, & vulgatam editionem latinam, continet annos 292. & dies 10. At secundum 70. Interpretes, continet annos 1072. quoniam 70. Interpretes addiderunt 780. in hunc modum.

Diluuium durauit annum vnum secundum septuaginta.	1
Sem genuit Arphaxad anno à Diluuiò.	1
Arphaxad genuit Sale anno ætatis suæ.	35. secundum 70. 135.
Sale genuit Heber anno ætatis suæ.	30. secundum 70. 130.
Heber genuit Phaleg anno ætatis suæ.	34. secundum 70. 134.
Phaleg genuit Reu anno ætatis suæ.	30. secundum 70. 130.
Reu genuit Sarug anno ætatis suæ.	32. secundum 70. 132.
Sarug genuit Nachor anno ætatis suæ.	30. secundum 70. 130.
Nachor genuit Thare anno ætatis suæ.	29. secundum 70. 79.
Thare genuit Abraham anno ætatis suæ.	70.

Annorum ergò summa à Diluuiò vsque ad Abrahamum est 292. At verò secundum 70. 942. Nam in prima generatione vtrique codices conueniunt, & in nona: at in 2. 3. 4. 5. 6. 7. 70. semper addiderunt 100. annos: in octaua addiderunt 50. & inter Arphaxad, & Sale posuerunt

generationem Cainam cui annos 130. tribuerunt.

Magna est quæstio de hac generatione: nam & codices hebræi, & latina versio vulgata prætermittunt eam generationem, quam tamen expresserunt 70. Interpretes, cui vt dixi, ascripserunt annos 130. Quoniam 70. habent sic: Arphaxad genuit Cainan anno ætatis 135. Cainam genuit Sale anno ætatis 130. cum tamen hebræi codices, & vulgata editio latina nulla facta mentione Cainan, habeant: Arphaxad genuit Sale.

De hac generatione Cainan addita à solis 70. Interpretibus variz sunt Auctorum sententiæ: prima est, asserentium Cainam, & Sale, esse vnum, & eundem hominem duobus nominibus vocatum. Et cum illis obijcitur, quod legitur Lucæ 3. Qui fuit Sale, qui fuit Cainan: respondent, textum apud Lucam esse corruptum, & legendum esse sic: Qui fuit Sale, qui & Cainan: quasi dicat, qui alio nomine dicitur Cainan. Sed his repugnat lectio 70. Interpretum Genesis 5. ex quibus Lucas hanc generationem accepit. Secunda sententia est quorundam, qui asserunt 70. interpretes ex suo addidisse hanc generationem, quæ in hebræo non erat: & Lucam 70. Interpretum sententiam securum fuisse: quæ sententia temeritate non caret. Nam 70. addendo illam generationem, vel errarunt, vel non. Si primum Scripturam igitur corruerunt: at hoc est Lucas Euangelista secutus, ergo hunc quoque errasse necesse est: quod vel cogitare nefas est & impium. Quod si addendo non errarunt, vt dicere nos oportet: ponendi igitur sunt in hac ætati anni illi 130.

Dicendum igitur existimo 70. interpretes addidisse generationem Cainan, vel assatu, & instinctu Spiritus sancti vel viua traditione à Maioribus quasi per manus accepta, & ita Lucam eam quoque posuisse. Vnde Ioannes Lucidus, Annius, & Nauclerus, qui hanc generationem prætermittunt, non rectè, & fideliter huius ætatis annos computasse censentur: quoniam licet fuerit à Moysè præterita, verè tamen accidit: & quod est à Moysè, sic Deo volente prætermisum, Spiritus sanctus per alios exprimentum curauit. Neque nouum est, & inusitatum in Scriptura alicubi suppleri, vel declarari, quod est alibi, vel obliuiscius dictum, vel omisum. Exteri & profani scriptores nihil de huius ætatis annis vel rebus attigerunt.

Tertiò Queritur, quoto anno ab orbe terrarum condito fuerit Templum à Salomone edificatum? Vt hoc sciamus, apponendi sunt anni primæ ætatis. Prima igitur ætas fuit ab initio Mundi conditi vsque ad Diluuium, quod accidit tempore Noe: Anni verò huius ætatis ita colliguntur:

Sex diebus conditus est Mundus. Dies ætatis suæ.	6
Adam genuit Seth anno ætatis suæ.	130. secundum 70. 130.
Sem genuit Enos anno ætatis suæ.	105. secundum 70. 105.
Enos genuit Cainan anno ætatis suæ.	90. secundum 70. 190.

Cainan

Cainam genuit Malaleel anno
etatis suæ. 70. secundum 70. 170.
Malaleel genuit Jared anno
etatis suæ. 65. secundum 70. 165.
Jared genuit Henoch anno
etatis suæ. 162. secundum 70. 262.
Henoch genuit Mathusalem
anno etatis suæ. 65. secundum 70. 165.
Mathusalem genuit Lamech
anno etatis suæ. 187. secundum 70. 167.
Lamech genuit Noe anno etatis
suæ. 82. secundum 70. 188.
Noe in Diluuium erat anno-
rum. 600. secundum 70. 600.

Summa annorum à mundo condito vsque ad
Diluuium iuxta hebraicos codices fuit 1656.
dierum sex. secundum 79. interpretes fuit an-
norum 2242.

In generatione prima, secunda, tertia, quar-
ta, & quinta dissentiunt 70. ab hebraica lectio-
ne: nam in singulis hisce generationibus addi-
derunt 100. annos: in sexta generatione vtrique
codices consentiunt: in septima addiderunt 70.
100. annos. In octaua detraxerunt annos 20. in
noua addiderunt sex annos: in decima conueni-
unt.

In sex igitur generationibus 70. Interpretes
addiderunt 600. annos, & in nona addiderunt
sex. Et ita omnes anni sunt 606. Sed quoniam à
generatione octaua detraxerunt 20. fit vt om-
nes anni Mundi conditi sint 586. qui simul
iuncti cum annis 1656. efficiunt annos 2242.

Sed grauis est questio vtrum in hac ætate se-
qui debeamus Hebraicos codices, an potius græ-
cos. Duas inuenio opiniones; vnam asserenti-
um, Hebraicos codices esse in hac ætate sequen-
dos: Primò, quia Ecclesia latina vulgatam e-
ditionem approbavit; sed hæc Hebraicos codi-
ces sequitur in computatione huius ætatis an-
norum. Secundò quia Græcorum supputatio,
manifestum errorem continere videtur, nam
ex ea planè colligitur, Machusalem post Dilu-
uium vixisse annis circiter quatuordecim: vt
annotarunt August. lib. 15. de ciuit. Dei capite 11.
Hieron. in quæstibus Hebraicis in genesim. Ita Ioan-
nes Lucidus, Annius, Nauclerus, & Genebrar-
dus, in suis Chronocis. Altera opinio affirmat græ-
cam computationem esse amplectendam. Pri-
mò, quia approbatur in 6. Synodo Generali
Actione 6. vbi habetur, annos à Mundo condito
vsque ad Christum natum fluxisse 5508. Deinde,
quia editio 70. Interpretum vsu totius Ec-
clesiæ fuit olim per 100. annos approbata: cuius
auctoritate vsus Christus Dominus est, Aposto-
li, & postea Græci, & Latini patres ante Hiero-
nymum.

Quicquid sit de istis opinionibus, neutra
Computatio temere est reiicienda: vnde quam-
uis hebraicam computationem sequamur, non
est propterea græca supputatio tanquam falsa,
improbanda. Sed vndenam, dicat aliquis He-
bræorum, & Græcorum codicum tam diuersa
Computatio? Ioannes Lucidus, Annius & alij
arbitrantur Græcam interpretationem esse vi-
tio scriptorum corruptam, & deprauatam. At
credibile non est, omnes codices, tum Græ-

cos, tum Latinos derivatos à Græcis, esse vi-
tiosos. Obijcies ex Augustino lib. 15. de ciuitate
Dei capite 13. hanc annorum differentiam irre-
pississe in Græcos codices vitio illius scriptoris,
qui primus ex originali 70. interpretum trans-
latione transcripsit, ac ita facile in alios om-
nes codices emanauisse. Verùm, neque hoc
sanè probabile est: Primò, quia hæc tanta va-
riatio videtur facta potius studio, & industria
ipsorum 70. interpretum, quàm data opera,
vel negligentia ipsius scriptoris, quia non in
omnibus generationibus facta est annorum ad-
ditio, nec semper eodem modo: nam in octa-
ua generatione detrahuntur anni viginti, & in
sexta adduntur sex anni. Secundò, quia inter
generationes secundæ ætatis, vt ante iam
dixi, addiderunt 70. vnam integram genera-
tionem, nempe Cainam. Sunt, qui putent
hanc annorum additionem à 70. Interpreti-
bus factam fuisse eam ob causam, quòd Æ-
gyptij aliquando videntur annis mensuris,
vel anno semestri, vel quadrimestri: ne ergo
putaretur annorum supputatio, quæ erat in he-
braica lectione, à veritate aliena; ab homini-
bus videlicet in puerili admodum ætate gene-
ratos, fuisse filios, facta est additio centum an-
norum ante singulas generationes. Sed neque
hoc satisfacere videtur, quia non erat, cur in
prima, & secunda generationibus 100. annos
adijcerent, siquidem in hebræo dicebatur ge-
nuisse Adam anno ætatis suæ 130. & Seth ge-
nuisse anno ætatis suæ 105. Deinde, quænam
ratio fuit, cur in generatione octaua detra-
herent annos 20. Postremò cur in secunda æta-
te vnam integram generationem apposuerunt?
Quare in eorum potius sententia acquiesco,
qui dicunt, hanc lectionum varietatem inde
natam esse quòd ante 70. Interpretes Hebrai-
ca exemplaria in computatione annorum va-
riarent, ea verò exemplaria, quæ nacti sunt 70.
interpretes, haberent sicut ipsi transfulerunt:
at post 70. interpretes interciderunt Hebraica
exemplaria, quæ secuti sunt ipsi, & permanfit
ea hebraica lectio, quam nos modò habemus,
Nec nonum est, & inusitatum, in hebraicis co-
dicibus duplicem esse lectionem: nec lectio-
num varietas arguit codicum deprauationem.
Quæres postremò, an certò sciri queat nume-
rus annorum ab orbis terrarum condito vsque
ad Christum natum? Philaster inter Hæreses
numerat sententiam eorum, qui dicunt
hunc numerum esse incertum: Quoniam cer-
tò inquit, colligi potest ex sacris litteris. Alij
tamen existimant, hunc annorum numerum
certò ex Scriptura haberi non posse, scriptu-
ra dicente Arenam maris, & pluuia guttas, &
dies seculi quis dinumerauit? Deinde, quia
pro certò non habemus sequi debeamus. Græ-
cos, an Hebraicos codices. Alij verò censent
veramque Computationem retinendam esse,
Græcam, & Hebraicam: Hebraicam quidem,
quia eam sequitur Latina editio vulgata,
quam Ecclesia approbavit Græcam verò, quia
eam olim secuta est Ecclesia, nec postea impro-
bauit quoniam licet Latinam editionem ap-
probauerit Græcam tamen non damnat, aut

Esst.

quæ spectant ad mores cuiusque componendos. In lege noua Christus Dominus pauca præcepta, quæ ad iudicia, & cæremonias attinent, constituit, retentis eisdem præceptis Decalogi, quæ in legem naturalem, tum etiam veteri seruabantur. Quoniam præcepta moralia, vel continent ea, quæ per se bona sunt; vel prohibent ea, quæ per se mala sunt: & ideo, quamuis lex uetus, quod pertinet ad iudicia, & cæremonias, abrogata sit: quod ad mores tamen spectat, non est abrogata, quia præcepta moralia, licet ex lege veteri vim non habeant, habent tamen ex lege naturali, quam lex Euangelica non tollit, non abrogat, sed perficit. Hinc est, ut multa præcepta moralia in lege noua expressius, & clarius quàm in lege uetere, explicentur. Lex enim uetus repudium uxoris impune permisit: Noua tamen non item. Lex uetus, ab externis uisuras exigere, & accipere permittebat; non tamen Noua, in lege ueteri nuptiæ commendantur: in Noua, uirginitas potissimum laudatur. In ueteri, uxorum multitudo permittebatur; in Noua, non item.

In Sacramentis lex uetus à Noua differt, quia legis ueteris sacramenta gratiam non conferbant, sed significabant per Christum conferendam; at Sacramenta legis Nouæ, & gratiam significant, & simul etiam continent, & conferunt.

In promissis multum interest etiam inter legem ueterem & Nouam. Nam teste Bonauentura, lex uetus poenas temporales in fontes constituebat: & temporalia bona legem seruantibus promittebat. at Noua, iustus æterna bona promittit, & supplicia perpetua in improbos constituit. Quæ differentia legis, ut superius explicui, est ita intelligenda, quod noua lex sine ullis typis, & figuris cælestia, & æterna bona bene merentibus promittit, & poenas perpetuas male merentibus: contra, lex uetus expressim temporalia promittebat bona, sub typis uero, & figuris æterna. Vnde Paulus: *umbram, ait habens, sed futurorum bonorum; & alibi, omnia in figura continentur.*

His positis, Primum queritur, quare de lege ueteri ait Apostolus: littera occidit; & de Noua, Spiritus uiuificat? Respondeo cum Bonauentura, in 3. dist. 40. a. 1. quest. 1. & Gabr. 3. dist. 40. quest. 1. art. 1. hoc ideo esse, quia Sacramenta Nouæ legis gratiam conferunt: quam non conferbant, sed adumbrabant, & significabant Sacramenta ueteris legis. & ideo ex parte, lex Noua uiuificat, non uetus. Deinde ueteris legis præcepta prohibebant carnis cupiditates, & ex altera parte gratiam non dabant, qua desideria carnis cohiberentur, ac proinde malum, quod est fugiendum, ostendebant quidem: sed non præstabant gratiam, qua malum uitaretur; & ideo quasi per occasionem occidebat. Crescit enim libido & desiderium, ubi gratia, & charitas deest: quemadmodum si alicui famelico, vel sitibundo cibum, uel potum ostendas, nec tamen des, occasionem ei præbes, qua fames exardescat in agis. Præterea, lex uetus expressim temporalia promittebat; ac propterea non eo modo ad bene agendum, & uiuendum excitabat, quo modo noua lex, quæ aperte bona sempiterna promittit.

Secundo Queritur, quare lex uetus dicitur lex timoris, & non lex amoris. Respondeo cum S. Tho. 3. dist. 40. quest. 4. art. 2. hoc ideo esse, quoniam in lege Noua, cum primum promulgata est: Spiritus sanctus descendit in igneis linguis, diuinam charitatem ostendens, quæ corda hominum succenderent. Confirmata item, Noua lex est effuso Christi Domini sanguine, quod fuit ardentissimæ in humanum genus charitatis iudicium: at lex uetus data est in monte Synai, descendente Domino cum magna maiestate, conitruis scilicet, & fulguribus, quibus est totus populus Iudæorum ualde perterritus, ita ut diceret Moyfi: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Præterea lex uetus poenas expressè comminabatur ijs, qui eam non seruassent, Lex noua, præmia, & multa bona eam seruantibus promittit. Lex igitur noua, spe bonorum inuitat, & allicit ad sui obseruationem; at uetus metu poenarum, eius professores, & cultores in obseruatione continebat. Vnde lex illa etiam dicitur seruorum, Noua uero filiorum, seruorum est, metu poenæ parere, filiorum uero, amore patris, & spe bonorum uirtutis officium præstare.

Tertio Queritur, cur lex uetus, graue iugum à B. Petro Apostolo dicatur, Lex noua à Christo Domino suauis iugum appelletur? Respondeo; ideo sic vocari, quia lex uetus innumera iudicia continebat; nam teste Genebra in Chronico, & ipsi quoque Hebræi testantur, præcepta quæ in affirmatione consistunt, hoc est, quibus aliquid fieri imperatur, tot habebat, quot sunt in hominibus ossa: hoc est bis centum, & quadraginta octo: tot enim ossa hominum à Medicis numerantur. Præcepta uero, quibus aliquid fieri prohibetur, tot continebat quot in singulis annis dies uide licet: centum, & sexaginta quinque, ita ut omnia præcepta legis ueteris simul collecta sexcentorum numerum excederent.

Quarto Queritur, lex noua cur dicatur Lex libertatis? Respondeo ideo sic dici, quia liberat à iugo seruitutis, quæ à peccato descendit, & exiit: nam dat gratiam, & charitatē, liberat item à graui onere ueteris legis. Insuper quia cultores Nouæ legis Spiritu Dei aguntur, & amore ipsius diuina seruunt mandata, non ut serui, sed tanquam filij, qui amore ducti parentum iussa exequuntur.

Cap. LX.

De quibusdam legibus principalium Rerum publicarum, quæ apud Ethnicos floruerunt.

UT appareat discrimen inter leges, quas Deus ipse tulit, & eas, quas apud Gentes, homines alicui doctrina, & sapientia præditi condiderunt, referam in præsentia nonnullas earum gentium leges.

In primis animaduertendum est, multos fuisse legisatores, qui uel Respublicas fundarunt, uel præcepta de serendis ad populum legibus traderunt. Etenim primus omnium Minos Cretensibus leges tulit, teste Aristotele lib. 2. Poli. cap. 2. Strabone lib. 12. & Diodoro: libro 2. cap. 1. & lib. 6. capite 15. Zoroastres Bactriæ uis, ut ait Plinius,

Ab. a.

Exod. 19. & 20.

Ab. 15.

Math. 23.

Rom. 8.



& Iustinus Plinius lib. 6. cap. 16. & lib. 30. cap. 1. Iusti-
lib. 1. Charondas Chalcidicus, & alij ciuitati-
bus, quæ sunt circa Italiam, & Siciliam secun-
dum Diodorum, & Valerium Maximum: & Ar-
istotelem Diodo. lib. 12. Val. lib. 6. cap. 5. de Iusti-
tia: Zaleuchus Locrensis, vt testatur Aristo-
teles: lib. 2. Poli. cap. 10. Zamolxis Scythis, vt est
apud Herodotum, Strabonem, & Diodorum.

Arist. li. 2.
Polit. c. 10.

Arist. li. 2.
Polit. c. 2.
p. 99.

Aristoteles in Politicis, multa reprehendit in
Rebus publicis fundatis, & in Legibus datis à
magnis alioqui viris, & sapientie laude præ-
stantibus. Primum reprehendit Rempublicam
à Socrate institutam, eò quod voluerit omnes
uxores, filios, & facultates, & possessiones esse
communes: quia ciuitas sit, vt Socrates aiebat
veluti vna magna domus, & vt omnes ciues ma-
iori necessitudinis vinculo tenerentur. Po-
stea cap. 3. reprehendit Lacedæmonios, quòd
voluerint omnes seruos, iumenta, & possessio-
nes esse communia: cum profecto, quæ com-
munia sunt (inquit Aristoteles) à singulis ne-
gligi soleant. Carpit deinde cap. 4. & 5. alios
Legislatores, statuentes; vt feminæ quemad-
modum, & viri pugnent, & publicis officijs
fungerentur: alios item cap. 6. quòd decreue-
rint, patrimonia ciuium esse æqualia, ita vt alij
alij nec ditiores essent. nec pauperiores, tan-
tæque essent singulorum facultates, quantæ suf-
ficerent ad hospite, & commode viuendum. A-
lios quoque eodem cap. 6. vituperat, quòd Rem-
publicam diuiserint solum in Milites, agrico-
las, & Artifices, bonam ac præcipuam Reipub-
licæ partem neglexerint, videlicet Patriotum,
& nobiliorum hominum. Alios verò, quòd
nihil statuerint de feminis, aut de filijs, aut ser-
uis, vel aduenis, & peregrinis: eum reuera in Re-
publica magna pars sint feminæ, filij, serui, &
peregrini. in alijs quoque improbat, nihil ab ijs
esse decretum de sacris hoc est, de Templis, Sa-
cerdotis, & sacrificijs, in quibus Diuini cultus
religio consistit, cum in omni Republica bene
& sapienter instituta potissimum habenda si-
ratio religionis, & sanctitatis. Denique cap. 7.
etiam in Rebus publicis tum Lacedæmonio-
rum, & Cretensium, tum Atheniensium quæ-
dam non probat. Nihil porrò Aristoteles de Ro-
manorum Republica, & Legibus scripsit.

Porro inter Gentilium Respublicas tres, aut
quatuor fuisse ceteris celebriores; Carthagi-
nensium, Lacedæmoniorum, Atheniensium
& Romanorum: è quibus duæ potissimum ha-
bentur insignes, & inclitæ, Atheniensium, &
Romanorum. Atheniensibus leges dederunt
Cecrops seuior, & deinde Theseus sed de eorum
legibus nihil certi habetur, solum referuntur
tres leges à Cecrope late. Prima, ne vnquam
mulier in Senatum ingrederetur. Secunda, vt
nulla proles maternum nomen acciperet. Ter-
tia, ne quis mulieres Atticas siue Athenas siue

Athenienses diceret. Tandem anno quarto O-
lympiadis 39. vt Clemens, & Iulius memo-
riz prodiderunt; Athenienses Draconi Rem-
publicam commiserunt; vt latis suo arbitratu
legibus eam temperaret. Narrat Gellius lib. 11.
cap. 18. eum Atheniensem ciuem virum probum
fuisse, & multa prudentia præditum; iuris diui-
ni, & humani peritum, primum omnium leges
scripsisse, quibus Atheniense vterentur, verum,
vt inquit Plutarchus in vita, Solonis vsque adeo
grauis, & acerbas, vt noxas, & delictis omnibus
pœnam capitalem adscripserit. quippe qui in
eos, qui vagi, & ignaui otij, & desidij conuicti
fuisent, capitis pœnam constitueret: item, in
eos, qui olera, poma aliosue fructus in alieno
prædio legisent, & ac in sacrilegos, & homi-
cidas videlicet capitali supplicio animaduerti
voluerit. Vnde vox illa Demadidis profecta est,
Draconis leges sanguine, non atramento fuisse
descriptas. Cuius rei causam cum Dracon à
quodam rogatus esset, cur videlicet plurima
delicta capite plectenda statuisset, respondisse
fertur; Paruas quidem noxas capitis pœna dig-
nas censuisse: magnis verò, quas maiores pœnas
constitueret, nullas habuisse. Vbi sunt Atheni-
enses his legibus per annos viginti septem vs-
que ad annum tertium Olympiadis 46. teste Eu-
sebio in Chronico. Quam Solon Rempublicam
intestinis discordijs afflictam, & tumultuantem
nouis legibus, & institutis, stabilivit abrogatis
ijs quas Draco tulerat. Et in primis ea lex placuit,
vt populi essent conciones, comitia, & conuen-
tus, & iudicia; sed Magistratus, & Sacerdotia
solis viris patrijus paterent.

Ciuitatem census æstimatione in ordines di-
stribuit. In primis ij fuisse, quibus quingento-
rum Medimnorum census esset. Secundo loco
adscripti fuerunt, qui trecentis centi forent, &
equos alere possent. Tertius equorum alendo-
rum onere adempto pari censu æstimatus est.
Ex his ferè ordinibus, Magistratus creabantur
qui infra fuerunt, Mercenarij nuncupati con-
cionis habendæ, iudicandique munia ceteris ex-
clusi magistratibus obibant.

Concilium in Areopago ex annis Magistra-
tibus constituit. ex quatuor tribubus, quæ Athe-
nis erant quadringentos viros delegit, centum
ex singulis: his permissum est, vt quæ Areopa-
gite decreuissent, si æqua, & iusta visa forent,
probarent, si minus placerent, pari potesta-
te rescinderent. Et ita velut duabus ancho-
ris nixa ciuitas aduersus omnes fluctus im-
mobilis, permansura esse videbatur. Statuit, vt
qui vnus corporis & collegij esset, vt Mercatores
Nauicularij, opifices, possent statuta condere,
quæ ad eorum collegia pertinerent, dummodo
ne quid in publicis Tabulis prohiberetur.

Parricidij, affectatæque tyrannidis conuicti,
& damnati ne magistratum capere possent, lege
vetuit.

Non solum hos ab honorum pœtione prohibuit,
& exclusit, sed eum quoque, qui orta in po-
pulo seditione neutram partium sequutus esset,
mali ciuis esse ratus, eum proprias rationes in-
tuto collocari, nulla communi cura, sollicitudi-
næ tueri.

Constituit, vt sceminæ, quæ viros parum ad rem coniugalem idoneos fortitæ essent, vnum, quem mallent ex mariti propinquis impunè profus admitterent.

Pecuniarès dotes è medio sustulit, vt pauca vestimenta, & vasa quædam paruo empta pretio paterna domo ferret mulier: testabatur coniugij societatem non pretio, & sed liberorum amore, & charitate iungi oportere.

Si quis in sacro, aut in iudicio in ciuem conuicium contulisset, quinque drachmis multaretur.

Legendæ pecuniæ, cæterarumque rerum facultatem testari volentibus permisit, quum prius patrio instituto in familia esse deberent, ad familiamque pertinerent: vnde amicitia in hac parte propinquitati, & gratia necessitati prælara est.

Ploratus, eiulatus, & lamentationes lugubres in alieno funere sustulit, constituit quoque, vt subsidia alimentauæ filius patri denegaret, à quo non esset arte: aliqua ad vitæ vsum institutus.

Lege cauit, ne plures decem tibicinibus ad funerum pompam adhiberentur.

Voluit etiam, vt qui illegitimo essent toro procreati, parentes non alerent. Nam qui meretricio congressu non abstinere, videtur non liberorum procreationi, sed libidini, & voluptati studere.

Morchum in adulterio deprehensum impunè necari permisit. Qui vim ingenue virginis intulisset, decem drachmis multari decreuit.

Ius vendendæ filix fororisue sustulit, nisi in Pupro deprehensa.

Qui lupum viuum attulisset quinque drachmas acciperet ex publico: qui lupam, drachmam vnam: Athenienses hanc belluam insectabantur, quippe quæ non solum pecuniarie rei, sed etiam agrorum cultui est infesta & noxia.

Præcepit, vt eorum liberi, qui in prælijs occubissent, publicè nutrentur, & instituerentur, quo sanè animati singuli in bellis fortiter, & strenuè dimicarent: voluit itidem vt & is, qui in bello oculum amisisset, aleretur ex publico.

Lege vetuit, ne is fieret curator, ad quem post pupillorum obitum substantia, & hæreditas perlineret. Cauit item, ne liceret annulario venditi annuli sigillum seruare.

Lege sanxit, vt qui alteri vnum oculum erueret, ipse ambos amitteret, vel saltem alterum. Statuit, vt canis, qui cuiquam nocuisset, trunco quatuor pedum longitudine alligatu dederetur.

Legem tulit, vt quæ non posuisti, ne tollas: si quis secus fecerit, capitali pœna mulctetur.

Principem, si ebrius deprehensus esset, voluit morte mulctandum.

Statuit, vt Athenienses, dies secundum lunæ cursum numerarent.

Ex omni genere frugum mel, & cera m extra fines Atticos expotari permisit.

Nullum ciuitate donari, nisi opificem, qui cum tota domo Athenas se contulisset, aut per-

petuo exilio pulsus esset è natali solo.

Has leges teste Plutarcho in vita Solonis, Solon ligneis tabulis inscribendas, & in centum annos sancendas curauit. Earum præcepticem Mineruam fuisse dixit: & in verba sua iurare in foro ad lapidem Senatium, & populum induxit.

Cætos in bello in hunc modum sepeliebant, facto ante triduum tabernaculo mortuorum ossa proponebantur, & propinquorum quisque reliquijs, si quid luberet, imponebat: cum funera efferebantur singularum tribuum, ex singulis tribubus quælibet, suæ tribus ossa continens portabat in vehiculis, efferebant funus promiscuè voluntarij quinque, vel ciues, vel hospites, foeminis propinquitæ coniunctis ad sepulchrum eiulantibus, & condebant in publico monumento extra urbem apud suburbana: & postquam mortuum humauerant, aliquis à ciuitate delectus vir ad id idoneus super eum orationem habebat, qualem decebat, de eius laudibus, & deinde cuncti discedebant.

Cap. LXI.

Lycurgi leges quas Lacedæmonijs tulisse fertur teste Plutarcho in vita eius.

Primum omnium Lycurgus seniores è republica viginti octo delegit, qui regibus assiderent, & vna cum eis de rebus consultarent, atque decernerent, vt is seniorum ordo velut arbiter esset inter regiam potestatem, & vim populi: ne aut rex potestate abuteretur, & tyrannicum quidpiam moliretur, ne item imperio scuiret: aut ne multitudo in contumaciam, & ferociam procederet, paucos è multitudine elegit, ne nimium Democratia inualeceret.

Voluit, vt quæ ordo seniorum vnà cum regibus decreuisset, reliqua multitudo sciret.

Agros diuise, nam persuasit multitudini, vt solum omne Laconicum in medio positum æquis portionibus in singulos diuideretur, oportere ratus ciuem ciui, ingenio, virtute diligentia, & industria, non luxu, non diuitijs, & opulentia prestare. Diuisa igitur est vniuersa terra in triginta nouem millia fortium: vrbanus ager in nouem millia: paganicus, & municipalis in duplo, & amplius maiorem numerum. Portio quælibet ea fuit, quæ viro frumenti medimnos septuaginta, sceminæ duodecim annuos ferret.

Omnem auri, & argenti vsum è medio sustulit: & ferreum nummum induxit, ignitum ferum, ex quo nummum percussit, aceto extinxit, vt ad nullam rem amplius ob molliem vile redderetur.

Omnes artes, quibus aliquid ex auro, argento, ferroue consistatur, ex vrbe eiecit: vnde artifices se alio contulerunt.

Publica voluit esse cõuiuia, vt diuites promiscuè, & pauperes simul epularètur, vt omnem ex

ciuitate

ciuitate luxum tolleret; hunc conuiuandi morem Philias dixerunt, quod essent publicæ, & communis amicitia, & humanitatis argumentum. Permisit, vt qui sacrificij, aut venationis causa conuiuio abfuissent, domi cenarent reliqua multitudo conuiuio adesse debebat, conferebant ad hoc conuiuium quotannis singuli farina medimnum, vinicosos octo, casei quinque minas: inde fiebat, vt quisque parsimonie assueceret. Frequentabant id pueri etiam velut temperantia, & omnis ciuili disciplina Gymnasium, ibi vrbani sermonibus assuescere & iocari discabant, ac sine scurrilitate canillari.

Virgines cursu, palestra, iaculo, disco exercebantur, vt otio, & muliebribus delictis sublatis robustiores ad tolerandos partus redderentur.

Nude, vt pueri in publico versabantur, saltabant, & cantabant in sacrificijs, & festis ac sacris diebus.

Nubebant virgines raptu matrem iam viro, & eas sine dote nubere precepit, vt vxores non pecunie causa eligerentur: seueriusque viri suas vxores coererent, cum nullis dotis fraenis tenerentur.

Non prius sponsus sponsam aspiciet interdiu, quam ex illa factus esset pater: noctu tantum interim ad eam accedebat.

Qui celebs vixisset Gymnicis, & publicis spectaculis arcebat: nudusque hyeme forum circuibat: nec vt ceteri senes, in honore apud iuuenes erat.

Licebat seniorum cuique honestum, ac probum aliquem ex iuuentute ad vxorem procreationis causa admittere: & vbi eam alieno semine impleisset, suum habere, quod nasceretur, nec id probo dabatur: Ridicula profecto lex, & cum ipso natura iure pugnans, quam cetera quoque gentes ridebant, & detestabantur.

Ius alendi partus nullum parentibus erat: natus infans in publicum deferrebat ad certum locum: vbi magno effecto puero, si eum ceteri probabant, ex nouem milibus tortium, in quas diuisus fuit vrbani ager, vnam illi ascribendam curabant: si minus, vt reipublice inutilem reiciebant iniqua quoque lex quæ parentes iure suo in filios orbabat.

Pueri à septimo anno in æqualium coetu exercebantur, literasque pro necessitate addiscebant. Ad cutem tondebantur, nudis pedibus incedebant: duodecimo anno tunicam vnicam patrio instituto sortiebantur: neque balnea, neque fomenta vlla sciebant, natu grandiores lignari imperauit, minores onera ferre, furta quæ rere, furtum, vt honestum permisit. Qui deprehensi erant in furto, flagris cadebantur, non quia nefas esset furari, sed quia parum prudenter, & ingeniose furati essent.

Iussit, vt omnes quæ suorum artes ex vrbis pelierentur, bellicæ tantum exercitationis studio omnes ciues teneri voluit.

Permisit in vrbis cadauera sepeliri tum etiam circa templa monumenta fortiri. Nec viri nec foeminae nomen licebat cuiquam sepulchro inscribere, nisi eorum, qui in bello fortiter perijissent.

Lugendi tempus vndecim dierum spatio prescripsit.

Non permisit ciuibis peregrinari, ne alienos mores in vrbem, & patriam importarent. Immo, & peregrè delatos nisi qui Reipublice vtilis essent vrbis excludit: ne quid peregrinae disciplinae Lacedæmones imbiberent: inhumana profecto lex, quæ cum iure naturali pugnat.

Iuuenibus non amplius vna veste toto anno vti permisit, nec vnum cultius quam alterum:

Emi singula non pecunia, sed mercium permutationes, & compensatione iussit.

Maximum honorem non diuitibus, & potentibus, sed senioribus deferri voluit.

Voluit, vt sine muris vrbes edificarentur, rarus bellica ciuium virtute non muris vrbes defendi.

Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci iussit, vt primos annos non in luxuria, sed in omni labore, & opere agerent: nihil eos somni, & quietis causa subternere, sine pulmento cibum sumere, nec prius in vrbem redire, quam viri facti essent, constituit.

Voluit, vt Lacedæmones graui oratione vterentur, & sententijs breui sermone comprehensis: ita vt res in prouerbum abierit facilius philosophari homines posse, quam Laconicum sermonem imitari.

Regibus potestatem, & ius indicendi, inferendi, & gerendi bellum, Magistratibus iudicia, Senatui custodiam legum, populo creandi, & deligendi Senatam, & quos vellet magistratus constituendi concessit.

Harum legum dixit Appollinem Delphicum auctorem fuisse: & eius precepto se eas dedulisse, & promulgasse. Deinde, vt æternitatem suis legibus daret iureiurando ciues obstrinxit, nihil eorum, quæ sanxisset, mutatuos, priusquam ipse reuerteretur: dixit enim se ad Oraculum Delphicum profecturum, vt consuleret quid mutandum, addendum, detrahendumque suis legibus Apollini videretur. Profectus est autem Cretam, ibique perpetuo mansit: & moriens precepit, vt ossa sua in mare proijcerentur, ne Lacedæmonem delatis Spartani se à iureiurando de non mutandis legibus absolutos esse existimarent.

Cap. LXVIII.

Leges Regiæ Romanorum.

Inter omnes Respublicas gentium, Romanorum Respublica legum tractatione sapienter olim, & laudabiliter instituta esse perhibetur: quæ primò administrari ac gubernari cepit Regijs legibus, mox legibus 12. Tabularum, postea multis alijs legibus à populi seu plebis Magistratibus constitutis, deinde multis Senatibus consultis, plebis citis, prætorum edictis, iuris peritorum responsis, & postremò Cesarum placitis, siue Imperatorum constitutionibus, Regiæ leges latæ esse tradit à Romulo. Num Popilio, & ceteris deinceps

deinceps, succedentibus Regibus: quas leges in vnum collegisse Papirius fertur l. *Necessarium ff. de orig. iuris*, & inde dictum esse Ius Papyrianum: non quidem quod Papirius condiderit illud ius, sed quod collegerit, inque vnum veluti corpus contraxerit. Hæ leges dicuntur fuisse sequentes.

- 1 Ne quid inaugurato faciunto.
- 2 Patres, sacra, Magistratusque soli peragunto, ineuntoque, iusque dicunto.
- 3 Sacrorum omnium potestas sub Regibus esto: Sacra Patres custodiunto.
- 4 Plebei agros colunto.
- 5 Populus Magistratus creanto; Leges sciscunt; bella decernunto.
- 6 Deorum fabulas ne credunto.
- 7 Deos peregrinos præter Faunum ne colunto.
- 8 Nocturnas in templo vigiliis ne habento.
- 9 Ne quis præsentibus sceminis obscena verba facito.
- 10 Quisque demissam ad talos togam in vrbe habeto.
- 11 Parricidas omnes capite puniunto.
- 12 Ne quis, nisi per portas urbem ingreditor, neque egreditor. Mœnia Sacrosancta sunt.
- 13 Mulier viro legitime coniuncta fortunatum, & sacrorum socia illi esto: vtque domus ille dominus, ita hæc domina.
- 14 Filia vti Patri, ita defuncto viro hæres esto.
- 15 Adulterij conuictam vir, & cognati, vt volent, necanto.
- 16 Si vinum biberit, domi vt adulteram puniunto.
- 17 Parentum liberos omne ius esto relegandi, vendendi, & occidendi.
- 18 Monstruosos partus sine fraude cædunto.
- 19 Has leges Franciscus Balduinus, & Paulus Manutius recensent: alius addit Paulus Præterius in veteri iurisprudentia.
- 20 Virum vxor ne deserito. Vxorem, si in veneficio natorum, adulterioque deprehensa, clamare marito fuerit, repudiandi ius esto. Qui præter has causas repudiari, rerum suarum pars vxori dator, pars Ceteri sacra esto.
- 21 Deprehens in homicidio, statim puniuntor.
- 22 Plebei, quem sibi ex Patritijs patronum volent, deligunto.
- 23 Iudicij fraus ne adhibetor.
- 24 Maximarum iniuriarum iudicium penes Reges esto: minorum, penes Senatores.
- 25 Anni mensis decimus esto.

Franciscus Balduinus iuriconsultus testatur se inuenisse primas duodeuiginti leges in antiquissima tabula; ex quibus etiam aliquas Paulus Manutius in suo de legibus libello recenset: sed eiusmodi legibus multi docti viri auctoritatem, & fidem abrogant. Iacobus Cuius affir- mat eas leges esse confictas: alij, veras esse contendunt, eo quod ex Cicerone, Dionysio, Liuijo, & Plutarcho videantur esse collectæ. Primæ namque legis coniectura sumpta est ex Cic. l. *de diuinatione*, & ex Dionysio, lib. 2. *antiquæ Romanæ*. vbi

ait. *At Romulus, confirmatus in regno diuinitibus, aduocata concione, & indicatis auspicijs, Rex declaratur consensu omnium, & morem instituit in posterum nequis inauspicato regnum assumeret, magistratumque iniret.*

De secunda, & quarta legibus ita Dion. lib. 2. Romulus porro postquam discreuit potiores ab inferioribus; mox latis legibus præscripsit, quid vtriusque faciendum: vt Patritij sacra curarent, Magistratus gererent, ius redderent seu Rempublicam administrarent: Plebei vero ab his negocijs, quippe qui talium imperiti essent, vacarent propter inopiam, agros colerent, pecora alerent; opificia quæstuofole exercerent.

De tertia lege idem Dion. libro 2. sic Honores, & potestates (Romulus) distribuit sic: Regis quidem, eximia munera fuerunt hæc: Primo, vt sacra curaret atque sacrificia, per eumque gereretur quicquid ad placandos Deos attinet. Deinde, vt legum ac morum patriorum haberet custodiam, & iuris siue naturalis, siue eius, quod scripta, & pacta continet, vtque Senatam cogere, populum in concionem vocaret, & primus sententiam diceret: quod pluribus placuisset, ratum haberetur: Regi denique attribuit summum imperium in bello.

De quinta lege, ita Dionysio, lib. 2. scribit: Plebi tria hæc commisit: Magistratus creare; leges sancire; de bello, referente Rege, decernere: ita tamen, vt Senatus quoque in his auctoritas accederet.

Sexta Lex eodem Dionysio, lib. 2. sumpta est, apud quem ita legimus: Fabulas à Maioribus de Dijs traditas, probra eorum continentes, & crimina, turpes censui, & inutiles, ac ne probis quidem viris dignas, nedum Dijs superis: repudiatisque his omnibus, ad bene, & præclare de immortalibus sentiendum, & loquendum, ciues suos induxit, nihil his assingi passus beatæ illi naturæ purum consentaneum.

Septima Lex colligitur ex Dionysio, libro 2. & apud Cicer. *secundo libro de legibus*, inter alias habetur: separatim nemo habebit Deos: neque nouos, sed nec aduenas, nisi publicè auctos; priuatim colunto.

Octaua apud eundem sic legitur. Nocturna mulierum sacrificia ne fupto, præter olla, quæ pro populo rite fient. Neque quem inuito, nisi (vt assolet) Cereri, Græco sacro: & ex Dionysio lib. 2. videtur desumpta.

Nona, & decima, & vndecima ex Plutarcho sumptæ videtur. is enim in Romulo scribit: *Mulieribus Sabinis: captis multos honores esse tributos: cuius generis, & hi fuerunt, vt via eis decederetur: ne eis præsentibus obscenum quidquam diceretur: vt qui nudum se ab eis videri passus fuisset, criminis capitalis reus haberetur.* Id etiam singularis fuit consilij, quod cum nullum contra eos, qui patrem suum occidissent, ius priuatim poluisset, omne homicidium parricidij vocabulo notauit. quod hoc sceleratum, illud ne existeret quidem posse, iudicaret.

De duodecima Pomponius Iuriconsultus in l. *vt. ff. de verum diuisione*, mentione, facit, cū ita scriptū reliquit *Si quis violauerit muros, capite punitur: sicut si quis transierit sculis admotis, vel alia qualibet ratione.* Nam ciues Romanos alio quā per portas egredi nō decet: cum

illud

illud hostile, & abominandum sit, Nam & frater Romulus Remus occisus traditur ob id, quod muros transcendere voluerit. Sic ille Plutarchus in *Questionibus Romanis*, q. 7. quærit cur omnem murum sacrum habent, portas non item? An vera est Varronis sententia, muros propterea sacros habendos, vt pro ijs ciues pugnent, & mortis periculo se committant? Portæ verò sacræ esse non possunt, quia per eas, & alia necessaria, & caduera, & stercore effe-runtur. Sed melius Pomponius Muri, inquit, sacri existimantur, quia hostium est muros transcendere; & per muros in urbem intrare: Ciuium verò est per portas ingredi & egredi. Item, muri sunt urbium propugnacula ad custodiam eorum; ac proinde intacti esse debent; Portæ verò sunt ad ingrediendum, & egrediendum.

Legis xiiij. & xiiij. apud Dion. lib. 2. testimonium extat: Mulierem legitime nuptam voluerunt sacræ leges, ita cum viro conuenire, vt particeps esset possessionum; & sacrorum omnium. Legitimas nuptias antiqui Romani Farra-cia vocabant, quia coniuges eodem farre vescerentur. Et paulo post: Mulieres nuptæ non habebant, quo se alio verterent, quia lex cogebat uxorem mariti se accommodare moribus, & virum sic uxorem habere, vt rem sibi necessariam putaret. vxor enim pudica, & marito semper obsequens: æquæ ac ille, domus est domina, in mariti defuncti bona succedit vt hæres, sicut parentis filia, ex affe quidem, si is liberis carens ac intestatus decedat; quod si prolem habeat, ex æquo cum liberis.

xv. Legis sic meminit Dionysius lib. 2. Si aliquid contra pudicitiam peccasset mulier, pœnam luebat ex mariti laci arbitrio: de quo crimine vna cum eo cognati cognoscebant.

xvj. Legis sic idem meminit Auctor. libro 2. Damnauit Romulus in mulieribus, & adulterium, & violentiam. Si deprehensa vxor vinum bibisset, vt adultera puniebatur. Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. Vini vsus, inquit, olim Romanis feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximum à Libero patre intemperantia gradus ad inconcessam venerem esse consuevit. Plinius lib. 14. cap. 13. Non licebat vinum foeminis Romæ bibere. Inuenimus inter exempla, Egnatij Mecennij vxorem, quod vinum bibisset è dolio, interfectam fuisse à marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Agellius lib. 10. cap. 23. adducit M. Catonis orationem de dote, in qua erat scriptum, in adulterio vxores deprehensas ius fuisse maritis necare, & ex eadem oratione subiungit. Si quid peruerse, retræque factum est à muliere, mulctatur, si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecerit, condemnatur. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit Matronam, quod loculos, in quibus erant claues vinarie cellæ resignauisset, à suis inedia mori coactam.

xvij. Legis testimonium etiam extat apud Dionysium: nam Libro secundo scribit, Romulum potestatem patri dedisse in filium, idque toto vitæ tempore, siue in carcerem eum mittendi, siue flagris cædendi, siue victum ablegandi ad opera rustica, siue necandi, etiam si filius traheret Rempublicam; & gereret magistratus maiores. Immo dedit potestatem eum vendendi e-

tiam ter, si primo, aut secundo venditus rediret: quæ lex tametsi iniqua esse videretur, tamen filios in officio continebat, & cogebat esse parentibus obsequentes.

xviii. Legis etiam meminit idem Dionysius libro secundo, cum ait: Quicquid esset masculinum, & è filiabus primogenita, educari voluit nullam prolem necari permisit minorem triennio; nisi forte si quid mutilum, vel aliqui prodigiosum esset: tales enim foetus exponi à parentibus nõ vetuit, sed indicatos prius quinq; vicinis proximis, si illis quoque exponendos esse visum fuisset. Contra hanc legem committentium, præter alias multas, etiam dimidium bonorum addixit ærario.

xix. Lex sumpta est ex Plutarcho in Romulo, vbi legitur; Leges etiam quasdam tulit Romulus, inter quas vehementis est illa, qua mulieri maritum relinquendi potestas adimitur; viro autem repudiandi uxorem coactum, si veneficio circa prolem vsa fuisset, aut alienum clam pro sua supposuisset, aut adulterium commisisset: si qui alia de causa repudiasset uxorem, eam bona partium vxoris cedentem, partim Cereri sacra forent.

xx. Est eadem; quæ vndeçima, de qua iam dixi.

De xi. Lege sic Dionysius libro secundo. Commendauit Romulus plebem Patriiij, optione cuique à vulgo data, vt quem vellet, patronum sibi deligeret. Et Plutarchus in Romulo. Romulus, inquit, potentiores à vulgo se iunxit, Patronos eos appellans, vulgus autem clientes: eaque mirificam benevolentiam mutuo excitaui, & eam iura inuicem magni ponderis consecuta sunt.

De xxij. & xxij. sic est apud Dionysium libro secundo. Statuit Romulus, vt Rex de iniurijs grauioribus causas ipse decerneret, Senatus leues permitteret.

xxiiij. Legis meminit Macrobius libro primo Saturnaliorum cap. 12.

Mihi videtur incertum, an hæ leges scriptæ fuerint eo tempore, quo Reges Rempublicam tenebant: nam Latini sermonis stylus cum illis temporibus antiquissimis non videtur admodum conuenire. Fortasse tunc vsu, & consuetudine, & mandato ac iussu Regum verbis, nõ scriptis tradito seruabatur, quod in his legibus continetur: ita vt postea scriptæ sint leges, vel quod verisimilius puto, hæ leges coniectura quadam sumptæ sunt ex aliquibus Dionysij Halicarnasensei, Plutarchij, Liiij, Ciceronis & aliorum scriptorum locis, quos adscripsi.

Cap. LXIII.

Leges XII Tabularum.

Leges xij. Tabularum Cicero plurimum commendauit; quare cum sex libros De optimo genere Reipublicæ scripsisset, & animaduertisset Platonem de Republica, & de legibus multa litteris tradidisse, eius imitatione, & exemplo, maximis laudibus profectus est leges, quibus optimus Reipublicæ status vteretur: & libro secundo multa ex veteribus illis legibus commemorat. Et libro primo de oratore loquens de legibus 12. Tabularum, ait: Prestant omnes licet, dicam: quod sentio, bibliotheca mehercule omnium Philosophorum vnus mihi videtur 12. Tabularum

*libellum si quis legum fontes, & capita viderit, & ancil-
ritatis pondere, & utilitatis veritate superate.* In libro
secundo de legibus, pueros Romanos discere so-
litos ait. 12. Tabularum leges, vt carmen necessa-
rium. Vnde quidam putarunt 12. Tabularum le-
ges esse versibus conscriptas: quod ipse non pro-
bo. Romani Decemuiros constituerunt, quibus
legum ferendarum auctoritatem dederunt, nam
tres legatos in Græciam miserunt: qui anno
tertio reuersi ex Græcia, in decem Tabulis de-
scriptas leges ex Dracone, Solone, & Lycurgo
attulerunt: quibus alias duas Tabulas legum,
Decemuiros ad id à Populo delecti addiderunt:
in quibus aliqua suppleuerunt, mutarunt, detra-
xerunt, & declararunt. Harum porò 12. Tabu-
larum leges multi varijs modis enumerant An-
tonius Augustinus Tarraconensis Archiepisco-
pus 55. refert, alij plures recensent, Porò, meo
iudicio, leges 12. Tabularum partim erant de iu-
re sacro, partim de iure publico, partim de iu-
re priuato.

Prima Lex. xij. Tabularum.

Sacra priuata perpetuo manent. Huius legis me-
minit Cicero in oratione pro Muræna, & lib. 3. de legi-
bus, sententia legis est hæc: vt quæ sacra gens ali-
qua, coleret siue illa patritia, siue plebeia esset,
ea deinceps ab ijs, qui eiusdem stirpis futuri sel-
sent, colerentur, & conseruarentur, vnde etiam
illud institutum constat, vt & mulieres in viro-
rum, & adoptati, in parentum, & hæredes in de-
fectorum sacra transfrent.

ii. *Homini mortuum in vrbe ne sepelito, neque vi-
uita.*

Refert hanc legem Cicero. libro secundo de
legibus, & explicat eam. Ideo statutum id esse,
ne locus publicus priuata religione obligare-
tur. Fortassis lex prohibuit in vrbe sepeliri ca-
dau era, ne vrbs contaminari videretur: *Neue vi-
uita.* Credo, inquit Cicero, propter ignis pericu-
lum. Legimus tamen Imperatores sepultos esse
in vrbe, quia erant legibus soluti Virgines vesta-
les licet viue ob crimen intra vrbem tamen cre-
mabantur, sic etiam quidam alij ob eximiam vir-
tutem in vrbe sepulti fuerunt.

iii. *Ne funerum sumptus fierent, nisi in tribus vicinijs,
& clauis purpureis, & decem tibiicinijs.*

Legis sententia est: Ne plures quam tres ves-
tes cum mortuo, vel conderentur, vel vrerentur.
Hanc legem refert Cicero libro secundo de
legibus, sumptaque est ex legibus Solonis. Apud
Athenienses Solonis lege cautum erat, ne plures
decem tibiicinijs ad funerum pompam adhi-
berentur. Ricinium, ait Festus, erat omne vesti-
mentum quadratum, vel toga, qua mulieres v-
rebantur, prætexta clauo purpureo. In more a-
pud Veteres erat, vestimenta quedam cum
mortuis conderi, vel vrere. Vnde Virgilius *Ae-
neid. 6.*

Purpureasque super vestes, velamina nota, iniiciunt.

Et Suetonius in *Cæsare*: Scenici artifices ves-
tem, quam ex instrumento triumphorum ad
præsentem usum induerant, detractam sibi at-
que discissam iniicere flammæ, Quidam alij ri-
cinia putant fuisse vestes lugubres, quibus mu-
lieres in funeribus vrerentur.

Et decem tibiicinijs. Teste Seruio lib. 5. *Aeneidos*,

apud Antiquos consuetudo fuit, vt mortui ma-
ioris ætatis ad tubam proferentur; minoris, ad
tibias. Lex ergo præscribit modum funeris.

iiii. *Rogum ascia ne polito.*

Sententia legis est; vt è rudibus, & impolitis
lignis pyra conficeretur, ad cremandam mortuo-
rum cadauera. Solebant Romani nimio quodam
fastu, & nimio sumptu sepulera exornare: vnde
lex remouet è funeribus sumptus immodera-
tos, vanos, & inutiles, fuit quoque lex Solonis,
ne quia faceret rogum ascia nec poliret.

v. *Mulieres genas ne radunto, neue lessum fu-
neris ergò habento.*

Hæc lex desumpta est à Solone, qui prohibuit,
teste Plutarcho, in funeribus corpus, laniare: la-
mentationemque meditatam edere. Testatur
Seruius in illud *Aeneidos 12.*

“Et vos eas lanata genas.

Moris fuisse apud veteres, vt ante rogos hu-
manus sanguis effunderetur, vel captiuorum,
vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset,
mulieres laniantes genas vngibus eas cru-
entabant, & ora lacerabant, vt cruore effuso in-
feris satisfacere viderentur. Hoc igitur vetuit
lex 12. Tabularum, vt ait Plinius lib. 11. cap. 37.

Lessum funeris. Ex Cicerone secundo libro de legi-
bus, videtur esse aliquod genus vestimenti fune-
bris, vel lugubris eiulatio: Prohibuit itaque lex,
ne aliquid in funeribus abieciè, timide, seruili-
ter & muliebriter fieret, vt ait idem Cicero in
Vulsculanis questionibus. Vnde Plato. lib. 12. de legibus.
Flere, inquit, mortuum, iubere, aut vetare absurdum est:
plangere verò & voces ac lamenta extra ades mittere, ve-
canduum.

vi. *Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus fiat:
extra quam si militia, aut peregre mortuus sit.*

Exat apud Ciceronem libro secundo de legibus
Legisque sententia hæc est: vt postea quam cre-
matum cadauer est, ossa è cineribus legerentur,
statimque loco proximo in terram conderen-
tur, ne si alium in locum sepeliendi causa depor-
tarentur, luctus duplicaretur, & sumptus. Excipitur
autem ab hac lege, qui aut in malitia, aut
peregre mortuus fuisset, vbi scilicet funus ei fie-
ri non liceret. vnde in l. *Et si. §. Impensa, & l. Dni fra-
tres. ff. De religiosis, & sumptibus funerum*, is sumptus
funeris probatur, cum peregrè mortuus in suum
sepulchrum transfertur. Alij legem sic interpre-
tantur.

Homini mortuo ne ossa legito. id est. ne adimito, &
auferto. legere enim apud Antiquos, idem erat
quod auferre: vnde dictus est sacrilegus, qui au-
fert res Deo consecratos. Et quia mortuis digi-
tus, vel aliquid aliud membrum detrahebatur,
reliquo corpore combusto, ideo hoc fieri vetuit
lex.

vij. *Vt seruilis vinctura, omnisque circumpotatio tol-
latur.*

Solebant olim mortuorum corpora vngi o-
doribus, & vnguentis: quare lex prohibuit id fie-
ri in corporibus seruorum sepeliendis: neque e-
nim prohibet lex, quo minus liberi homines
mortui vngantur: nam in l. *funeris. ff. de religiosis
& sumptibus funerum*, ij sumptus probantur, qui
vnguento pro mortui corpore comparato, facti
sunt.

viii. *Vt ne sumptuosi reserptio feret: neue mirrata potio mortuo inderetur: neue longa corona: neue acerra adhiberentur.*

Moris fuit apud veteres, vt cadaver rogusue liquoribus quibusdam pretiosis perfunderetur: quod ne amplius fiat, hac lege prohibetur.

Murrata potio, siue mirrina, putatur fuisse quædam potio arte confecta, & magni sumptus.

Neue longa corona. Longæ coronæ dicuntur, vt distinguantur à rotundis, quibus busta, sepulchra, sellæ currules, theatra, & currus triumphales ornari solebant.

Neue acerra. Festus scribit acerram esse aram, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Alij verò putant esse arculam, in qua thus reponebatur. vetuit ergo lex; aras prope sepulchra fieri cum thure incensisque odoribus.

ix. *Qui coronam parit ipse, pecunie eius, virtutis ergo arduior, ipsique mortuo, parentibusque eius, dum intus positus erit, forisque feretur sine fraude imposta esto.*

Sensus legis est: vt permittatur adhiberi ad funera eas coronas, quas quis vel per se ipse, vel per seruos, equosue suos virtutis ergo in publicis ludis, & certaminibus sibi peperisset, quasi dicat, Tanquam præmium virtutis victoribus proponantur coronæ in sepulchris eorum, qui eas consecuti sunt.

Pecunie nomine intelliguntur equi, & serui.

Arduior. Antiquum est verbum, ab arduo siue ad duo; idem significans quod addo. Recitat hanc legem Plinius lib. 27. cap. 3.

x. *Vt plura funera ne vni fierent: neue lecti plures in ferrentur.*

Gloriosum fuerat apud veteres Romanos funera plurimis lectis efferi: pauperes capulis siue pheretris efferebantur: ditiores, & potentiores lectis. Vnde Sulla sex millia lectorum habuisse fertur.

xj. *Neue aurum addito: ast quoi auro dentes vincierunt, cum illo sepelire, & vtere, se fraude esto.*

Vetat lex sepulchris aurum iniici: nam moris erat apud Antiquos vt in rogum vnâ cum mortuo pretiosa multa inijcerentur. Excipit verò lex eos, quibus dentes, qui exciderant, aut euulsi fuerant, auro incrustati essent, ita vt liceret eos cum mortuo sepelire sine fraude.

Ast quoi. Id est: At cui dentes, qui exciderint vel euulsi fuerint, auro erunt vinciti, id incrustati.

Im cum illo. significat, cum cum illo anno auro cremari, vel sepelire licet per legem.

Se fraude. Id est, sine fraude, se, pro sine, antique dictum est teste Festo.

xij. *Rogum bustumne nouus ne proprius ades alienas eo, pedes inuito domino adijcitis: neue forum sepulchri, bustumne vsu capito.*

Præscribit lex ambitum sepulchrorum Cicero Philippica. 9. *Maiores, inquit, nostri statuas multis decreuerunt: sepulchra paucis, sed statuas intereunt tempestate, vi, vetustate: sepulchrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moueri, neque deleri potest.*

xij. *Domum esse omnium rerum ac moderatorem Deum.*

Hanc legem recitat Cicero libro secundo de legibus: quamuis more Gentilium dicat, Deos esse rerum omnium dominos, & moderatores.

xiii. *Ad Diuos aduentu casto: pietatem adhibent: opes amouento, Quis secus secit, Deum ipse vindex eris.*

Cicero libro secundo de legibus.

xv. *Constructa à Patribus delubra habento. Lucus in agris habento, & Larum sedes.*

xvj. *Dinos, & eos qui caelestes semper habiti, colento, & alios, quos in celo merita vocauerint.*

xvij. *Nulla Vitorum sacra solennia obento: est oles, propter qua datur homini ascensus in celum, virtus, pietas, fides, colento.*

xviii. *Feris iurgia amouento: casque in famulis, opibus paratis, habento.*

xix. *Ceruas fruges, ceruasque baccas sacerdotes publicè libento: hoc certis sacrificijs ac diebus, item que alios addes, vberitatem latissimamque seruant.*

xx. *Cursus annuus sacerdotis finiant.*

xxj. *Diuis alijs, alijs sacerdotibus omnibus Pontifices, singulis flamines iungo.*

Atque hæc quidem leges vt prædiximus ad ius sacrum pertinebant: ad ius verò publicum, sequentes.

i. *Lex Iustus populi, & suffragia sunt. Vno demque potestrem populum iussit, id ius ratumque esto.*

Sic ex Liuii lib. 7. & 9. Decadis. i. & hinc est, vt Iustinianus Insti. de iure naturali, & gentium, §. Lex, dixerit: *lex est, quod Populus Romanus constituit in Senatorio magistratu, veluti Consule interrogante. Rogabitur autem Populus in hunc modum, quem Cicero in oratione pro Domo sua expressit: vobis, iubeatis vt M. Tullio aqua & ignis interdicitur, Sed postea lege, regia potestate in Principem translata, is solus legislator censetur.*

Suffragia sunt, suffragium est vox illa: quæ dabatur in Comitijs, & in tabellis describeretur, qua quisque declarabat suam voluntatem de aliquo magistratu creando, aut reo capitis damnando. Initio palam ferebatur: postea late sunt tabellariz leges, quæ voluerunt, vt suffragia tabellis describerentur cum Senatus, & Populus multa iubebat tandem id vim habebat, quod iubebat Populus.

2. *Lex Præiugia ne irrogant.*

Huius legis meminit Cicero libro tertio de legibus, cuius sententia est, Ne de priuis, hoc est, singulis hominibus leges ferrentur; cum æquitatis ratio postulet, vt omnes homines summi cum infimis pari iure teneantur, & iura non in singulos, sed in omnes generatim ferantur.

Ne præiugia. Hoc est, Ne iura sint singularia, ne in gratiam, aut fauorem certi hominis iura constituantur.

Irrogant. Irrogare proprie significat infligere, vt irrogare poenam, iniuriam: hoc in loco videtur positum pro simplici, rogant, quasi diceret, Ne iura in singulos introducantur.

3. *De capite cuius nisi per maximum Comitiorum edictum, que quos censoris in partibus populi sacras, ne feruato.*

Hanc legem commemorat Cicero libro tertio de legibus, & in oratione pro Sexto. sententia legis est: De capite cuius nisi centuriatis comitijs sententiam fer-

triam ferri Romani noluerunt. Vnde scribit Pomponius, non potuisse Consules iniussu Populi de capite cuius Romani iudicare; ideoque seculares consilibus aliquando adempta, ea lege & conditione à Lergio Dictatore restituta dicuntur, ne ijs in caput Romani iniussu populi animaduverterent. Posterioribus tamen temporibus, constitutis quaestionibus publicis non ipse Populus de omnibus criminibus capitalibus iudicauit, sed quaestores parricidij, vel Praetores publicarum quaestionum delegit, ijsque illa iudicia commisit.

Per maximam Comitatum. Hoc est, per centuriata Comitata, in quibus populus descriptus, sensu, ordinibus etatibus plus adhibebat in suffragium consilij, quam fufae, & generatim in tribus conuocatus.

4. *Vi si iudex arbitrio iure datus pecuniam ob rem iudicandam accepisset, capite pœnas lueret.*

Damnat, ex iudicum perfidiam.

5. *Vi qui falsum testimonium dixisset, è saxo Tarpeio deijceretur.*

Sumpta est hæc lex ab Atheniensibus, vt colligitur ex Cicerone in oratione pro Flacco.

6. *Ne quis hominem indemnatum occideret: hominis ne occidendi causa, cum telo esset.*

Sententia legis est, Post patrata facinora, neminem sine iudicis sententia puniendum. Petita est hæc lex ex legibus Lycurgi, quæ id prohibent Nam si absque iudicio, & sententia hominem fas esset occidere, multis daretur occasio ad cades pro libidine patrandas.

Hominis occidendi. Huius partis legis meminit Cicero in orat. pro Milone, sic inquit: Cum lex verat esse cû telo hominis occidendi causa; eadẽ tacite permittit, esse cum telo sui defendendi causa.

7. *Ne quis in Vrbe catus nocturnos agnaret.*

Fit huius legis mentio in Declamatione Porcij Latronis in Catilinam apud Salustium. Prohibebantur nocturni cœtus, ne facinorosi homines aliquid contra Rempublicam noctu molirentur. Hinc alia lex est. Tabularum: *Sol occasus supra tempora esse.* Hoc est: Post solis occasum nullum sit agendi tempus.

8. *Vi si quis hostem concussisset; ciuemve hosti tradidisset, capite pœnas lueret.*

Recitat hanc legem Marcianus in l. 3 ff. Ad legem Iuliam Maiestatis. Prima pars legis, teste Francico Balduino, significat: Si quis iniussu Populi, vel Principis bellum gereret, delectum haberet, exercitumue compararet, tanquam reus Maiestatis, capite puniretur. Secunda pars: Si quis exercitum Populi Romani hostibus traderet, capite puniretur. Tertia: si quis hostem arcere nollet, aut exercitum desereret, vel ad hostes profugeret, capite plecteretur.

9. *Vi qui ades alienas aërumque frumenti iuxta ades possum, dolo malo combussisset: vinclis, verberatus igne necaretur: si si casu id fecisset noxiam faceret, pratoris iure arbitrari castigaretur.*

Huius legis testimonium extat apud Caium in l. con. in l. 2. de iud. ff. De incend. ruin. & apud Calistratum in l. Capitolium S. 10. ff. De Panis, & apud Paulum lib. 5. sement. cap. 4.

10. *Ne quis fruges excantassit.*

Meminit huius legis Seneca, libro quarto Naturæ.

lium quaestionum, & Plinius libro 2. cap. 2. & li. 1. cap. 1. Alij hanc legem sic recitant:

Qui fruges excantassit: & qui malum carmen incantassit, coercetor.

11. *Nebis alienam segetem pellexeris.*

Sententia legis est: Ne facas Segetes alio transtuleris.

12. *Sanatibus idem quod forctibus ius esto.*

Extat hæc lex apud Festum, qui Sanates dictos vulgè eos, qui supra infraque Romam habitauerunt: qui cum à Romanis defecissent, breui post redierunt, quasi sana mente. Legis sententia est: Vt idem iuris illis sit quod forctibus, id est, bonis, qui numquam defecerunt à Populo Romano.

Tertia pars legum istarum Tabularum erat: de iure priuato.

1. Lex: De Patria potestate.

Vt ijs qui ex patre, matreque familias eius naceretur: in sui patris manu familias manu, potestate; mancipioque esset: haberetque pater familias ius in eum vitæ, ac necis, terque filium venundandi potestatem.

Hoc ius fuit proprium ciuium Romanorum, vt ait Iustinianus instit. de patria potestate.

2. De testamentis ac tutoribus.

Pater familias vti legassit super pecunia, tutelaue suæ rei, ita ius esto.

In l. Verbis legis, ff. de verbo. significa. habetur, amplissimam potestatem hanc lege tributam esse patribus familias testandi, hæredes instituendi, legata, & libertatem dandi, tutores quoque constituendi: ita vt etiam si Praetorem aut Consulem suis liberis tutorem instituerent, eos ad hoc onus suscipiendum obligarent.

Vti legassit. Id est, vti statuerit siue decreuerit.

3. Parentibus tutorum liberis in potestate dandorum testamentis ius esto.

Meminit huius legis Caius l. 1. ff. De testament. tutel. Et addit, etiam posthumis filijs posse tutores, parentum testamentis dari, eo quod posthumi pro iam natis habeantur.

4. *Vi si paterfamilias intestato moreretur, agnotorum, gentiliunque in ipsius popilliorumque pecunia potestas esset.*

Vlpianus l. 1. ff. De legitim. tutori. Ratio legis erat, vt ij, qui sperare poterant hereditariam successionem tuerentur bona tanquam legitimi tutores, ne delapidarentur. Agnati dicuntur: qui ex eadem familia nascuntur; & idem cognomen habent: Gentiles vero, qui ex eodem genere nascuntur, & simili nomine appellantur Item, Agnati dicebantur, qui erant per patris cognationem conuicti, veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius; nepos, & alij posterij ex eo: item patruus, & patruus filius, & nepos ex eo.

5. *Si furiosus existat, agnotorum, gentiliunque in eo, pecuniaque eius potestas esto.*

Huius legis meminit Cicero lib. 2. de Tuentione, & Tusculana sexta: vt qui prodigus existeret, si Prator, causa cognita bonis suis interdiceret, inque ipsius pecunia, agnotorum, gentiliunque potestas esset. Huius etiam legis meminit

Vlpianus l. 1. ff. De Curatoribus furioso. Testatur Balduinus ex lege Solonis, infamia notari eum, qui patrimonium decoxisset, & foro, & concionibus arceri.

vij. *Mulieris orbæ, inuuptæ in fratris agnatione proximi tutela esto.*

Huius legis meminit Cicero in Oratione pro Murena: nam propter infirmitatem consilij voluit lex, vt fœminæ essent in potestate parentum, fratrum, vel virorum. Vnde dicta est seruitus muliebris, quia dum viuunt parentes, fratres, vel viri, eorum potestate solutæ non sunt. Filix familias, in matrum suarum potestate nuptæ in virorum manu orbæ, inuuptæ, in fratrum, vel agnatorum tutela erant: vt ostendit M. Caro differens de lege Oppia apud Liuium Decadis. 4. lib. 4.

vij. *De suspectis tutoribus.*

Vt si quis doli mali culpæ in tutela gerenda suspectus videretur: eum cuius apud Prætorem suspecti argueret, ius esset vtque dolo damnatus, infamis fieret.

Hanc legem Cicero lib. 3. officiorum, commemorat.

ix. *Vt qui per tutelam pupillum fraudasset eiusque rem furatus esse conuinceretur, infamia notatus, duplionis pœnam subiret.*

Extat huius legis testimonium apud M. Tullium in oratione pro Cœcilia, & pro Roscio Comædo.

X. *Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.*

Apud Romanos, vt dicit Agellius lib. 2. cap. 1. & lib. 5. cap. 13. moribus comprobatum fuit, vt clientem in fidem receptum cariorem patroni haberent, quàm propinquos: eumque etiam aduersus hos tuerentur: nam licebat patroni testimonium contra propinquos dicere, aduersus verò clientem pro cognatis non item.

Sacer homo dicebatur, teste Festo, quem populus ob maleficium iudicauit, quemq; immolari fas non erat, sed qui eum occidebat, impunitus relinquebatur.

xj. *De legatis & heredibus.*

Vt quisque legasset, ita ius esto.

Memorans hanc legem Pomponius in l. Verbis, ff. de verbo. signif. ait Liberum erat Romanis simpliciter hæredem instituere quem vellent, ita vt etiam bona suis seruis relinqueret. Seruus autem eo ipso quod hæres instituebatur, liber fiebat: & hoc erat vnum genus manumissionis, videlicet per testamentum.

xij. *Vt cum paterfamilias super familia sua legaret, nexum faceret, perque æs & libram familiam manciparet: ac præter libripendem ciues Romanos puberes ne minus quinque adhiberet.*

Apud Romanos testamentum per æs & libram appellabatur cum pater familias ei, quem vellet successorem relinquere, familiam suam, & vniuersum ius patris familias mancipio vendebat, & simul hæredes mancipabat, & quinque aderant testes, omnes ciues Romani, & puberes, & ipse libripens, & emptor. Huius legis argumentum suppeditabat Agellius libro 15. capite 34.

xij. *Cui nexum faciet, mancipiumque, vii lingua nati, cupasset, ita ius esto.*

Sensus legis est: Cum pater familias per æs & libram familiam venderet, vt nominauerit, videlicet hæredem, & vt de suis bonis decreuerit, id ratum sit. Huius legis reliquæ extant apud Ciceronem libro primo de Oratore & apud Festum.

xiii. *Qui se scierit testatier, libripensve fuerit, intestabilem faciat, id est, seruiatur improbus, intestabilisque esto.*

Sententia legis est: Qui de testibus ad testamentum adhibitis, quales quinque ciues Romani puberes cum libripende ex lege supradicta erant, rogari, iure voluerint testimonium dicere, & fateri testamentum ita conditum fuisse, sequere testes à testatore fuisse adhibitos, pœna multentur. Extat hæc lex apud Agellium lib. 15. cap. 13.

Qui se scierit testatier. Id est, qui se in testem vocari passus fuerit. Scierit pro fuerit, vetustè dictum. Intestabilis in hac lege dicitur is, cui testimonij dicendi ius non est: siue is, cuius testimonium iura non recipiunt.

xv. *Vtique filij familias bonorum paternorum suorum, suæque hæredes essent.*

Tria erant apud Romanos hæredum genera: Aut enim erant hæredes necessarii, aut sui & necessarii, aut extranei. Necessarii, tractus hæres institutus, quia siue vellet, siue nollet omnino post mortem testatoris proinus liber & necessarius hæres fiebat. Hæredes sui & necessarii erant filius, filia, nepos, vel neptis ex filio, & deinceps ceteri liberi, qui in potestate testatoris, cum obijt, fuerint.

Dicuntur sui hæredes, quia sunt in potestate testatoris. Necessarii verò, hæredes, quia siue velint, siue nolint, tum ab intestato, tum ex testamento, lege xij. Tabularum, hæredes sunt. Ceteri, qui testatoris iuri subiecti non sunt, extranei hæredes vocantur. Vnde hæc lex ab alijs recitatur in hunc modum: Intestatorum hæreditates, in suo suorum hæredum, velint nolintve sunt.

xvj. *Vt si qua mulier post viri mortem in decem proximis mensibus pareret: qui, quæve ex ea nasceretur, suus, suæve in viri familia heres esset.*

Prima legis pars inuenitur apud Agellium libro 3. cap. 16. Altera pars habetur apud Vlpianum l. 3. ff. de suis & legiti. & apud Iulianum lib. 6. & 7. eodem titulo.

xvij. *Si pater familias intestato moritur, cui suus nec extabit heres, agnatus proximus familiam hæbet.*

Huius Legis fit mentio apud Iustinianum Instit. de heredi. que ab intestato, & apud Paulum, ff. de liberis & posthu. l. 9.

xvij. *Intestato libero mortuo, primogeni sui succedat: si hi non fuerint, patronus.*

Meminit huius legis Iustinianus Instit. de successione libertorum. Si Nunc de Libertorum bonis. Et Vlpianus in l. intestato, ff. de suis & legiti. poterat tamen libertus etiam extraneum in testamento scribere, & patronum impune præterire, is autem ff. de iure patro. l. liberti, ff. de bonis libero.

xxix. *Vt ceterarum rerum, si heredes partem quique suam habere mallet, familia, hereseunda arbitrium sumeret, cui totius rei ius, arbitriumque permitterent.*

Habetur hæc lex apud Caium l. 1. ff. *Familie hereseunda*. Nominè, familia, intelligitur res hæreditaria. Herciscivi veteres dicebant pro diuidere. Id significat lex: Vt arbiter, hoc est, iudex compromissarius (familias hereseunda) id est, diuidendæ additus, primum singulas res, si commode fieri possit singulis adiudicet; Si non possit; & vnus pars præponderet, tunc cum alteri in pecuniam certam condemnet. Quod si vnus aliquis solus fructus perceperit, remque hæreditariam corruptit, aut consumpsit, tunc cum in certam quoque pecuniam condemnet.

xx. *Inter heredes pro hereditarijs portionibus, obligationes hereditarie diuise sunt.*

Sententia legis est: Vt obligationes testatoris, hoc est, quæ à testatore ad hæredes veniunt, inter hæredes diuidantur pro hereditarijs portionibus. Verbi gratia: Si testator votum aliquod fecit, aut centum alicui debet, tunc solutio illius voti vel pecuniæ debet fieri; non per vnum hæredem, sed diuidi in singulos hæredes, ita vt omnes conferant ad illius solutionem, pro hereditatis portione. Vnde creditores de mortui debitoris nequeunt agere contra vnum hæredem, sed bene tamen possunt contra omnes. Pari ratione, si quis testatori aliquam pecuniæ summam debeat; neq; soluat ante obitum testatoris, tunc hæredes eius omnes; non vnus tantum contra debitorem actionem habent.

xxi. *Vt que mulier cum viro esset annum vnum apud virum matrimonij causa fuisset, ea mulier, si trino diuini iuramentum esset, pro vsu capta haberetur.*

Habetur hæc lex apud Agellium libro 3. cap. ii & Macrobius lib. 1. *Saturnalis*. cap. 2. Præcipit hæc lex, vt quæ mulier annum vnum matrimonij causa apud virum fuisset, ea mulier anno exacto, in eius viri manu esset: at si ante anni finem tres noctes ab ea vir absuisset, dat potestatem lex mulieri interrumpendi vsucapionem, siue possessionem viri: sicut res mobiles anno vno, vii capiuntur; sic etiam vxor, si anno integro cum viro fuerit, manet in potestate viri. Et si cut iure ciuili rerum vsucapiones infringuntur: ita vxor si ante annum exactum tres noctes vir ab ea absuerit, non manet in potestate viri tamquam vsucapio eius sit interrupta.

xxii. *Ne conubium Patribus cum Plebe esset.*

Scribit Dionysius libro 10. Decem viros legem posuisse, vt conubia non essent inter patricios & plebeios. Abrogata est hæc lex postea per legem Canuleiam: Canuleius enim teste Livio libro 4. *Decadis* 1. Tribunus plebis legem tulit, vt deinceps Patribus cum Plebe, conubij ius esset.

xxiii. *Vt si è coniugibus alter alteri nuncium mitteret eumque suas res sibi habere iuberet, diuortium esset.*

Extat hæc lex apud Caium in lege penultima. ff.

ad leg. Iuliam de adul. Cicero in 2. Philipp. scribit, diuortia ex 12. tabulis permilla fuisse. Noli, inquit, credere: frugi factus est Antonius: mimam illam suam suas res sibi habere iussit ex 12. tabulis, claus ademit, exegit: Sic ille Sed etsi diuortia in 12. tabulis permilla fuerint, intra quingentos tamen annos nullum Romæ diuortium factum esse, Dionysius libro 2. & Gellius lib. 17. cap. 21. scriptum reliquerunt: primusque omnium Spur. Seruilius diuortium fecisse dicitur ob vxoris sterilitatem: eo quod iurasset se liberorum quærendorum causa vxorem duxisse.

xxiiii. *De in ius vocando.*

Si in ius vocato morbus, euitasne vitium esset: qui in ius vocatus, iumentum dato: si vult, arceram ne sternito.

Extat apud Agellium lib. 20. cap. 1. Vult hæc lex, vt in ius vocato homini pauperrimo, qui aut pedibus fortè æger esset; aut aliquo alio incommodo ingredi nequiret, arceram daretur, hoc est, plaustrum tectum vndique; & quasi quædam arca conclusum; ne causatio ægri corporis perpetuam daret fidem detrectantibus, iurisque actiones declinantibus vacationem. Phaurinus apud Agellium loco citato, improbavit hanc legem tanquam inhumaniter scriptam videlicet si homo in ius vocatus, aut ætate æger, ad ingrediendum inualidus esset, arceram non sternere-tur, sed ipse auferretur, & iumento impositus, ex domo sua ad Prætozem in Comitium, noua funeris facie efferretur. Quam ob causam, inquit Phaurinus, morbo affectus, & ad respondendum pro se non idoneus, iumento ad hærens, in ius deportatur? At Sex. Cæcilius hanc legem dicit esse humanissimam, quæ iumentum dari iubet ægro; aut leni in ius vocato; ne quis ob excusationem morbi; inopia, vel senectutis lites & controuersias subterfugeret & declinaret.

xxv. *Si iudex, vel alter ex litigantibus morbo fontis, impediatur dies iudicij diffusus est.*

Extat apud Agellium lib. 20. cap. 1. & apud Festum, ad hanc legem referuntur verba Iuliani Iurisconsulti in l. *quæstium*. ff. de senten. & re iudicata. Vult hæc lex, vt si iudex, vel alter ex litigantibus graui morbo corripere-tur, atque sic impediatur, vt in iudicio apparere; vel præesse non possit; actio illa in alium diem differretur *Morbo Sontico*. Id est, vehementi, & habente vim grauius nocendi, vt explicat Sex. Cæcilius apud Agellium lib. 20. cap. 1. Nam quia Sontes dicuntur nocentes, inde Sonticus morbus dictus est, qui nocet, vt habetur in l. morbus. ff. de verb. signifi. & in l. vlti. ff. de ædilit. edicto. *Diffusus est*. Id est, Diffusus, quasi dicit, diffundatur: vt explicatur apud Agellium libro 14. capite 2. & diem esse diffusum, idem est quod iudicium differri oportere.

xxvi. *Si in ius vocet, atque eat.*

Si vis vocatorem suum, ante staminor; ni sit, aurem capito ante stasi.

Si caluitur, pedem vè struit, manum endo dicit.

Mentio huius legis est partim apud Cicero, neu libro 2. de legibus, partim apud Festum in ver-

bo fruere. Sententia legis est: Vt cuius Romanus in ius vocatus; illico nulla mora interposita vocantem sequatur: & hoc est quod dicitur. *Si in ius vocet, atque eat.* Antiquè dictum est, atque, pro statim, vt docet Agellius lib. 10. cap. vii. Qui si sequi nolit, ad eum vt vi cogi oporteat. actor presentibus aliquos ciues antestetur, id est, in testes vocet: quod si adhuc sequi nolit, aurem antestati capiat. Si fugiat reus, actor ei manum iniiciat. atque in ius rapiat,

Si vis vocationi suat.

Hoc est, si aduersarium in ius vocauerit, & is vi restiterit. *Fuat,* Veteres dixerunt, pro, fiat, teste Nonnio Marcello. *Antestaminor,* id est, Testes aliquos aduocato.

Aurem capio antestati. Mos erat in antestatione, vt memorie causa actor auriculam imam tangeret antestati, cum hoc verbo, memento. Hinc Plinius libro 11. cap. 45. Est in aure ima memorie locus, quem tangentes antestantur.

Si caluitur, id est, si frustratus, teste Nonnio. *Pedem ve fraui,* hoc est dicere, si retrorsum it, aut fugit, vel, si remoratur, ait Festus. *Manum endo iacio.* antiquè dictum est pro, manum iniectio.

xxvij. *Si te statim dies sit cum hoste, venito.*

Refert hanc legem Cicero lib. 1. Officiorum & hoc significat lex: Is qui in iudicio se sistere, promiserit aduersario secundum suam, vel fideiussorum promissionem, se sistat ad diem statutum.

Cum hoste. Antiquo more dictum est pro aduersario, vel peregrino. Hostis apud veteres, inquit Festus, dicebatur peregrinus: & qui nunc hostis, tunc dicebatur perduellis.

xxviii. *De iudicijs.*

Rem vbi pagunt orant; nei pagunt ante meridiem in foro, aut in comitio causam conijciunt; post meridiem, presente ambobus, leitem addicito, sol occasus suprema tempestas, esto.

Legis sententia est, vt litigantes, si de re controuersa paciscerentur, vel litem inter se componerent, orarent, id est, id oratione peragerent. Quod si non paciscerentur, tunc ante meridiem in foro, aut in comitio (in quibus locis ius dicebatur) causam conijcerent. Id est, breuiter narrarent non integra, & proluxa oratione exponerent: & eo facto Prætor, post meridiem, litem, id est, rem controuersam ei, qui causam obrinuisset, addiceret, ambobus presentibus: & post solis occasum, nullum à Prætoris ius diceretur; quod si diceretur, irritum esset.

Presente ambobus. Antiqua locutio est, pro eo, quod est presentibus ambobus.

Sol occasus. Vetus etiam est phrasus, pro eo vt surpata, quo dicimus, sol quando occidit.

Suprema tempestas esta. Id est, diei nouissimum tempus.

Vbi, idem est quod, vbi.

Pagunt. Pago, pagis; pagere idem significat quod pacisci.

xxix. *Si qui in tre manum serunt, vt reique superstitionibus presentibus, vindicias sumunt.*

Lex hanc habet sententiam: Si qui de domo, vel agro, vel alia quapiam re contendunt, & super ea re festucas inter se, quasi hastas dicis causa committunt, vt reique superstitionibus presentibus, vindicias sumunt. Id est, vt reique litigantium presentibus testibus festucas illas inter se committunt, & manus conferunt. Videtur lex intelligere appellatione vindiciarum ipsam manuum confertionem. Quid Vindicie significant, explicat Festus in voce Vindicie.

xxx. *Si vindicias falsam tulit, rei, sine liti arbitris tres dato: eorum arbitrii fructum duplione damnum decidit.*

Recitat hanc legem Festus in verbo Vindicie. Vult lex eum, qui falso sibi rem alienam vendicauit, duplos fructus restituere debere.

Si vindiciam falsam tulit. Vindiciam ferre, est sententia & decreto rem possidere. Vindicie appellantur res illæ, de quibus est controuersia, eo quod vindicarentur.

xxxi. *Vt si quis à libertate in seruitutem afferretur; Prætor Vindicias secundum libertatem daret.*

Sententia legis est: Vt non solum liber homo, qui status controuersiam pateretur, relinquatur suæ libertati; & eius possessionem retineat, dum questio status, causæque liberalis pendet, sed etiam vt seruus, qui in libertatem ab aliquo legitimo & iusto vindice afferitur, interea pro libero habeatur, & assertori libertatis, dominus serui possessione serui cedat.

Vindicias secundum libertatem daret. Id est, Prætor possessionem eius, de cuius libertate, vel seruitute disputatur, ei daret, qui libertatem defendit, non ei, qui seruitutem querit. Vindicie etiam hoc loco possessionem significant. Et statuit lex, vt liberi, vel serui hominis possessio defendatur, dum causa disputatur, ita vt si liber homo sit, cuius tamen seruitutem actor querit, suæ libertati relinquatur; si vero seruus sit, & ab aliquo in libertatem vindicetur, ei possessio detur, non domino serui.

xxxij. *Ne quis rem litigiosam in sacrum dedicaret. Qui dedicasset, dupli poenam subiret.*

Extat hæc lex apud Caicum in l. vltima ff. de litigiosa. Duplum aduersario prestandum erat, vt id veluti solutum haberet, pro eo quod potentiori aduersario traditus erat.

xxxij. *Cui testimonium defuerit, is tertijs diebus obportum obuagulationem ito.*

Extat apud Festum in voce Portus. significat lex: Si ei qui litem habet, testis defuerit, ei licet die tertio ante domum eius, cuius testimonio vti volebat, liberè conquiri, & implorare testimonium, & conuicium recusanti facere.

Ob portum. Portum, inquit Festus pro domo in lege 12. Tabularum positum esse, omnes serè consentiunt.

Obuagulationem. Obuagulationem, dicit Festus esse questionem cum conuicio, & deducitur à vago, quod deriuatur à vago.

xxxiii. Dere indicata.

Aeris confessei, rebusque iure iudicatis, triginta dies iustis sunt: postea indu manus iustis esse, in iure ducto. Ne iudicatum faciat. Aut quis endo iure vindicet: Secum ducto. Vndicatio, aut nero, aut compedibus quindecim pondus, ne minore: aut si volet maiore vincito. Seu volet, suo vincito. Ne suo vincito, qui eum vincitum habeat. Libras farris in dies dato. Sei volet, plus dato.

Habetur hæc lex apud Agellium libro 20. cap. 1. Legis sententia est, uti eam explicat Sex. Cæcilius apud Agellium loco citato. Confessei aeris. Id est debitorum pecunie iudicatis triginta dies dantur conquirende pecunie causa, quam dissoluerent. His diebus nihil agi cum debitoribus poterat: post deinde, nisi dissoluerent, ad Prætorum vocabantur, & ab eo, quibus erant iudicati, addicebantur. Neruo quoque, aut compedibus vinciebantur.

Confessei aeris. Id est, pecunie, quam per confessionem aduersarij in iudicio factam constiterat esse debitam.

Rebusque iure iudicatis. Alij legunt,

Aerisque debiti iudicatis.

Postea id est, postea.

Indu manus iustis. Id est, manus iniectio. Quasi dicat, Post illos triginta dies, nisi tibi iactis fuerit, licet tibi in eum manus iniicere, & in ius quere.

Nei iudicatum facit. Id est, Nisi soluerit id, quod sententia iudicis continet.

Aut quis endo iure vindicet. Id est, Nisi quis eum in iure vindicet.

xxxv. Ni eum eo pacit, sexaginta dies in vinculis vincito. Trinis nundinis continuis in comitium prociato, erisque aestimam prædicato. Tertijs nundinis capite pœnam luto. aut trans Tyberim peregre venum iro. Ast si plures esant rei, tertils nundinis partes secanto: si plus, minusve secuejunt. nisi fraude esto.

Memorat hanc legem Agellius lib. 20. cap. 1. Sentus est: Erat ius interea paciscendi inter creditorem & debitorem; & nisi pacti fuissent, habebantur in vinculis dies sexaginta; Inter eos diestribus nundinis continuis ad comitium producebantur, quantæ pecunie iudicati essent, prædicabatur. Tertijs autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregrè venundabantur. Quod si plures essent creditores, quibus reus esset iudicatus permittebat lex, ut si vellent creditores, corpus debitoris secaretur, & cuiuslibet creditoris pars dissecti corporis addiceretur.

Nisi fraude esto Antiqua Phrasis hæc est, pro eo quod dicitur, sine fraude Quinçilianus lib. 3. cap. 6. ita ait: Sicut quædam non laudabilia natura, sed iure concessa, ut in duodecim Tabulis debitoris corpus inter creditores dividit licuit, quam legem mos publicus repudiavit. Phauronius apud eundem Agellium lib. 20. cap. 1. Nihil, inquit, profecto immittis, nihil immanius (videlicet huius legis pœna) nisi (ut re ipsa appa-

ret) eo consilio tanta immanitas pœna denunciata est, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc, & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquis neminem equidem neque legi, neque audiri, quoniam sententia ista pœna contemni non potuit: Respondet Sex. Cæcilius Gravitatem pœnae esse decretam, non ut debitorum corpora secaretur; sed ut debitores legis pœnam pertimescerent, & acerbitate pœnae conterriti non auderent pacta & conventiona perfide rumpere. Sic etiam, inquit, Decemviri statuerunt, ut qui falsum testimonium dixisse convictus esset, è saxo Tarpeio deiceretur. Acerbitas plerumque vinciscendi maleficij, bene atque cautè vivendi disciplina est. Oderunt enim peccare mali formidine pœna Horat.

xxxvi. Afsiduo vindex afsiduo esto. Proletario civi quibus volet, vindex esto.

Refert hanc legem Agellius libro 16. cap. 110. Statuit, ut afsidui, vel locupletes civis creditoribus addicti, ab afsidiis vel locupletibus vindicarentur; hoc est, si ita res ferret, afsibus redimerentur; non autem à Proletarijs ne, cum sint tenuioris fortunæ, quam ut alios possent dare, quibus afsiduos à vinculis liberarent, ipsi pro afsidiis & se suosque liberos, familiamque totam in discrimen adducerent, neque corpus liberum afsidui hominis liberandi gratia, terrenti, capitique pœnae, aut sectioni subiceretur. Proletario autem civi quemvis vindicem esse permittit lex, quia eius debita non solent esse maiora quàm quæ ære exiguo solvi possint.

Afsiduo. Veteres dixere pro locuplete ab afsidiis dandis.

Vindex esto. Antiqui vindicem appellabant, qui vincitum suæ adductum alteri, suæ preheusum liberabat.

Proletarius civis dictus est ab officio proles edendæ: nam qui rem familiarem parvam habebat, Republicam adiuabant, liberorum copia.

xxxvij. De emptione, venditione, & usucapionibus.

Venditæ & traditæ res non aliter emptori acquiritur, quàm si is venditori pretium soluerit, vel alio modo satisfecerit.

Declarat hanc legem Iustinianus Instit. De rerum divisione, §. Venditæ. & Instit. de empt. & vendit. §. item pretium.

xxxviii. Vsu & auctoritas fundi biennis, ceterarum rerum annuus esto.

Extat hæc lex apud Ciceronem in Oratione pro Cæcilia, & in Topicis ad Trebatium, & apud Iustinianum Instit. de usucapionibus. §. iure civili. Legis sententia est: Adeptio dominij per continuationem possessionis, temporis annui est in rebus mobilibus: biennij verò in rebus immobilibus. Hanc legem Iustinianus loco citato correxit, voluit tempora usucapionis esse longiora scilicet, ut res quidem mobilis per triennium usucaperetur: immobilis verò inter præsentis, decennios inter absentes, viginti annis.

Vsu capere, est vsum & possessionem rem facere suam.



Auctoritas sumitur hoc loco pro iure, quod possessione, tempore, & loco definito acquiritur. Fundus generatim accipitur pro omni eo quod solo adheret, hoc est: pro rebus immobilibus.

XXXIX. *Aduersus hostem aeterna auctoritas esto.*

Extat apud Ciceronem lib. Officiorum.

Noluerunt Decemviri alios quam ciues suos possessores tueri, & vscapionis iure donare. Est igitur legis sententia: Perpetuum sit ius cui libet cui Romano vindicandi rem suam a quolibet peregrino possessam, ita vt nullus peregrinus villo tempore possit vscapere rem ciuis Romani.

Hostis, in hoc loco sumitur pro peregrino: vt explicat Cicero lib. 1. Officiorum, & Varro lib. 4. de lingua Latina.

XXXX. *Rei furtivae aeterna auctoritas esto.*

Apud Agellium libro 17. cap. 7. sic habetur. *Quod subreptum erit, eius rei aeterna auctoritas est.* Hoc est: Perpetuum sit cuique ius vindicandi rem suam furto sublatam: ita vt non solum denegetur furi vscapiendi potestas, sed etiam cui libet alteri; quamuis a fure bona fide emerit, vel alia de causa acceperit. Extat haec lex apud Iustinianum Instit. de vscapionib. §. furtivae.

XXXI. *De Collegijs.*

Vt si sodalibus, qui ius coeundi haberent, potestas esset pactionem quam vellent, sibi ferre: dum ne quid ex publica lege corrumpent.

Extat huius legis testimonium apud Caium Iurisconsultum in l. vii. ff. de Collegijs.

Translata est haec lex ex legibus Solonis, in quibus ita erat: Si qui eiusdem corporis, aut si qui tribules, aut Sacerdotes Orgiorum, aut Nauicularij, aut Sodales, aut eiusdem sepulchri, religionisve consortes, aut ad pecorum coemptionem, aliudve negotiationis genus simul proficiscentes; pactionem inter se aliquam inierint, ratum id sit, dum ne quid in publicis tabulis prohibeatur.

Teste Plutarcho in vita Numae: Numa Pompilius diuise multitudinem plebis secundum artificia, vt suum peculiare corpus haberent tibicines, suum artifices, architecti, tinctorum, futores, coriarij, fabri ararij, & figuli: & inde orta sunt certa collegia, quae Senatus consulto & Constitutionibus sunt approbata. Quibus autem permixtum est corpus habere collegij, fas erat in modum Reipublicae res habere communes; arcam communem, & actorem siue iudicum, per quem tamquam in republica quid communiter agi & fieri oporteret; ageretur & fieret. Poterant haec collegia manumittere, legatum capere, leges sibi ferre, hoc est, statuta condere, dummodo nihil ex iure communi corrumpent.

XXXII. *De seruitutibus & fruib. regundis.*

Vt latitudo in porrectum, octo pedum esto, in aspectum sedecim.

Extat haec lex apud Caium. ff. De seruitutibus. l. via latitudo: & statuit ius de seruitutibus rusticorum praediorum. Iustinian. Imperator. Instituit de seruitutibus praediorum, §. Rusticorum praediorum, ait, Rusticorum praediorum iura sunt haec: iter, actus, via, aquaedu-

ctus. Iter est, ius eundi & ambulandi hominis, non etiam iumentorum agendi vel vehiculum. Actus, est ius agendi iumentum, vel vehiculum. Via, est ius eundi & ambulandi hominis, & agendi iumentum & vehiculum. Aqua ductus, est ius de ducenda aqua per fundum alterum. Lex ergo loquitur de seruitutibus rusticis, & praecipit, vt si quis ius habeat ducendi vehiculi, siue plaustrij, siue agendi iumentum per praedium alterius, ea via in porrectum, id est, in directum sit octo pedum. In anfractum, id est, in flexum sit duodecim pedum: ad plaustrum videlicet circumducendi commoditatem.

XXXIIJ. *Vt si cui priuato aqueductus alterius in publico noceret, ei aqueductus Domini noxae nomine caueret.*

Vult dicere lex: Si per publicum locum vnus aqueductus priuato noceret, erit actio, vt dominus aquae de damno ipsi caueat. Extat haec lex apud Paulum Iurisconsultum in l. §. ff. ne quis in loco publico.

XXXIIII. *Vt si cui aqua pluuia ex vicini agro noceret, vicino, cui ea noceret, eam per arborum arceret ius esset.*

Extat apud Ciceronem in Topicis haec lex: Vbi Boetius Ius, inquit, est aquam pluuiam arceri id est, vt si in alicuius agro pluuia aqua colligatur, & in alterius agrum defluat, & eaque vicini frugibus nocitura concreuat, arceat eam suis finibus ille, qui sua putat interesse, ne defluat. Vlpianus l. i. ff. de aqua pluuia. ait. Si cui aqua pluuia damnum dabit, actione aquae pluuiae arceret arceret aqua.

XXXV. *Ambitus parietum festerim per esto.*

Ambitus, teste Varrone lib. 4. de lingua Latina, dicitur in hac lege, inter vicinorum aedificia locus relictus: quem iubet lex esse duorum pedum, & semipedis, ad circumeundi facultatem.

XXXVI. *Vbi sepem in confinio ponet, terminum ne extendo: Qui murum, pedem derelinquit, quod domum, pedes duos: qui sepulchrum, fontem, autque, quantum in profundum erit, qui portum, passum, qui olivam, ficum, &c. pedes non: qui denique alias arbores plantabit, quinque pedes ab alieno loco ponit.*

Extat apud Caium. l. vltim. ff. de finibus rego. vbi eam ex Solonis legibus delumptam esse testatur.

XXXVII. *In controuersia de finibus quinque pedum vscapio nulla esto.*

Habetur haec lex apud Ciceronem. libro de legibus. Voluit lex inter confines vicinorum agrorum spatium quinque pedum non vscapi, sed medium relinqui, quod liberum semper esset & commune, vt eo ire, agere, & aratrum etiam circumuerrere, sine alterius incommodo vteret dominus possit. Vnde postea lege Manilia cautum est, vt quoties de his quinque pedibus controuersia esset, arbiter siue agrimensor eligeretur, qui eos regeret, arteque sua constitueret.

XXXVIII. *Eius arboris quae in alienum agrum impenderet, ramos quindecim pedes altius a terra circueidere ius esto vicino.*

Hoc ideo statutum est, ne umbra arboris vicini pro pradio noceret. Extat apud Ulpianum Iurifconsultum in l. i. ff. de arboribus cædendis.

xxxix. Glandem suam in alienum fundum procedentem colligendi in esse vicino.

Huius legis facit mentionem Plinius libro 16. cap. 5. Et glandis nomine omnis fructus continetur. l. vii. ff. de glande legem. l. qui venenum, ff. de verb. significat.

L. V. si vicini inter se iurgant. Finibus regendis, arbitros tres darent: eique totius rei ius, arbitrium, que permitterent.

Huius legis pars iouenitur apud M. Tullium libro 2. de legibus. Fines vocantur agrorum termini ac limites: & regi dicuntur, fructus vnusquisque ager proprijs finibus terminatur.

l. De iniurijs, alijque delictis.

Si quis astituerit sine carmine condiderit, quod infamiam, flagitiumve, alteri preceperit, capite punitor.

Mentio huius legis est apud Ciceronem libro 4. de Republica, & apud Augustinum lib. 2. de ciuitate Dei, cap. 9.

constituitur capitis poena in scriptores libellorum famolorum. Quidam hanc legem sic recitant.

Si quis carmen occensit, quod alteri flagitium perit, capital esto.

Occensit. Antiqui dicebant pro eo quod est conuitium facere. Flagitium item veteres, infamiam appellabant. Flagitium facere, conuicijs alijquem ledere. Apud Græcos ait Augustinus loco citato, fuit lege concessum, vt quod vellet comœdia nominatum, vel de quo vellet, dicerent. Itaque quem illa non attingit vel potius quem non vexauit: cui pepercit: ac contra Cicero, lib. 4. de Repub. & Thucydides, 4. ait: Nostra Tabulae duodecim eius perpauca res capite sanxissent, in his tamen sciendū esse capitis poenam putari. Vnde Arnobius lib. 7. carmen malum, inquit, conscribere, quo fama alterius conquinetur, & vita, decemur alibus scitis euadere voluisti impone.

li. Si iniuriam alteri faxit, xxv. aris poena sunt.

Apud Agellium lib. 20. cap. 1. Phauorinus philosophus Academicus hanc legem improbauit, veluti mollem & remissam, vbi sic inquit: Quod dicit, videri quædam esse impedio molliora, nonne tibi quodque videtur esse diluatum, quod ita de iniurijs puniendâ scriptum est. Si iniuriam alteri faxit, viginti quinque aris poena sunt. Quis enim erit tam inops, quem ab iniuria faciendâ viginti quinque asses deterreant? Itaque cum eam legem & quoque Labeo vester, in libris, quos ad 12. Tabulas conscripsi, non probaret, inquit: L. Neratius fuit egregie homo impudens, atque immensi recordia. Is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus suæ palma verberare, eum feruere sequebatur, crimen autem plenum assium portitans: & quemcumque de palma ueraret, numerari statim secundum 12. Tabulas, 25. asses iubebat. Propere, inquit, Praetores, hanc abolere & relinquere consuerunt, iurisque assimulandi recuperatores se daturus edixerunt. Hæc Phauorinus. Sex, autem Cæcilius legem defendens, ait, non omnes iniurias hæc poena æstimatas fuisse, sed leuioribus tantum, & hanc paucitatem assium, graue pondus aris fuisse, eū Populus Romanus ea tempestate librarijs assibus uteretur.

liij. Si membrum rupperit, è pacto talio esto.

Reperitur hæc lex apud Agellium libro 20. cap. 1. & apud Festum in voce Talio, & apud Iustinianum Institus, de iniurijs, §. poena.

Vult lex, vt de graui & atroci etiam illata iniuria pacisci liceat: sed (è pacto) id est, sine pacto, vel extra pactum, Talionem esse poenam. Notat etiam Phauorinus apud Agellium, hanc legem, vt iniquam, sic inquit: Nonnulla in istis Decemuirorum legibus, nec consistere quidem visa sunt. Vt illa lex Talionis: cuius verba (nisi memoria me fallit) hæc sunt: Si membrum rupperit memum, è pacto Talio esto. Præter enim vlcisendi acerbitatem, ne procedere quoque executio iusta talionis potest. Nam cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi iudicem rumpere per talionem velit, quæro an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium. In qua re primum rei difficultas est inexplicabilis. Quid si membrum alter imprudens ruperit? Quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet. Idem quippe fortuitum & consilium non cadunt sub eiusdem talionis similitudinem. Hæc & plura Phauorinus. Sed Cæcilius legem Decemuirorum defendens, ait, Prædictam poenam esse irrogatam, quia voluerit lex eo metu improborum hominum audaciam coerceri: nec in lege habitam esse rationem, prudensne an imprudens quis alteri membrum ruperit, quia lex opus ipsum punit, non voluntatem & animum. Nec acerbam esse Talionis poenam, quia qui ruperit membrum alteri, pacisci potest, ita vt talionem pati non cogatur, nisi eam ipse elegerit. Hactenus ex illo Auctore. Ad Talionem non ante veniebat, quam is, qui iniuriam fecerat, pacisci nollet: immo & ad id æstimationem iudicis redigi solitum fuit: nam si reus, qui pacisci noluerat, iudici Talionem imperanti non parebat, æstimata lite iudex hominem pecunie damnabat, Talio, inquit, Ildorus, est similitudo vindictæ, vt quis talia patitur, qualiter fecit. De Talione Athenienses legem habuerunt, & ante Romanos & Athenienses Hebræi Poenæ grauitas improbos à maleficijs patrandis, & iniuria faciendâ deterret.

liij. Si os fregit aris sunt.

Similiter apud Agellium libro 20. cap. 1. habetur hæc lex: & apud Iustinianum, Instit. de iniurijs, §. poena Cæcilius apud Agellium: Iniurias, inquit, atrociores, vt de osse fracto, non liberis modo, verum etiam feruis factas, impensore damno vindicauerunt. Iustinianus autem: Poena iniuriarum ex l. 12. Tabularum, propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os verò fractum, nummarie poenæ erant constitutæ, quasi in magna, veterum paupertate.

lv. Si in tuo alienum pecus pascatur, de pastu pecoris æstio esto.

Voluerunt Decemviri concordiam inter ciues tueri, & causas litium & controuersiarum præcidere ideoque hæc leuia in suis tabulas reulerunt. Hæc legitima actio de pastu pecoris tunc competebat, cum in meo tuæ pecudes meum aliquid depastæ essent.

lvj. Si quadrupes pauperiem fecerit: ei, cuius intererit in eum, qui dominus erit quadrupedis, æstio noxalis esto.

Extat

Extat hæc lex apud Vlpianum. l. 1. ff. si quadrup. paup. Voluit hæc lex, aut dari animal quod nocuit, & noxam commisit; aut æstimationem Noxæ offerri. Noxa, est ipsum delictum: Pauperies, dicitur damnū siue iniuria facientis datum. Animal enim iniuriam non facit, quadrupes verò, est animal non ferum & indomitum, sed in potestate, & cura hominis constitutum. Hanc legem Decemviri ex Solone sumpserunt: qui legem Atheniensibus tulit teste Plutarcho, vt canis, qui cuiquam nocuisset trunco quatuor pedum longitudine alligato dederetur.

lvij. Vt qui alienas arbores iniuria cecidisset, in singulis arboribus viginti quinque laeret.

Habetur hæc lex apud Plinium libro decimo octavo cap. 1.

De Furiis.

Qui noctu furtum faxit, aut interdū telo se defendit, ei domino cum clamore testificanti, occidere ius esto. Si neque noctu neque seculo deprendens prehendatur, virgibus castus, ei cui furtum fecit, addicitor. Servus verberibus affectus; de saxo deijcitor. impubes arbitratus Prætoribus verberator.

Memorat hanc legem Agellius 20. cap. 2. & lib. 11. cap. 15. Extat in l. plebs. ff. de verb. signif.

Draco teste Agellio, furtum cuiuslibet modis supplicio capitis puniendum sanxit. Solon duplici poenam in fures constituit. Apud Aegyptios, furta omnia impunita fuerunt; apud Lacedæmonios verò ius & usus furandi fuit, non ob turpia lucra, neque ad sumptum libidini præbendum, sed ad exercitationem & disciplinam rei bellicæ.

lix. Si adorat furtum, quod nec manifestum erit, duplicationem luito.

Extat apud Aegellium libro 11. cap. 15.

Adorare apud antiquos, idem erat quod agere, teste Festo.

lx. Furta per lancem, liciumque concepta, sicut manifestata vindicantur.

Apud Agellium, eodem libro; & capite præfatio. Quæ sint furta per lancem, liciumque concepta, explicat Alexander lib. 6. Genialium dierum, cap. 10. ubi ait, ea esse cum fures in alienas penetrabant ædes, & licium ferebant, quo furta alligarent, & lancem præ oculis, ne innotescerent. Alij verò explicant sic: Fures quidam licio se accingebant, vt expeditores essent ad querendum quæ furari volebant, & lancem oculis apponebant, vt foeminas detererent. Et hæc furta dicebantur per lancem & licium concepta. Obscura sunt verba; & licet apud Agellium legantur, ea tamen Agellius non explicuit.

lxi. Is, cuius ope, consilio furtum factum erit, duplici actione tenetur. Si servus furtum faxit noxamve nocuit, sciente etiam domino, serui nomine actio esto: Dominus serui nomine non tenetur. De furto pacifici licium esto.

Prima pars huius legis extat apud Labeonem Iurisconsultum in l. Sæpe §. vi. ff. de verb. signif.

lxij. Frugem aratro quæstiam, furtim vultu si parerit, secueritve pubes suspensus Cereris necator, impubes verberator, noxamve duplicationem præfatio.

Descripta est lex ex Plinio lib. 18. cap. 3. consti-

tuit poenam in eos, qui alienas fruges depauperant, aut demersissent.

lxij. Tignum iunctum adibus, vineæque conceptæ ne luito.

Qui illud iunxit, Domino duplam præstato.

Extat apud Festum in voce Tigni. Extat etiam apud Caium in l. adeo. ff. de acquiren. veri domi. & apud Vlpianum in l. 1. ff. de signo iuncto. Et apud Iustinianum in l. de rerum diuisio. §. cum in suo. Tigni nomine, vt aiunt Vlpianus & Caius locis citatis intelligitur omnis materia, ex qua ædificium constat etiam tegula, lapis, testa, calx, arena.

Legis sententia est: Ne quis alicuius alicuius tignum, hoc est, ligna camenta, & alia, ex quibus ædificium constat, suis adibus iungeret, inuito eo, cuius tignum esset: Ne quis item quæ sunt necessaria alicui ad vineam alteri surripit, atque iusmodi sunt pedamenta, pericia, & quæ sunt generis eiusdem.

lxiii. Ne quis vincitio seniore amplius exercet.

Varie erant vsuræ species apud Romanos. Summa vsura, quæ & vsura centesima, & as vsurarius dicebatur, erat, cum pars sortis centesime singulis mensibus pendebatur; id est, cum de centum aureis singulis mensibus, vnus, & singulis annis duodecim soluebantur.

Vsura de iure dicebatur, cum singulis annis in centenos vndecim pendebatur, Dextrans, cum decem: Dōdrans, cum nouem: Bes, cum octo: Septunx, cum septem: Semis, cum sex: Quincunx, cum quinque: Triens, cum quatuor: Quadrans, cum tres: Sextans, cum duo: Vnciaris, cum vnus pendebatur, & de hac loquitur lex.

lxv. Iurisdictioni ad fidem adstringendam præcipua vis esto.

Cicero lib. 3. de Officijs: Nullum, inquit, vinculum ad stringendam fidem iurando maiores nostri artium esse voluerunt. Id iudicant leges. Tabularum.

Cap. LXIV.

Leges Romanorum à diuersis Magistratibus lata.

Præter leges à Regibus latas, & præter leges à Tabularum, quas Decemviri ex Græcis legibus ex Græcis legibus descriptas dederunt, fuerunt & alie leges à diuersis Magistratibus institutæ: quarum quædam ad ius sacrum pertinebant: cuiusmodi fuerunt lex Sulpitia, Sempronja; lex Papiria de Templis, & aris dedicandis & consecrandis; Horrensa, de Nondinis, Publicia, de Cereis; Cornelia, de Ferijs; Licinia, Roscia; Iulia de ludis, de spectaculis: de locis siue sedibus ordinum in spectaculis: Cornelia de sumptibus funerum: Sextia Licinia de Sacerdotibus: Ogulnia de auguribus & pontificibus: Manlia de Triumuiris Epulorum: Clodia de sacerdotijs: Papia de virginibus Vestalibus.

Alie leges fuerunt de ciuitate, & iure publico ciuitatis Romanorum, qualis erat Valeria, vt esset prouocatio Magistratum ad Populum. Ne quis vllū Magistratū sine prouocatione crearet, & qui creasset, iure posset occidi, neve ea cædes capitalis noxia haberetur. Porcia, ne quis Magistratus ciuem Romanum virgis cæderet, necaretve: sed dampnato exilium permitteret: cum

antea

antea nudorum ceruix inferretur furcæ, corpus virgins ad necem caderetur. *Semproniz* item leges, ne de capite cuius Romani, in iussu populi iudicaretur: vt qui Magistratus in dicta causa, in ciuem Romanum animaduertisset; de eo populi quæstio constitueretur. *Papia* lex: Vt peregrini vrbe Roma expellerentur: quod etiam postea statuit, & *Iunia* lex, vt peregrini vsu ciuitatis prohiberentur: quam legem *Cicero libro tertio de officijs*, vt inhumanam reprehendit. Fuit item lex *Fulvia*, vt Itali ciuitate donarentur: & *Sempronia*, vt socijs Latinis ius suffragij ferendi perinde vt ciuibus Romanis esset: & *Serulia*, Vt si quis Latinus Senatorem Romanum accusando condemnasset, is ciuis Romanus esset: *Calpurnia*, vt milites virtutis ergo ciuitate donarentur. *Mensia*, vt ex alterutro peregrino natus, deterioris parentis conditionem sequeretur.

Fuerunt & alie leges ad ius publicum pertinentes de Comitijs habendis: cuiusmodi sunt *Aelia* lex, vt quoties cum Populo ageretur, Augures de coelo seruariant. Item, vt Magistratus & obnoxiandi, & legislationi intercedendi potestatem haberent: & *Fusia*, vt certis diebus, qui tamen fasti essent, agi cum populo non liceret: *Clodia*, vt omnibus fastis diebus legem ferri liceret. Vnde *Cicero pro Sestio ad Pisonem*, & alibi toties quæritur *Clodium* propugnacula, & muros tranquillitatis atque otij euertisse: *Curia*, vt ante Comitia, Magistratum Patres auctores fierent: *Claudia*, ne in magistratum Comitijs absentium ratio haberetur.

Fuerunt etiam leges de suffragijs per tabellam ferendis; quæ leges tabellarie dictæ sunt. Primum enim Romani per multos annos voce suffragium tulerunt postea vero, vt quisque liberius suam sententiam proferre posset absque metu periculi, inuenta tabella fuit; idque quibuldam legibus fuit constitutum: Huiusmodi fuerunt *Gabinia*, *Cassia*, *Papiria*, *Coelia*, *Sempronia*, *Mariana*.

Latæ sunt & alie leges de Senatu habendo, & de Senatoribus creandis, *Cassia*, *Claudia*, *Sulpitia*, *Quinia*, *Sentia*, *Galbinia*, *Papia*. Alie de Consulibus. Alie de Prætoribus. Alie de Censoribus, de Dictatore, de Quæstionibus, de Tribunis plebis, de Aedilibus Curulibus, de Triumuiris capitalibus. Fuerunt alie de Legum vi & potestate; qualis fuit *Horatia*: vt quod tributum plebs iussisset, populum teneret, teste *Liuij lib. 3. Deca. 1.* & *Dionysio lib. 2.* quam legem postea confirmauit, & extendit *Hortensia*, vt eo iure, quod Plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur, cum antea Patrij non stringerentur. Teste *Agellio lib. 15. cap. 27.* quam etiam legem confirmauit *Publilia* lex. Fuit etiam lex *Cæcilia* & *Didia*; vt in legibus promulgandis trinæ nundinæ seruariantur: quam confirmauit lex *Iunia* & *Licinia*: fuit etiam *Aebutia*, vt xij. Tabularum capita, quæ inutilia essent Reipublicæ, tollerentur.

Fuerunt item multæ leges de Prouincijs gubernandis, de Colonis deducendis. Fuerunt & multæ, quæ dictæ sunt *Agrariæ* leges, quod de agris populo diuidendis statutæ fuerint, veluti

Cassia, *Licinia*, *Flaminia*, *Rubria*, *Sempronia*, *Bæbia*, *Apuleia*, *Tiria*, *Martia*, *Cornelia*, *Serulia*, *Flauia*, *Iulia*. Alie fuerunt de Terminis siue Limitibus agrorum; vt *Sempronia*, *Mamilia*, *Cornelia*, *Iulia*.

Fuerunt alie leges *frumentariæ*; qualis fuit *Sempronia*, vt semisse triente frumentum menstruum plebi ex publico viritim darentur. *Terentia* & *Cassia*, vt frumenti alteræ decimæ à Prouincijs coemerentur, pretio in singulos modios HS quatuor constituto. *Cicero Verina V. Et Clodia*, vt frumētū populo; quod antea semissibus ac triennibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.

Fuerunt præterea leges *Sumptuariæ* dictæ, nomen inde sortitæ, quod modum sumptuum in conuiujs præscriperint. Cum enim à veteri & auita Maiorum parsimonia Romani discederent, & nullum modum luxuria inueniret, legum animaduersione opus fuit, Et ita lata est *Orchia*, quæ numerum conuiuarum definiobat: deinde *Fannia*, quæ præscripsit numerum assium impendendorum singulis diebus, & singulis mensibus: & *Didia* & *Lycinia*, & *Cornelia*, quæ conuiuiorum magnificentiam moderabatur, ac temperabant.

Latæ quoque leges fuere de iure priuato, & primum de manumissione & libertis; *Manlia*, vt ij, qui manumitterentur, fortunatum suarum vigesimam æratio darent. *Liuius libro 7. Decadis*: *Fusia*, *Cainia*, vt in testamentum ex tribus seruis non plures, quam duos manumittere liceret, vsque ad decem, dimidiam partem; à decimo vsque ad triginta, tertiam partem, vt tamen adhuc quinque manumittere liceret; que vt ex priori numero: à triginta vsque ad centum, quartam partem, ita vt æque decem ex priori numero manumitti possent; à centum vsque ad quingentos: partem quintam, similiter & ex antecedenti numero viginti quinque libertate donari possent. Item, ne plures omnino quam centum ex cuiusquam testamento manumitti possent: præterea, vt libertates seruis testamento nominatim darentur.

Fuit etiam lex *Aelia Sentia*, vt qui serui poenæ causa vincti à Domino, quibusve iniustæ notæ fuerant, quive propter noxam torti, nocentesve inuenti, quive traditi ad metalla, aut vt cum bestijs depugnarent; quive in custodia fuissent si manumitterentur, non ciues, Romani, sed in Dedititorum numero essent, hoc est, nec connubium, neque commercium, neque testamenti factionem haberent. Item, vt minorem triginta annis seruum, vindicta, aut testamento, nisi causa apud consilium probata, manumittere non liceret. Item: Ne dominus annis viginti minor, seruum, nisi causa apud consilium probata, manumittere posset. Item: vt seruus ab eo domino: qui soluendo non esset, testamento liber esse iustus, & hæres institutus, & si minor esset triginta annis, vel in ea causa, vt Dedititius fieri deberet, ciuis Romanus, & hæres esset, ite: Patronus prohibebatur adigere ieiuratio, ne haberet libertatem, neque libertos liberos tolleret. Præterea, si duo, pluresve liberi & hæres esse iusti fuissent, primo loco scriptus, liber & hæres esse

Insuper:

Insuper: Vt si patronus libertum inopem non aleret, primum tam ipse, quam is, ad quem ea res pertineret, mulctaretur: deinde ipsius hereditate tum ipse, tum eius liberi priuarentur, nisi heres esset institutus: postremò, à bonorum possessione remoueretur, præterquam secundum tabulas. Denique prohibebantur patroni libertos obligare, vt mercedem operarum præstarent onerandæ libertatis causa: & vt libertus patrono ingratus in seruitutem redigeretur.

Lex Iunia Norbana fuit: vt ij serui, qui neque censu, neque vindicta; neque testamento, sed aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierent, non ciues Romani, sed eodem iure, quo Latini coloni essent, fuit & Papiæ lex de iure patronatus, vt ex bonis liberti, qui HS centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quàm tres liberos habebat, siue is testamento factò, siue intestatus mortuus esset virilis pars patrono deberetur. Itaque cum vnum quidem filium heredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia patrono debebatur, ac si absque filijs intestatus decessisset. Cum vero duos filios relinqueret, tertia pars patrono debebatur: si tres relinquebat, patronus repellabatur.

Fuerunt alix leges de iure Connubiorum: prima, Canuleia, vt Plebi cum Patribus connubiorum ius esset contra xij. Tabulas. Livijs Decadis 1. Libro 4. Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 17. Iulia & Papiæ: Ne cœlibes, nisi qui genere essent proximi, quicquam ex testamento ciuis Romani caperent; neve orbi, plusquam dimidium eorum, quæ relicta essent. Item, ne coniux coniugis testamento, nisi decimam relictorum partem caperet; fiscus reliquas nouem: Item, foeminis lex Iulia à morte viri annuam tribuit vacationem, à duortio, sex mensium. Lex verò Papiæ à morte viri, triennij, à repudio, anni, & sex mensium. Item; Ne qui Senator esset, quive filius, nepos proneposve ex filio, vel filia natus, sponsam vxoremve sciens dolo malo duceret Libertinam; aut eam, quæ ipsa, cuiusve pater, materve artem ludicram faceret; fecissetve, nec item cæteri ingenui lenam à lenone manumissam, vel in adulterio deprehensam, & iudicio publico damnatam, aut quæ artem ludicram fecisset. Item; Ne que sponsalia rata essent, nisi statim exacto biennio nuptiæ fierent: hoc est, ne puellæ decem annis minores ducerentur: quia annus ætatis quoddecimus, maturus coniugio habebatur. I-

tem: Vt qui liberos, quos haberent in potestate, iniuriaque prohibuissent vxores ducere, vel nubere, à Magistratibus cogerentur in matrimonium collocare, & docere. Insuper: Vt Patrijjs liberum esset vxores Libertinas ducere; præterquam si Senatores, Senatorumve liberi essent.

Lex Papiæ instituit, ne quinquaginta annis minor foemina sexagenario nubere, neve hæc ætate iunior vir quinquagenariam foeminam vxorem duceret.

Lata etiam leges fuerunt de Tutelis, quæ fuerunt quatuor; Attilia, Lætoria, Iulia, Titia, & Claudia: de quibus alibi commodius dicam.

Fuerunt etiam leges de Testamentis, hæredibus, & legatis, hæc nimirum; Furia, Voconia, Falcidia, Cornelia, Iunia, Velleia, Iulix tres, & Papiæ; de quibus etiam suis in locis. Fuerunt alix de vsucapionibus, de cessione bonorum; & de Furtis; Atinia, Iuuiæ, Plantia.

Alix multæ latae fuerunt leges de re nummaria, & foenore; alix de iudicibus, donis & muneribus, & de iudicijs.

Postremò fuerunt leges de Criminibus publicis, & eorum poenis; videlicet, de crimine lætæ maiestatis quinque, Appuleia, Varia, Valeria, Cornelia, & Iulia. Alix de adulterio, vt Iulia. Alix de Sicarijs, Veneficis, Homicidis, & Patricidis, vt Cornelia & Pompeia. Alix de crimine falsi, vt Cornelia. Alix de villata, vt Plantia. Clodia, Pompeia, Iulia, Prædia, Cornelia, Item de Peculatu, hoc est, furto pecuniarum publicæ, & de sacrilegio, vt Petilia & Iulia. Item de Ambitu, vt Petilia. Babia, Aemilia Mariana, Pabia, Acilia, Calpurnia, Tullia, Aufidia, Licinia, Pompeia, Iulia. Alix de pecunijs repetundis, vt Portia, Calpurnia, Iunia, Seruilia, Acilia, Cornelia, Iulia, Insuper alix de Lusu, vt Cornelia, ne quis in ludo sponsonem faceret, nisi suscepto virtutis & corporis exercendi causa: veluti si certaretur de hasta, pilave iacienda, currendo, saltando, luctando, pugnando. Eandem legem confirmauit lex Publilia, & lex Titia de lusu. Est etiam Ius Iulianæ, & talorum legibus interdictis. Denique Pagana lege in plerisque Italiæ populis curabatur, ne mulieres per itinera ambulantes, torquerent fusos, aut omninò detectos ferrent, quoniam aduersaretur id omnium specipicue frugum Plin. lib. 22. cap. 3.

De quibus suis locis commodius.

Finis Libri Sexti.

IOAN.